www.e-rara.ch

Armamentarium ecclesiasticum

Stoiber, Ubald

Pedeponti [Regensburg-Stadtamhof], 1757

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-8509

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

Z. Fr.18.-

CC49

ARMAMENTARIUM ECCLESIASTICUM

complectens

Arma ſpiritualia fortiſſima

ad inſultus diabolicos elidendos, & feliciter ſuperandos:

Ad

Utilitatem omnium animarum Paſtorum,

ſedulò ex ipſo S. Evangelii fonte, SS. Patribus, & probatiſſimis Authoribus collecta

à

P. Fr. Ubaldo Stoiber, Ord. Min. S. Patris Franciſci reformat. p. t. SS. Theologiæ Lectore ordinario in Conventu & ſtudio Friſingenſi.

Pars Prima

Complectens materiam de energumenis liberandis.

Editio Quarta.

Acceſſit Appendix, ſeu ſynoptica inſtructio faciliter expellendi dæmones, & cujusvis generis deſtruendi maleficia.

Cum Facultate Superiorum.

Pedeponti,
Sumptibus Joan. Gaſtl, Anno MDCCLVII.

Sobrii estote, & vigilate, quia
adversarius vester diabolus tan-
quam le
quem d
in fide.

Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret: cui resistite fortes in fide. 1. Petr. 5. v. 8. & 9.

✝ ✝ ✝

Reverendissimis, Admodùm Reverendis, Nobilibus, Clarissimis, Ex-

nque de-
Dominis
arúmque
guine re-
gilantissi-
is Domi-
antia

†††

Reverendissimis, Admodùm Reverendis, Nobilibus, Clarissimis, Excellentissimis, & quocunque demum Titulo Spectabilibus Dominis Dominis Parochis, animarúmque pretiosissimo Christi sanguine redemptarum Pastoribus Vigilantissimis, Zelosissimis, Dominis Dominis Suis omni observantia Colendissimis.

Reverendiſſimi, Admodùm Reverendi, Clariſſimi, Excellentiſſimi, ac quocunque demum titulo Spectatiſſimi Domini Domini Parochi.

COgitanti mihi, quò præſens Armamentarium Eccleſiaſticum dedicando dirigerem, cuíque potiori jure inſcriberem, Seraphicus Pater Franciſcus ſubintrare videbatur, jubens in Teſtamento nobis Fratribus Minoribus relicto, Reverendiſſimos, Admodùm Reverendos, ac quocunque tandem titulo Spectabiles Dominos Dominos Parochos, animarúmque Paſtores, *timeri, amari, & honorari ſicut Dominos ſuos*: reddénsque rationem ſubjungit: *quia Filium DEI diſcerno in eis, & Domini mei ſunt.* En reveretur in VOBIS Seraphicus Pater Fi-

Filium DEI, reveretur VOS ceu Dominos. Et quid aliud Fratri Minorum minimo faciendum, quàm ut exemplum ſui Seraphici Patris ſecutus in perpetuum obſervantiæ ſpecimen VOBIS ceu Dominis ſuis hoc qualecunque opuſculum, omni, qua par eſt, reverentia, ac humilitate inſcriberet, ac inſcribendo dedicaret? Armamentarium illud Eccleſiaſticum intitulo, arma ſpiritualia, & fortiſſima, ad inſultus diabolicos elidendos, & feliciter ſuperandos, continens; Et vel ideò VOBIS ceu Zeloſiſſimis animarum Paſtoribus omni jure debitum: Paſtoris quippe officium eſt, oves ſibi concreditas non paſcere ſolùm, ſed & aſſumptis armis à lupi voracitate protegere, ac protegendo defendere. Paſtores animarum VOS revereor, & cum Seraphico Patre meo Filium DEI in VOBIS diſcerno: VOS enim ad imitationem Chriſti ſtudioſo labore, & laborioſo conatu ad juſſum & exemplum magni Patriarchæ veſtri S. Petri *gregem Domini, qui in vobis eſt, paſcitis* 1. Petri 5. & paſcendo zeloſiſſimè defenditis, curatísque ſedulò, ut univerſo mundo Etymon veri Sacerdotis in Vobis reluceat, dum ſacra docetis nunc de ſuggeſtu, jam in S. Tribunali, nunc in Converſatione, quin & exemplo ipſo; Sacerdos enim idem eſt, ac

Sacra docens: Unde benè ego cum Esdra L. 2. c. 5. de Vobis affirmo: *Steterunt Sacerdotes habentes ſtolas cum tubis.*

Si vigilantiam, potiſſimum Paſtoris boni munus, ſpectavero, ea in VOBIS non modò de die, ſed etiam intempeſta, ac obſcura nocte refulget clariſſimè; ſit infirmus, ac vacillans in virtutis ſemita, agitetur hic vel ille perturbatis cogitationibus, mentísque anguſtiis, ſit pronus ad peccandum, nox non obſtabit, quin eundem à peccando impediatis, & in bono veſtris exhortationibus conſolidetis. Sit quis ægrotus per culpam, ô quàm zelosè ſatagitis eundem ſanare inducendo ad pœnitentiam? nullam occaſionem elabi ſinitis, moræ omnis impatientes, ut frater veſter ſanetur. Si compertum habetis aliquos per impatientiam, aliósque paſſionum motus eſſe confractos, quàm ſollicitè domus eorum hinc inde viſitatis conſolendo eos erecturi? taceo quam operam impendatis, ſi quam de veſtris ovem in deſperationis profundum cecidiſſe intelligitis; eam enim nunc ſolerter reducitis ad ſpem ſalutis ſuavi colloquio, modò fundatis rationibus ei ex DEI Miſericordia veniam promittiis, quin & exemplis adductis eò promovere tentatis, ita, ut de

VO-

VOBIS verè coram mundo declamari possit illud 2. Paral. 35. *Steterunt Sacerdotes in officio suo.* Statis de die, statis de nocte, statis tempore felici, statis in adversis semper Sacerdotes, nempe sacra dantes, utpote quovis tempore & statu etiam periculosissimo Ecclesiæ Sacramenta ministrare, quin & animam pro ovibus dare paratissimi.

Denique si Sacerdos etymologizatur *sacer Dux*, an non VOS estis Duces, de quibus Dominus 2. Reg. 7. dicit: *elegi te, ut esses Dux super populum meum Israël.* Sunt Fideles electus Dei populus Israël, quem VOS & exemplo præitis arietis instar, qui ut Dux gregem ovium præcedit Scriptura teste. Estis sacri Duces; cùm tam in ingressu vestræ Pastoralis curæ, quàm in progressu ejusdem populum DEI Israël Vobis commissum non solùm verbô, sed & opere consolemini illo Prov. 4. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*: Ducitis populum DEI VOBIS concreditum cum omni sollicitudine ad Pascua æterna, &, ut securiùs pertingant eò, constanter vigilatis, ut nunc hinc, jam illinc hostium infestatio ar-

ceatur, inter quos facilè primus à nobis diabolus habetur, qui nunc laqueos tendit, jam lapsus parat, nunc foveas fodit, jam aptat ruinas, nunc stimulat corpus, jam animas pungit, nunc cogitationes suggerit, jam iras immittit, nunc virtutes dat odio, jam vitia ducit amori, nunc errores serit, jam discordias nutrit, nunc pacem turbat, jam effectus dissipat, nunc humana violat, jam etiam divina tentat, imò semper hominis inimicus non modò absens, sed sæpè etiam humano corpori assistens, quin & insidens, & obsidens illud, contra quem proin Vos sacri Duces vestras audacter exeritis vires, animantes vosmetipsos verbis Thimothei & S. Pauli: *non enim dedit nobis DEus spiritum timoris, sed virtutis.* 2. Tim. 3. Ordo enim Exorcistatûs à Vobis receptus, frequénsq; in S. Scriptura DEI promissio Vobis non modò tribuit facultatem dæmonibus imperandi, sed & omnimodam potestatem eos è corporibus ejiciendi.

Accipite igitur hoc levidense gratitudinis debitæ, honoris, & observantiæ meæ testimonium, præsidiisque vestris tegite, & nihil Censuram Catonum reformidabit, si modò Vobis probatum esse innotuerit; cum quo

quo tenui opusculo perennem Vobis in terris felicitatem precor, & denique, cùm apparuerit Summus ille Princeps Pastorum, ab Eodem percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. Ita nomine totius Provinciæ Antoniano-Bavaricæ ex Animo precor, voveóque.

Reverendissimarum,
Admodùm Reverendarum,
Nobilium, Clarissimarum,
Excellentissimarum Dominationum Vestrarum

Servorum infimus

Fr. Ubaldus Stoiber,

Franciscanus.

)(5 Appro-

Approbatio Ordinarii.

Imprimatur. Sign. Frisingæ,
die 24. Maj. 1725.

Jo Sigismundus, Episcopus
Bellinensis, Suff. & Vicarius
Generalis.

Approbatio Censoris.

QUoniam hoc Armamentarium armaturam fortium contra hostes maximè invisibiles subministrat, dignum censeo, ut ope clavis typographicæ Christiano militi referetur.

Aug. Vindel. 19. Nov. 1725.

Franc Joseph. de Handl,
SS. Th. Lic. Rev, & Seren.
Princip. & Epis. Aug. Consil. Eccles. Maj. Pœnitent. &
Librorum Censor.

Licen-

Licentia Ordinis.

FRater Laurentius à S. Laurentio, Lector Jubilatus, Sacræ Congregationis Indicis Consultor, Supremæ, & Universalis Inquisitionis Qualificator, Examinator Cleri Romani, Sacri Montis Sion Ex-Guardianus, & totius Ordinis S. P. Nostri Francisci Minister Generalis, & servus.

Dilecto nobis in Christo Patri Ubaldo Stoiber nostræ Reformatæ Provinciæ Bavariæ Concionatori, & SS. Theologiæ Lectori salutem & Seraphicam benedictionem.

Cùm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit volumen quoddam à Te compositum, & collectum, cui Titulus *Armamentarium Ecclesiasticum*, tenore præsentium ad salutaris obedientiæ meritum facultatem Tibi impertimur, quatenùs servatis servandis illud typis mandare possis. Vale. Datæ in Conventu nostro SS. Crucifixi Nemoris 20 Octobris 1725.

Fr. Laurentius à S. Laurentio
Minister Generalis.

De mandato suæ Reverendissimæ
Paternitatis

Fr. Egidius à Filaciano,
Secret. Generalis.

Li-

Licentia

A. R. P. Ministri Provincialis.

Cùm liber *Armamentarium Ecclesiasticum*, intitulatum à M. V. P. Ubaldo Stoiber, Lectore Theologiæ compositus, à Theologis revisus, & approbatus sit, nos quoque, ut typis mandari valeat, hisce facultatem impertimur. Actum Monachii 6. Novembr. 1725.

Fr. Sigismundus Neüdecker
Ord. Min. S. Francisci Reform.
Lector Jubilatus, Provinciæ Bavaricæ iteratò Minister Provincialis.

Censura Theologica.

PRæsens *Armamentarium Ecclesiasticum* non solùm conforme existit principiis S. Scripturæ, SS. PP. ac Ritualium Diœcesanorum, verùm etiam ex eo plurimi æstimandum est, quia Auctor ejusdem talia illic arma spiritualia reposuit, quibus ipsemet antecedenter in praxi usus, hostium infernalium assultus frequenter repulit, ac divinâ assistrice gratiâ feliciter repressit non sine eximio animarum fructu. Quare cùm non paucis adhuc à maligno spiritu vexatis similem eventuram esse utilitatem existimem, si ab aliis quoque hæc arma spiritualia firma fide, & magna in Deum fiducia, invocato Sanctissimo Nomine JESU, ex dicto

dicto Armamentario depromantur; hinc dignissimum censeo, ut id beneficio præli Bono publico magis innotescat. Actum Monachii die 26. Septemb. 1725.

Fr. Massæus Kreslinger.
Provinciæ Pater, & Lector Jubilatus.

Censura Theologica.

ARma spiritualia, ad insultus diabolicos tam in Energumenis liberandis, & maleficiis extirpandis, quàm domibus, aliisque locis à spectris infernalibus expurgandis, elidendos, ac feliciter superandos fortissima à M. V. P. Ubaldo Stoiber Ord. Min. S. P. Francisci Reform. Provinciæ Antoniano-Bavaricæ SS. Theologiæ Lectore in suo *Armamentario Ecclesiastico* ad utilitatem omnium animarum Pastorum ex ipso S. Scripturæ fonte, SS. PP. ac probatis Auctoribus zelô Seraphicò fundamentaliter elaborata, & speciali Superiorum mandato, accurata, & indifferenti diligentia perlustrando omni ex parte verè probata inveni. Nec dubitandum, quin ista arma spiritualia non solùm Exorcistatûs Ordine initatis, verùm etiam cuilibet Christiano contra omnes diaboli versutias optimè conducant, dummodò his accincti debitè, prudenter, & cautè in iisdem applicandis incedant, assumendo præsertim *Scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritûs*, ad Eph. 6.

Quare

Quare hoc Armamentarium Ecclesiasticum abundanter instructum aperiatur fortissimis Christiani Nominis Athletis per typum publicum, meticulosis verò Exorcisticæ stationis desertoribus claudatur. Datum Frisingæ 30. Sept. 1725.

Fr. Stanislaus Karg,
Lector Jubilatus, &
SS. Canonum actualis.

Facultas
A. R. P. Ministri Provincialis.

EGgo infrà scriptus virtute Privilegii Cæsarei, quo cautum est, ne Libri, à nostri Ordinis Patribus editi, imprimantur, aut distrahantur intra S. R. Imperii &c. fines absque assensu & facultate dictorum Patrum, permitto, ut liber, cui titulus est: *Armamentarium Ecclesiasticum*, à R. P. Ubaldo Stoiber Ord. Min. S. P. Francisci Reform. Lectore Jubilato, & SS. Canonum Actuali compositus, à Nobili Domino Joanne Gastl Bibliopola Ratisbonensi suis sumptibus & expensis de novo imprimi curetur, ac distrahatur, idque pro quarta illius editione. Actum Ratisbonæ ad pedem Pontis in Conventu nostro Stigmatizato S. P. N. Francisco Sacra, 14. Martii 1744.

(L.S.)

Fr. Landelinus Mair,
Minister Provincialis.mppr.

Ad

Ad Lectorem.

SI unquam sine fuco veritatis illud Eccl. 1. usurpari potuit: *Cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*, hìc certè, dum de dæmonibus sermo fit, fatendum est, summam adesse difficultatem; quot enim frustra per plures horas, dies, imò integros menses, & annos fatigati, ut vel unum liberarent energumenum? quot exorcismos dictos fortissimos, atque efficacissimos congesserunt, ut difficultatem, si non tollerent, saltem alleviarent? quæ tamen non paucis in hodiernum usque diem tanta videtur, ut eandem pertimescentes, potestatem suam in Ordine Exorcistatûs acceptam cum dedecore sepelire potiùs, quàm ad dæmones coërcendos usurpare velint. Sed quid inde aliud sequitur, quàm tripudium, & plausus dæmonum, miserabilis oppressio hominum pretioso sanguine JEsu Christi redemptorum? quid aliud, quàm subsanatio heterodoxorum illud Marci ult. objicientium: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine*

mine meo dæmonia ejicient. Quare justâ, uti arbitror, commiseratione commotus, præsens Armamentarium Benevolo Lectori offerre volui, ut inde animum, & arma sumat, infernales coërcendi hostes, oppressos liberandi, atque hæreticis non solùm subtilibus argumentorum rationibus, sed & opere ipso demonstrandi nostram Fidem Catholicam supra firmam petram fundatam, adhuc consistere inconcussam. Metuo tamen, ne præsumptionis, & temeritatis reum me arguas, cum arma tam fortia adpromitto, imò in progressu dicenda infallibilia ad dæmones ejiciendos: verùm arguere desines, si omnia in S. Evangelio, ceu fonte veritatis inexhausto fundata, vel eidem saltem summè conformia deprehenderis. Unum ergo supereſt, quod Benevolum Lectorem precor, nolit præcox ferre judicium, nisi priùs omnia ritè legerit, omnia ritè perpenderit, imò opere ipso comprobârit. Cæterùm si Armamentarium præsens (quod totum Censuræ S. Matris Ecclesiæ subjicio) bona aliqua, arma fortia, & convincentia continere reperis, soli DEO adscribe, *à quo omne datum optimum, & omne datum perfectum desursum est.* Jac. c. 1. si verò aliqua minùs benè dicta, aut obscurè tradita, tenuitati scribentis attribue, & vale.

Elen-

Elenchus Capitum, & Quæstionum.

Caput primum.

De Ordine Exorcistatûs, & Exorcismis in Genere.

Q. 1. Quid sit Ordo Exorcistatûs, quáve potestate, & jurisdictione præditus esse debeat Exorcista? fol. 1.

Q. 2. Quænam causæ concurrant in hoc Ministerio, & quinam defectus, præsertim ex parte materiæ, & formæ interveniant? fol. 6.

Q. 3. Quotuplicis generis sint Exorcismi, & præcepta coercentia, & quænam circa ista cautelæ servandæ? fol. 12.

Q. 4. An Exorcismi ex opere operato infallibiliter suum sortiantur effectum? fol. 25.

Q. 5. Undenam proveniat, Exorcismos toties suo frustrari effectu? fol. 32.

Q. 6. Quæ causæ subsint, cur aliqui verè obsessi tam tardè, ac serò, tantisque adhibitis conatibus, alii verò facili negotio

in libertatem vindicentur? Item, quænam potissimùm sint personæ difficilis liberationis? fol. 39.

Q. 7. An Exorcismi, & præcepta sine omni prævie præhabitô signô formari quæant? fol. 48.

Q. 8. An, & quomodo energumenus vel maleficiatus seipsum liberare queat? fol. 50.

Caput secundum.

De quidditate, causis, & effectibus obsessionis, itémque de signis eam dignoscendi.

Q. 1. Quid, & quotuplex sit possessio, & obsessio dæmoniaca? fol. 59.

Q. 2. Quænam causæ, & quomodo concurrant ad veram, & realem obsessionem & maleficium? fol. 65.

Q. 3. Quas molestias soleant dæmones inferre hominibus tam obsessis, quàm possessis? fol. 74.

Q. 4. Super quos potissimùm homines dæmones potestatem suam tyrannicam exerceant? fol. 80.

Q. 5. Cur fœminæ frequentiùs, quàm viri possideantur, & à dæmone vexentur? fol. 88.

Q. 6. Quænam sint signa dignoscendi veram & realem obsessionem, & maleficium ab obsessione ficta, & imaginaria? fol. 95.

Q. 7.

Q. 7. An non malefici, & sagæ Exorcistæ omnes etiam præscriptas regulas observanti illudere queant? fol. 107.

Caput tertium.

De Viribus tam Exorcistæ, quam energumeno necessariis, vel utilibus.

Q. 1. Quibusnam virtutibus Exorcista præditus esse debeat? fol. 110.
Q. 2. Qualis sit illa fides, & fiducia requisita? fol. 115.
Q. 3. Ex quibus motivis fiducia hæc roborata desumatur? fol. 123.
Q. 4. Quos effectus in homine producat fiducia illa descripta? fol. 136.
Q. 5. Unde proveniat defectus veræ in Deum fiduciæ? fol. 137.
Q. 6. Ex qua virtute Parochi, Religiosi, aliique obligentur exorcizare energumenos? fol. 140.
Q. 7. De forti, & perseveranti patientia Exorcistæ necessaria. fol. 148.
Q. 8. De jejunio, & oratione. fol. 151.
Q. 9. De Humilitate Exorcistæ. fol. 156.
Q. 10. De charitate proximi, & zelo animarum Exorcistæ necessario. fol. 162.

Caput quartum.

De Interrogationibus in genere, & in ſpecie formandis; aliisque erroribus vitandis.

Q. 1. Utrum locutio diabolo permitti poſſit, & qualis ejus ſermonibus fides adhibenda? fol. 165.

Q. 2. An adjurare dæmonem modô deprecativô vel interrogare de inutilibus, vanis, curioſis, & nocivis, ſemper ſit peccatum mortale? fol. 170.

Q. 3. Quænam ſint interrogationes neceſſariò, vel utiliter formandæ? fol. 175.

Q. 4. Quænam ulteriores interrogationes ſint faciendæ, vel omittendæ? fol. 183.

Q. 5. An licitum, vel utile ſit, quærere à dæmone, quis ſit eorum Princeps, atque huic præcipere, ut inferiores dæmones inobedientes excruciet, eosdèmque ſecum educat? fol. 192.

Q. 6. An Exorciſta poſſit dæmonem excommunicare, in deſertum relegare, vel in ſtagnum ignis, & ſulphuris mittere? fol. 196.

Q. 7. An, & quomodo liceat Exorciſtæ medicinas præbere energumenis, & maleficiatis, vel chyrurgi munere fungi? fol. 201.

Q. 8. An poſſit Exorciſta fictionibus uti, energumenum flagellis vexare, opprobriis dehoneſtare? fol. 206.

Q. 9.

Q. 9. An liceat Exorcistæ annuere dæmoni offerenti egressum ex homine, si ipsi permittatur in alium ingredi? fol. 210.
Q. 10. An expulso uno dæmone omnes expellantur? fol. 216.
Q. 10. Per quot horas Exorcismi continuandi, & quale signum exitûs diabolici petendum? fol. 218.

Caput quintum.

De remediis generalibus Energumeno necessariis, vel summè proficuis.

Q. 1. Quantæ efficaciæ sint septem Ecclesiæ Sacramenta contra dæmones? fol. 223.
De Baptismo. fol. 224.
De Confirmatione. fol. 230.
De SS. Eucharistia. fol. 232.
De Sacrificio Missæ. fol. 241.
De Pœnitentia. fol. 243.
Q. 2. Quantæ efficaciæ sint Sacramentalia ab Ecclesia instituta contra dæmones. fol. 246.
De Cruce. fol. 248.
De aqua benedicta. fol. 253.
De formis cereis, seu Agnis DEI. fol. 255.
De Reliquiis Sanctorum. fol. 257.
De Imaginibus Sanctorum. fol. 259.
De Pane, & Oleo benedicto. fol. 263.
De Suffumigio benedicto. fol. 264.

De Amuletis. fol. 269.
De Schedulis Marianis. fol. 271.
De Cultu B. V. Mariæ. fol. 278.
De Cultu SS. Angelorum, aliorúmque Sanctorum. fol. 281.
Q. 3. De Remediis particularium personarum, quæ sunt difficilioris liberationis. fol. 285.
Remedia pro energumeno in peccatis inveterato. fol. 286.
Remedia pro possessis, vel vexatis à spiritu incubo, & succubo. fol. 288.
Remedia pro possessis ab infantia, vel à pluribus Exorcistis frustra exorcitatis. fol. 293.
Remedia pro personis perfectioni Christianæ (ùt putant) vacantibus, & à diabolo possessis. fol. 294.
Remedia pro personis duræ cervicis à diabolo possessis. fol. 297.

Caput sextum.

De dispositione proxima personæ energumenæ, nec non de actuali expulsione dæmonis, & præservatione personæ liberatæ.

Q. 1. Quid faciendum Exorcistæ, si quædam persona energumena coram eo compareat? fol. 298.

Q. 2.

Q. 2. Quomodo practicè energumenus instruendus sit erga Deum, & quibus ex signis dignoscendum, eum esse verè probatum? fol. 301.

Q. 3. Quomodo vexatus instruendus sit erga Exorcistam, & quomodo dignoscendum, eum esse benè probatum? fol. 309.

Q. 4. Quomodo vexatus instruendus sit adversus dæmones, & quomodo dignoscendum, eum esse verè probatum? fol. 312.

Q. 5. Quomodo vexatus instruendus sit erga se ipsum, & quomodo dignoscendum, eum esse benè probatum? fol. 315.

Q. 6. Quomodo dæmon Exorcistæ resistens sit coërcendus. fol. 318.

Q. 7. Quomodo vexatus possit, & debeat declinare, & reprimere vexationes diabolicas? fol. 324.

Q. 8. Quænam sint speciales suggestiones, quibus dæmon energumenum in actu liberationis invadere solet? fol. 326.

Q. 9. De actuali expulsione dæmonis. fol. 328.

Q. 10. Quænam sint causæ regressûs diabolici, seu iteratæ possessionis? fol. 340.

Q. 11. Quænam sint communiores suggestiones, & tentationes, quibus dæmon quærit regressum? fol. 342.

Q. 12.

Q. 12. Quæ sint remedia à dæmonio liberatum præservandi? fol. 347.
Remedia circa Exorcistam. fol. 350.
Remedia in ordine ad dæmonem Ibid.
Q. 13. Quid Exorcistæ faciendum cum eo, qui post liberationem iteratò à dæmone possidetur. fol. 353.
Q. 14. Quomodo in defectu temporis energumenus, vel maleficiatus sit tractandus, & liberandus? fol. 356.

CA-

CAPUT PRIMUM

De Ordine Exorcistatûs, & Exorcismis in genere.

Quæstio prima.

Quid sit Ordo Exorcistatûs, quâve potestate, & jurisdictione præditus esse debeat Exorcista?

MOdos exorcizandi primitùs à Salomone esse adinventos, refert Josephus apud Durandum in Rationali Div. Officiorum *l. 2. cap. 6.* quibûs immundi spiritus ab homine obsesso per Eleazarum Exorcistam pellebantur, ita ut reverti ulteriùs non auderent. Huic Officio mancipati, Exorcistæ nuncupati sunt: exorcismus enim græcè, latinè adjuratio, seu increpatio vocatur: unde Exorcista diabolos adjurans, & increpans dicitur: Quia verò temporibus Christi Domini, cessante lege veteris Testamenti, etiam exorcismi Salomonis suam amiserunt vim, & efficaciam, quin diaboli homi- N. 1.

nes vexare destiterint, ipsemet Salvator noster primitùs officium Exorcistæ assumere, aliósque instituere dignatus est, præscribens in sancto Evangelio suo formam, modúmque facillimum, efficaciſſimum simul ac infallibilem dæmones è corporibus tum energumenorum, tum maleficiatorum expellendi, quem proin, ut in S. Evangelio fundatum sequendo trademus. Quare sit.

N. 2. Conclusio I. *Exorcistatus est Ordo, seu Sacramentum novæ legis, quo traditur ordinato potestas dæmones increpandi, illósque ab hominibus, & è rebus ad homines spectantibus expellendi.* Ita communis. Et facilè patet vel ipsos terminos penetranti. Dicitur tamen *ordinato*: ad denotandum, Laicis hanc non competere potestatem. can. *non oportet: dist. 69.* Quare, etsi sæpè Laici invocando SS. Nomen JEsu dæmones expulisse historiis fide dignis referantur, id tamen non potestate exorcistica, & speciali, sed propter fidem inhabitantem ex gratia gratis data, atque ex potestate generali fecerunt ob promissum divinum Marc. ult. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient.*

Etsi autem omnes Exorcistæ hæc polleant potestate, præsente tamen Presbytero hanc usurpare ex communi Ecclesiæ praxi, aliásque ob rationes (quas brevitatis gratiâ omitto) non præsumant.

Con-

Conclusio 2. Exorcista, ut ritè, & utiliter suo fungatur Officio, potestate Ordinis, & jurisdictionis, vel ordinariæ, vel delegatæ præditus esse debet. Ita denuò communis. Et quidem de potestate Ordinis nulla est difficultas; cùm mox *num. præc.* dictum fuerit, hanc potestatem solis, & omnibus convenire Ordine Exorcistatûs insignitis. De jurisdictione patet ex paritate de SS. Sacramento Pœnitentiæ; sicut enim absolutio à peccatis est actus judicialis, ita expulsio dæmonis è corpore; velut ergo absolutio à peccatis dari nequit, nisi sibi aliqua ratione subdito, ita neque expulsio dæmonis, ut tradit ex communi noster Brognolus in Manuali Exorcist. *p. 1. art.* 1. Quis verò, vel quando habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam? Materiam de Sacramento Pœnitentiæ percurre, atque pariformiter discurre. Pro praxi. N. 3.

Inferes 1. Etsi de jure communi omnes Exorcistæ in prima Ordinatione sua jurisdictionem acquirant; cùm nulla universalis prohibitio ipsis facta reperiatur: jure tamen particulari plurium Episcoporum provide disponitur, ne quis sine eorum licentia etiam in scriptis obtenta obsessos exorcizare præsumat. N. 4.

Nequeunt tamen Episcopi *regulariter* prohibere Clericis sibi subditis omnibus, etiam debitè qualificatis exorcizare dæmo- N. 5.

nes in corporibus obsessis, si licentiam humiliter petant. Ratio clara est; quia jure naturæ simul & divino Clerici obligantur, ùt clarè tradidit Christus dicens: Luc. c. 13. v. 15. & 16. *Unusquisque vestrûm sabbatho non solvit bovem suum, & asinam à præsepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Sathanas - - non oportet solvi à vinculo isto die sabbathi?* Quare nisi Clerici improvidè ac cum scandalo exorcismos adhibuerint, eis sufficienti doctrina, aliisque qualitatibus præditis jurisdictio denegari nequit; nam *indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.* Reg. 17. Juris in 6. Imò universaliter beneficium Juris nemini est auferendum, nisi in jus ipsum peccaverit. arg. *L. 4. ff. si quis condemnatus ff. de re judicata.* Dixi *sufficiens doctrina* &c. quia utilissimum est, Exorcistas volentes incumbere officio suo, priùs examinari de modo, & formulis adhibitis, ne secùs cum scandalo pusillorum tum semetipsos, tum potestatem exorcisticam ludibrio exponant, velut frequens testatur experientia.

N. 6. Inferes 2. Regulares exemptos posse energumenos ad se adductos exorcizare etiam sine licentia ab Episcopo petita. Ita Diana *P. 3. resol. moral. tract. 2. de dubiis Regul. resol. 36.* Brognolus in speculo Clericorum *tract. 16. c. 6. num. 28.* Portel, Bordonus, Lezana, Pellizarius, aliique quam responsionem à Prospero Fagnano

S. Con-

S. Congregationis super negotia Episcoporum, & Regularium Secretario se accepisse testatur cit. Prognolus. Prob. *tum* quia *cap. nimis prava, de excessibus Prælatorum* expresè definitur, Regulares non teneri constitutionibus Episcopalibus. Quod idem habetur *Clem. 1. eod. Clem. 2. de censibus*, ac novissimè per Constitutionem Gregorii XV. quæ incipit *inscrutabili*. Etsi enim aliqua in dictis Decretis excipiantur, in quibus Regulares Ordinariis subsunt; quia tamen usus exorcizandi in suis locis propriis non excipitur, intelligitur concessus conformiter illi, quòd exceptio firmet regulam in contrarium. *Tum* quia ideo Regulares sæcularium confessiones sine licentia Episcopi audire nequeunt, quia de Jure Trid. *Sess. 23. cap. 15. de Reform.* ab Episcopis approbari debent: ergò à contrario, quia nullibi indicatur necessaria approbatio pro usu exorcistico, pro eodem nulla licentia Ordinariorum necessaria erit. Quare licèt Episcopi sub pœnis usum exorcismorum sine sua licentia prohibuerint, iis contravenientes Regulares exempti non subjacent.

(✠)

Quæstio secunda.

Quænam causæ concurrant in hoc Ministerio, & quinam defectus, præsertim ex parte materiæ, & formæ interveniant

ADvertendum, in præsentiarum non inquiri de causa efficiente, materiali, & formali Ordinis Exorcistatûs, prout Sacramentum est, utpote de quo satis dicit P. Reiffenstuel in Theol. Mor. *Tract. 14 dist. 12. Q. 2. n. 20.* sed de ipso exorcistatûs ministerio, seu exorcismo applicando, prout in virtute recepti Sacramenti suum producit effectum: non enim exorcismus ipse est merum aliquod Sacramentale ab Ecclesia institutum, neque est verum Sacramentum infallibiliter gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum significans, sed est aliquid in virtute Sacramenti ex institutione divina, atque ex opere operato infallibiliter illum producens effectum, ad quem finaliter producendum est institutum Sacramentum Exorcistatûs. Licèt enim Ecclesia Exorcistis certos tradat exorcismos in Ritualibus passim comprehensos: revera tamen formam essentialem in SS. Nomine JESU exorcizandi obsessos ex S. Evangelio, consequenter ùt à Christo institutam desumit. Quare sit.

Con-

Conclusio 1. Causa efficiens principalis muneris Exorcistatûs est DEus, causa verò instrumentalis, seu Ministerialis est exorcista. Ita Brognolus *part. 1. c. 1. a. 1. n. 12.* alios referens; & patet ex S. August. *lib. 1. de vita beata* dicente: *Exorcizare est per divinam virtutem immundum spiritum adjurando expellere*: ergo Exorcista non in persona propria, sed in nomine, & virtute Christi dæmones adjurando expellit, quod confirmari posset ex obviis passim exorcismariis, in quibus Exorcista non nomine proprio, sed in Nomine, & virtute Christi adjurat dæmones. N. 7.

Defectum ex parte causæ principalis nullum esse, in confesso est: ex parte verò causæ instrumentalis frequentes, quorum aliquos hìc breviter recenseo. Imò quando non firmiter credit Exorcista, potestatem suam esse à Christo sibi in ordinatione traditam, cui nullus dæmonum resistere potest, si obsessus sit etiam bene dispositus. 2dò. cùm credit vim exorcismorum inniti sanctitati Ministri, non virtuti divinæ. 3tiò credens, Deum plerumque sinere dæmonem in sua voluntate, an obedire velit, nec ne, consequenter non nisi per varias comminationes, excommunicationes, immissiones in stagnum ignis, & sulphuris expellendum, turpiter aberrat. 4tò confugiens ad dæmonum principem, ut ipse sua virtute expellat reliquos; cùm sola virtute N. 8.

divina expellere deberet. Sto ex parte intentionis, & fidei Theologicæ gravis contingit error, dum credunt exorcistæ, multos dies, menses, & annos ad expellendos dæmones requiri, multa balnea, unctiones, fumigationes &c. debere adhiberi &c. vel enim primô exorcismô intendunt expellere, vel non intendunt? si primum, frustra putant dæmonem primùm per exorcismos multis diebus continuatos expellendum. Si non intendunt, per se defectuosi sunt. Plura de his vide infrà cap. 4.

N. 9. Conclusio 2. Causa formalis, seu forma una est proxima, altera remota. Forma propinqua est ipsa prolatio verborum super debita materia, remota sunt ipsa verba indicata à Christo Marci ult. *In Nomine meo dæmonia ejicient.* Ita debet esse communis ob Scripturæ verba, pari certè claritate, si non majori, specificata, quàm formæ aliorum Sacramentorum. Similem etiam verborum formam Apostolos, & Discipulos usurpâsse, habetur Luc. 10. *Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo.* Et Paulus Act. 16. à puella Pythonem spiritum ejiciens dixit: *Præcipio tibi in Nomine JEsu exire ab ea, & exiit eadem hora.* S. Petrus similiter teste S. Clemente hac forma utebatur: *Non curo, quomodo intraveris, sed ut exeas, impero in Nomi-*

Nomine JEsu Christi. Sic S. Joannes Evangelista: *Interdico tibi in Nomine JEsu Christi Nazareni, ne ultra hìc habites.* Item: *In Nomine JEsu Christi hinc exite, nunquam redituri.* Sic & alii Sancti passim, ùt legitur, præsertim in vita B. Jacobi de Marchia.

Defectus plurimos circa formam ita clatè in Evangelio expressam committi, exorcismaria ipsa diversa testantur. 1mò etenim relictâ formâ communi ab ipso Christo traditâ, & ab Apostolis, aliisque viris sanctis usurpatâ, quilibet pro genio suo novos adinvenit, & componit exorcismos, vocatos efficaciissimos, potentissimos, in quibus miræ imprecationes, excommunicationes, comminationes, immissiones in stagnum ignis, & sulphuris &c. reperiuntur. Et certè prudens Exorcista mirabitur, homines illos simplices excommunicantes dæmonem, qui nunquam participat quidquam de corpore fidelium: mirabitur comminationes gravissimas dæmonibus factas, cùm minora efficere nequeant; minùs etenim est expellere, quàm in stagnum ignis immittere. 2dò defectum notabilem committunt, malè putantes Exorcismos ordinariè per 5. 6. &c. horas continuandos, & repetendos: hoc quippe ceu inutile meritò rejicit sæpè laudatus Brognolus in Manuali Exorcismorum; tum quia est contra modum Evangelicum à Christo præscriptum, & ab Apostolis N. 10.

usurpatum. Tum quia vel habet intentionem per primum Exorcismum dæmones fugandi, vel non habet? si habeat, prout revera habere præsumitur, falsò credit dæmonem pro illo instanti nondum ejiciendum, sed per aliquot horas expectandum: si non habeat, ipso facto aquam verberat, dum ore mandat exitum, corde negat. Appositè certò S. Cyprianus tract. 4. de idol. vanit. *Dæmones vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat.* Si ergo credere potes per unicum præceptum in SS. Nomine JEsu factum, potestate divina ejiciendum dæmonem, exibit pro certo, quia omnia possibilia sunt credenti. *Marc. 9. v. 22.* Si porrò tardior fis in credendo, tardiùs ejicies; imò per 6. fortè horas Exorcismos continuabis, & vix speratum effectum videbis. Atque hinc, ut facilè ominari licet, Ecclesia ceu pia Mater connivet, ut per plures quandoque horas continuentur exorcismi, non tanquam absolutè necessarium, sed tanquam utile ad fidem magis roborandam. Videns quippe Exorcista dæmonem gladio exorcismorum torqueri, majori roboratur fide, ad eundem successivè tandem totaliter ejiciendum.

Tertius notabilis defectus ex parte formæ contingit, dum dæmonem patrem mendaciorum ante interrogant, ut edicat, *quibus verbis magis crucietur, quinam sint Sancti in cælo, & quinam dæmones in inferno sibi*

bi magis inimici, quibûs verbîs apertè à forma Christi recedunt, séque discipulos diaboli constituunt ab eo petentes instructionem necessariam.

Alius adhuc, & quartus defectus continetur passim in exorcismariis, dum adjurantur dæmones per beatissimam Virginem SS. Angelos &c. ita, ut integros longissimos exorcismos contineant, totaliter à forma à Christo tradita abstrahentes; & tales ex opere operantis quandoque suum consequi effectum, compertum est. Plures defectus vide infrà de interrogationibus formandis.

Concluſ. 3. Causa materialis, seu *materia, circa quam* remota est ipse diabolus expellendus; propinqua est ipsa passiva dæmonis expulsio, cooperante obsesso, aut maleficiato, si rationis capax est per actus liberi arbitrii in decursu magis explicandos. Ita Brognolus *p. 1. c. 1. a. 1. n. 13.* Ratio patet, quia tota forma dirigitur ad dæmonem expellendum, & ad passivam liberationem energumeni: ergo &c. Dicitur notanter *cooperante obsesso &c.* sicut enim baptizandus adultus ante Baptismi susceptionem circa credenda priùs instrui, & absolvendus, priùs dolorem & propositum elicere debet, ita liberandus per fidem & fiduciam in DEum disponendus est: sic enim non legitur Christus aliquem liberâsse, nisi fide interpositâ, ù. videre est in Evangelio passim. N. 11.

De-

N. 12. Defectus ex parte materiæ notantur sequentes 1. exorcizare aliquem, de quo non constat ne quidem probabiliter, esse possessum, vel maleficiatum; hoc enim est graviter prostituere Ordinem exorcisticum; quare cautè procedentes Exorcistæ bene memoriæ imprimant signa infra *cap. 2. q. 5. posita.* 2. exorcizare personas certò quidem energumenas, nondum tamen prævidè per fidem, & fiduciam in DEUM dispositas. Quare nisi dæmon prævidè omnem obedientiam tum Exorcistæ, tum ipsimet personæ possessæ in Nomine JESU aliquid imperanti præstiterit, ad expulsionem, utpote non futuram, procedendum non erit.

N. 13. Concluſ. 4. Causa finalis ultimata est major Dei gloria, proxima verò ipsa liberatio obsessi. Ita patet cuilibet consideranti. Unde non licet Exorcistæ attentare quidquam ad expulsionem directè vel indirectè non necessarium vel utile, de quo in progressu plura dicentur.

Quæstio tertia.

Quotuplicis generis sint Exorcismi & præcepta coërcentia, & quænam circa ista cautelæ servandæ?

PRæceptum in ordine ad præsentem materiam aliud non est, quàm *mandatum, quo efficaciter adstringitur dæmon virtute*

virtute divina ad præstandam obedientiam Exorcistæ, ceu Ministro Christi, & Ecclesiæ. Neque hìc aliquid ab Exorcismo diversum importatur, etsi cæteroquin hîs pressius sumi soleat. H. N.

Dico 1. Exorcismi alii sunt scripti, alii N. 14. oretenùs prolati. Ita debet esse communis. Etsi enim scriptorum Exorcismorum S. Scriptura non meminerit, eorum tamen efficaciam authoritas Patrum comprobat, & experientia firmat. Scribit author vitæ S. Bernardi lib. 2. cap. 4. apud Surium tom. 4. de ipso sancto Bernardo, cui Papiæ degenti dæmoniaca fuerat oblata, quòd spes esset, meritis, atque patrocinio ejusdem liberandam. At dæmon mox viro sancto cœpit insultare: *Non me* (inquiens) *de anicula mea pelles, porculos edens, & brassicos devorans.* Tum Bernardus obsessam ad S. Syri Reliquias jussit adduci. Sed mox insolentior factus spiritus: *Non me Syrulus, non me Bernardus ejiciet*, clamabat. Reductæ ad se Bernardus: *Nec te Syrus, nec Bernardus ejiciet*, inquit, *sed Dominus noster JEsus Christus.* Et ad orationem conversus, impudentem spiritum ejecit. Marito domum reverso, iterum à spiritu invaditur mulier. Rursùs igitur ad Bernardum maritus. Denuò spiritum expellit Bernardus, & ne se discente tertiò mulierem ingrederetur dæmon, collo obsessæ hunc appendit exorcismum: *In Nomine Domini nostri JE-*

su

su Christi, præcipio tibi dæmon, ne hanc mulierem ingrediaris, & imposterum libera manſit.

Inductus authoritate, & exemplo S. Patris plures ſimiles in charta, atramentô, & calamô priùs benedictîs, conſcripſi exorciſmos, & felici ordinariè cum effectu: plures ſiquidem perſonæ à ſpiritibus tempore nocturno vexatæ exorciſmô in collo appenſo liberrimæ requieverunt: plures varios hinc inde in corpore dolores ſentientes, mox ut cuti corporis vexatæ exorciſmum ſcriptum admoverunt, omnem ſubitò dolorem amiſerunt, imò etiam domus à diabolo, vel maleficis infeſtatæ, ſimilibûs ſchedulis portæ, feneſtríſque affixis, ab omni infeſtatione, & ſtrepitu priùs audito, liberatæ ſunt. Hoc tamen pro praxi animadvertendum velim, ut pro diverſitate vexationis, vel infeſtationis, diverſi pariter exorciſmi ſcribantur. Sic ſi perſonam à ſtygibus tempore nocturno vexatam, liberare velis, ſequentem, vel ſimilem ſcribe exorciſmum: *In Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti præcipio vobis dæmonibus, ne imposterùm, ſive per vosmetipſos, ſive per Sagas, & maleficos ad nocendum introductos, huic creaturæ DEI quoquo modo nocere præſumatis.* Si domum infeſtatam imposterum ab omni infeſtatione liberam conſervare cupias, ſequentem ſcribe, atque feneſtris, & portis affige: *In Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti præcipio vobis dæmonibus,*

nibus, ne imposterùm sive per vosmetipsos, sive per Sagas, & maleficos domum hanc molestare, vel strepitus excitare præsumatis. Et sic de aliis similibus judicandum, & scribendum. Revertendo nunc ad Exorcismos vocales.

Dico 2. Quia duplicia sunt præcepta, quibus Exorcista potestates tartareas coërcere potest. Ita Brognolus *p. 3. c. 4. art.* 1. & patet inductione: Alia enim sunt communia, alia probativa, alia lenitiva, alia instructiva, alia denique expulsiva. N. 15.

Communia sunt, quibûs dæmon ad aliquid agendum; vel ab aliquo cessandum constringitur: v. g. dæmon impedit energumenum à loquela, progressu &c. tunc Exorcista dæmonem simili fermè præceptô constringit: *Ego N. ùt Minister Christi, & Ecclesiæ in Nomine JEsu Christi præcipio tibi dæmon, ne hanc DEi creaturam à loquela &c. impedias.* Est autem hoc præceptum toties formandum, quoties Exorcistæ necessarium, vel utile videbitur. Quinimò si dæmon per os energumeni blasphemet, aliis detrahat, &c. hoc præcepto constringendus erit ad revocandum, terram osculandam &c. quod subinde fieri congruè poterit leviter pede calcando caput obsessi, & ita præceptum formando: atque sic faciliter dæmonis superbiam vincet, & perfectè in omnibus subjugabit.

Probativa dicuntur, quibus Exorcista utitur ad probandum, an quis imaginariè

riè tantùm, fictè, vel verè & realiter sit possessus, aut maleficio affectus v. g. adducitur ad Exorcistam persona energumena, quam braviter secundùm inferiùs dicenda cap. 3. & cap. 6. in fide & fiducia instructam probat Exorcista: si enim sit ignara idiomatis latini (sed coram illa genuflexa, si possibile sit) præceptum Latino idiomate voce gravi & horribili efformet. Si verò gnara sit, illud efformet voce submissa taliter e. g. *Ego N. ùt Minister Christi & Ecclesiæ in Nomine JEsu Christi præcipio vobis spiritibus immundis (si aliqui estis in corpore istius creaturæ Dei) ut statim detis mihi aliquod signum evidens præsentiæ vestræ, causando in hac creatura Dei coram me aliquem ex illis doloribus, quem priùs me absente in ea efficere soliti eratis.*

Quodsi etiam patiens verè vexatus, atque prævie in fidè, ac fiducia aliqualiter saltem instructus fuerit, mox dæmon obedientiam præstabit, & tunc exorcista præcepto lenitivo præcipiet, ut à vexatione cesset. Si verò vexatus non sit, nullum pariter dæmon signum dare poterit, & tunc fictio personæ detegenda erit. Verùm, si unquam, hìc certè prudentia Exorcistæ necessaria erit, ne personam fortè verè vexatam, totaliter desolatam derelinquat, aut econtra à vera & reali vexatione immunem, exorcizando potestatem suam ludi-

ludibrio exponat, & scandalo aliorum. Quare sequentes poterit adhibere cautelas. N. 16.

Primò diligenter omnia indaget ex parentibus, aliisve notis, an non aliqua signa ex certioribus, & efficacioribus, vel probabilibus saltem, infrà cap. 2. Q. 5ta specificatis habere queat. 2dò. Cum eadem persona vexata pacificè, & mansuetè de miserabili suo statu colloquatur v. g. quandonam primitus simile malum senserit, & quomodo hucusque in præsentem diem sentiat. 3tiò. Hilari vultu, verbis compassione plenis eam soletur, eámque breviter in fide, & fiducia instruat, atque, si fortè ex indiciis saltem probabilibus colligeret, eam actualiter vexari, in loquela impediri, veluti frequenter contingit, eandem præceptô lenitivô adjuvet. 4tò. Moneat eandem, ut in privato probam certam possessionis capere velit, atque, si revera vexatur, infallibiliter futurum, ut dæmon sibi ceu Ministro Christi obedientiam præstet: nisi enim obsessus priùs fidem inhæsitantem conceperit, dæmon difficillimè obediet, utpote, cùm dæmones operenter in corpore obsessi magis vel minùs juxta perfectionem fidei, & confidentiæ in Deum majorem, vel minorem, ut suprà ex D. Cypriano Q. 2. n. 9. retulimus. 5tò Exorcista maxima fide firmatus, seu Judex à DEO delegatus sedeat, & modô suprà n. 36. præscriptô præceptum probativum pronum-

nuntiet: caveat tamen, ne hoc vel aliud præceptum formet, si vexatus sit aliqua passione turbatus; quia tunc mens patientis suggestioni diabolicæ attendens, nequi esse per fidem & fiduciam dispositа, quin imò, etsi sæpè se dispositos dicant, experientia tamen comprobat, esse perturbatione plenos: quare potissimum dispositionis signum ex vultu hilari, loquelâ promptâ &c. colligere poterit. 6tò, Si ad præceptum Exorcistæ se vexari fateatur, vel id aliunde appareat, Exorcista mox præceptô lenitivô contrarium efficiat, ut cesset à vexatione. Si verò fateretnr, se non vexari, non illicò dimittat eundem, sed præceptum vulgari idiomate pronuntiet, videátque, an non talî modô obedientiam præstet: quia tamen hoc signum dubium est; imò fictitium esse potest, Exorcista hoc non contentus, sed personâ verbis blandîs meliùs dispositâ, etiam latino idiomate prolatum superaddat. Quinimò jubere juvabit, ut eandem jam in hac, jam illa parte torqueat, jam sine nocumento in terram prosternat, omnia tamen intra terminos modestiæ, præsertim, si exorcizandæ sint alterius sexûs personæ &c. 7mò, Etsi decentiùs sit præcepta formare idiomate latino propter suam gravitatem, & elegantiam; habitâ tamen semel evidenti probâ de vexatione, meliùs erit probare linguâ maternâ, ut sic vexatus se magis conformare

formare queat. Sæpè enim evenit, ut patiens non intelligens præcepta ad alia distrahatur, vel omninò diabolicis tentationibus attendat: siquidem spiritus infernalis potissimùm sub formatione præceptorum aggredi solet patientem. Verùm iteratò ad principale intentum redeundo.

Præcepta *lenitiva* dicuntur, quibûs Exorcista utitur ad vexationes diabolicas coërcendas v. g. quando in præsentiâ Exorcistæ persona vel certò, vel probabiliter saltem energumena in phreneſin incidit, alióve modô vexatur, mox Exorcista fide plenus præceptum formet: *Ego N. ùt Minister Christi, & Ecclesiæ in Nomine, & virtute Domini nostri JEsu Christi præcipio tibi, diabolo, vel omnibus (si plures estis) qui vexatis hanc creaturam DEI, ut illicò ei nocere desinatis, neque ullam amplius eidem nocendi habeatis potestatem.* Interim, ut certiùs suum intentum consequatur, priusquam præceptum formet, vel breviter instruat, vel instructam de fide habenda moneat.

Præcepta *Instructiva* dicuntur, quibûs Exorcista demonstrat vexato dæmonis debilitatem, vilitatem, atque obedientiam, plurimúmque deserviunt ad radicandam energumeni fidem v. g. poterit Exorcista voce materna præcipere diabolo: *ut Minister Christi præcipio tibi in Nomine JEsu, ut leviter manum cruciet, in guttur ascendas, &c.* quò visô illicò super loco vexato

pollice crucis signum efformet, præcipiendo dicens: *Iteratò ùt Minister Christi præcipio tibi in Nomine JEsu, ut illicò cessès, &c.* hæc, ut dixi, præcepta plurimùm deserviunt; videns enim vexatus diabolum tantam præstare obedientiam, omnem illius vanum timorem excutit, summamque concipit fiduciam, eandem pariter præceptis expulsivis obedientiam præstiturum. Quinimò necessarium erit ipsum quoque patientem instruere, quòd dæmon sibi ipsi obedientiam præstare debeat ex promisso universali Christi Marci ult. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In Nomine meo dæmonia ejicient.* In quem finem modô præscriptô vexationem impetrare poterit, quam patiens signô crucis formatô ipsemet depellat. O quantum cordis tripudium, si vexatus viderit etiam sibi diabolum subjectum; vidi ego personas summè antecedenter contristatas etiam in risum solvi, & diabolo serò minitari, quòd locò vexationis sibi factæ par pari sint soluturæ: quod & feliciter contigit: ab illa siquidem hora nullam ampliùs poterat infernalis draco exercere tyrannidem, quam vexatus non subitò repressisset. Scio tamen aliquas personas in hoc fore valdè tardas, & rudes, ita, ut neque verba præceptiva formanda capiant, vel cæpta timidissimè pronuntient, atque ita sæpè magis vexentur:

tur: cui malo prudentia, & patientia Exorcista remedium afferet. Hinc

Deduces, quantum sæpè aberrent inexperti in arte exorcistica, qui audientes personam aliquam à dæmone possessam, vel videntes eam actualiter vexatam, mox Rituale suæ Diœcesis arripientes plures in summo fervore ad probam obsessionis faciendam, vel ad dolorem leniendum legunt Exorcismos, cùm tamen similes Exorcismi ad expulsionem duntaxat directt, nec verbo probam, vel lenimentum indicent, sed meram urgeant expulsionem, quam tamen miseri, inexperti Exorcistæ nec intendunt, minùs prudenter ob indispositionem sperare possunt. N. 17.

Præcepta denique *Expulsiva* sunt ea, quæ ad expulsionem dæmonum sunt ordinata, cujus genuinam & legitimam formam, modúmque formandi infrà Cap. 6. Q. 9. videre licebit. Cæterùm hoc præceptum nunquam formari debet, nisi obsessus comperiatur perfectè dispositus, & probatus. Si enim dæmon priùs punctualiter aliis præceptis inobediens fuerit, huic obedientiam minimè præstabit, atque ita eveniet, ut obsessus de sua liberatione desperans, fortasse vix amplius, aut non nisi difficillimè liberetur: erunt ergo hominis illius novissimi pejora prioribus. Quare homines ab aliis sæpè frustrà exorcizati, ordinariè valdè difficilis sunt liberationis.

N. 18. Dico 2dò. Præcepta expulsiva adhuc sunt multiplicia: alia enim secundum modum à Christo præscriptum fiunt paucis verbis in SS. Nomine JEsu, ùt suprà Q. 2. n. 11. dictum: alia fiunt, & continuantur per plures horas, & vix unquam genuinam essentialem formulam à Christo præscriptam usurpant. Alia fiunt in Nomine Beatissimæ Virginis MARIÆ, alia in Nomine SS. Angelorum. Porrò quinam ex tanta varietate Exorcismi usurpandi, quinam rejiciendi, altioris indaginis est. Interim nunquam forma Christi suprà Q. 1. n. 8. specificata recedendum erit, quàm clarè, & perspicuè continet Exorcismus infrà Cap. 6. Q. 9. ex P. Brognolo descriptus, qui proin omnibus cæteris præferendus erit, nisi Ritualia Diœcesiana jubendo proprios præscribant. Interim sine hæsitatione tenendum censeo, Exorcismos à forma essentiali Christi Domini abstrahentes, vel recedentes non causare suum effectum in persona Christi ex opere operato, sed ex opere operantis fidei Exorcistæ, & energumeni, atque per specialem intercessionem Sancti invocati, quod non rarò contingit: etenim, dum Exorcista omnem operam perdidisse videtur, cùm plures fortè dies in persona disponenda incassum insumpserit, adest repentè solamen miserorum omnium, invocata Beatissima Virgo MARIA, ita, ut dæmones ad imperium in Nomine B. Virginis MARIÆ fa-

factum non contremiscant solùm, sed cum timore, & tremore exulent, dantes laudem Beatissimæ Virgini voce horribili inclamando: *Virgo habet victoriam*, quod experientiâ ipsâ comprobatum vidi.

N. 19. Quæres 1mò, an modus iste præcepta formandi intelligendus veniat, tam de maleficiatis, quàm de obsessis, & extrinsecùs vexatis? R. affirmativè, si maleficium sit intrinsecum: etsi enim diabolus fortè non semper præsens sit, utì sit in maleficio, quod dicitur potestativum, ubi diabolus accedit, & recedit, ad præceptum tamen Exorcistæ, ceu Judicis sui legitimi illicò comparere, & obedientiam præstare debebit. Quôd si tamen maleficium sit extrinsecum v. g. in lecto, vestibus, sub ingressu domûs &c. similia præcepta inutilia forent: Interim, ut etiam hoc destruatur, necessarium non erit perquirere signa facti maleficii, sed incolæ domûs in fide instruendi, & more solito præceptum expulsivum formandum, ne dæmon ampliùs potestatem habere præsumat, vel istis, vel mediantibus aliis signis nocendi cuipiam: Ratio breviter est, quia signa ista nullam naturalem vim nocendi habent cuipiam: ergò diabolo excluso nocere nequibunt. Sed

Dices: diabolum vî pacti tamdiu à mago, vel saga cogendum, ut noceat, donec signa inventa comburantur, R. hanc planè

nè ridiculam, imò frivolam esse instantiam, vel enim dæmon ligatus est voluntariè, vel coactè? si voluntariè, haud dubiè recedere potest. Si coactè, quæro, à quo cogatur? si à saga, falleris, quia sicut sagam voluntariè simile pactum docuit, ita illud voluntariè servat. Si à se ipso, iteratò falleris, quia sua voluntate nemo ligatur. De quo specialiter plura, ubi de maleficiis in specie sermo erit. Pro complemento

N. 20. Quæres 2dò, quo potissimùm idiomate similia præcepta formanda? R. si per præceptum probativum, vel lenitivum habeatur certitudo veræ, & realis obsessionis, ita, ut nulla ampliùs deceptio timenda, eadem esse formanda idiomate vulgari, & materno; ratio est, quia ex parte personæ patientis vera fides, & fiducia, ceu essentialis dispositio requiritur: hæc autem longè faciliùs habetur augetur, & promovetur per idioma maternum: etenim si Exorcista ignoto idiomate multa imperet, persona patiens facilè non tantùm distrahitur, sed etiam ab hospite maligno ad aliena divertitur, ita, ut sæpè nil minùs, quàm de dæmone coërcendo cogitet. Quia nihilominus lingua latina sancta, & gravissima est, ordinariè in Exorcismo ultimato, & expulsivo usurpanda erit; cùm enim persona patiens eo tempore jam benè, imò optimè supponatur dispo-

sita, non ita facilè dæmoniacis sugge-

stioni-

stionibus, aures præbendo ad aliena divertitur.

Quæstio quarta.

An Exorcismi ex opere operato infallibiliter suum sortiantur effectum?

ADvertendum, Exorcismos debitâ formâ suprà Q. 2. n. 9. notatâ instructos non applicari nomine proprio, sed nomine Christi, ùt passim ex Evangelio constat, ut Marci 9. v. 38. respondit illi Joannes: *Magister vidimus quemdam in Nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos &c.* hoc tamen discrimine, quòd fideles non insigniti Ordine Exorcistatûs quandoque expellant solùm Ss. Nomen JEsu invocando, consequenter imperatoriè, & meritoriè, econtrà Exorcistæ ejiciunt in persona Christi, non minùs, ac Sacerdotes consecrant, absolvunt &c. in persona Christi. Ratio clara est, quia quidquid faciunt vî Ordinis recepti, in persona Christi faciunt, ita, ut ipsi merum sint instrumentum sui principalis infallibiliter secundùm promissum suum operantis per illos: Quare quæstio in fronte notata implicitè, & virtualiter aliam insuper includit resolvendam, summè apud Authores controversam: utrùm vi-

delicet expulsio dæmonis innitatur sanctitati Ministri, statúmque gratiæ requirat, an verò soli virtuti Christi Domini, in cujus Nomine, & Persona Exorcista dæmonem expellendum aggreditur? H. N.

N. 21. Conclus. 1. Exorcismi in persona Christi facti ex opere operato suum producunt effectum. Ita D. Thomas *3. p. Q. 71. a. 3.* Suarez *3. t. in 3. part. Q. 65. a. 4. Disp. 15. sect. 4.* Sanchez in Decalogum *Lib. 2. c. 426.* Thyræus de dæmoniacis toto *c. 39.* Brognolus, aliique passim, atque ita potestas hæc non innititur sanctitati Ministri, etsi ea non parùm juvet. Probatur *tum*, quia Christus instituendo Sacramentum Exorcistatûs dedit potestatem Discipulis omnes expellendi dæmones Matth. 10. Marc. 3. *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum*, non minùs ac dedit potestatem consecrandi, absolvendi &c. sed potestas Sacramentalis suum producit effectum ex opere operato; ergo. *Tum*, quia Exorcista non ejicit dæmones nomine, & virtute propria, sed divina, & in persona Christi; ergo eo ipso ex opere operato. *Tum*, quia ejicere dæmones non denotat statum, de quo gaudendum foret, sed utique gaudendum foret, si propria sanctitate quis dæmones ejiceret; ergò. m. pat. ex illo Lucæ 10. ubi discipuli cum gaudio revertentes dicebant: *Domine, etiam dæmo-*

nia

nia subjiciuntur nobis. Et respondens Christus dixit: *in hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis. Tum*, quia Matth. 7. legitur: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in Nomine tuo prophetavimus, & in Nomine tuo dæmonia ejecimus. - - & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos*: quòd si autem nunquam noverit, nunquam illi in gratia DEI dæmonia ejecerunt. *Tum* tandem, quia, si talis potestas non ex opere operato suum consequeretur effectum, non majori pollerent potestate insigniti Ordine Exorcistatûs, quàm simplices Christiani sæpè in Nomine Christi dæmones ejicientes, prout plures testantur historiæ. Ex hoc

Inferes, non satis consequenter loqui Authores illos, qui ad efficacem expulsionem dæmonis statum gratiæ, ceu essentialem dispositionem prærequirunt; etsi enim Exorcista sibi conscius peccati mortalis temerariè aggrederetur dæmonem, non tamen sine effectu secuturo, si cæteroquin aliûs dispositionibûs in Evangelio satis expressis sit præditus: cùm non expellat sua virtute, & sanctitate, sed virtute divina. N. 22.

Quinimò, si status gratiæ, ceu necessaria dispositio necessaria esset, facilè quivis Exorcista de statu gratiæ certus foret, dummodo vel unicum energumenum, aut maleficiatum liberaret, contra expressum scripturæ testimonium: *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit.* Eccl. c. 9. v. 1.

Cer-

Certus siquidem de effectu, certus pariter foret de prævia dispositione necessaria.

N.23. Dico 2dò: Exorcismi ab Exorcista benè dispositio in persona Christi facti super energumeno debitè dispositio, infallibiliter suum consequuntur effectum, si id eidem sit salutare. Ita sæpè laudatus Brognolus in Manuali *p. 1. c. 1. art. 1. n. 17. & p. 3. c. 4. art. 3. Q. 2. n. 71.* Alphonsus à Castro *v. Exorcismus.* Gelasius di cilia in thesauro Benedictionem contra plurimos alios. Probatur. *Tum,* quia ex sæpè dictis exorcismus non applicatur in persona propria, sed in persona Christi, qui vi promissionis suæ sit principalis expellens, Exorcista verò sit instrumentum duntaxat: sed Christus infallibiliter habet effectum; ergo. *Tum,* quia, cùm Sacerdos potestate & jurisdictione præditus peccatorem absolvit, nemo dubitat, peccata subdito dimitti: & cur ita? quia potestate legitima absolvendi in Ordinatione sua Sacramentali præditus, non in persona propria, sed in persona, & Nomine Christi absolvit: atqui etiam potestate legitima dæmones expellendi in ordinatione Sacramentali præditus, non in persona propria, sed in persona Christi, expellit dæmones, ergò. Si dicas 1mò: Cur ergo frequenter post plures etiam labores non expelluntur? pace tua, quæram & ego unum verbum: cur homines post plures etiam lachrymantibus oculis peracta, confessio-

fessiones damnantur æternùm, velut plures fide dignissimæ testantur historiæ? Respondebis haud dubiè, id defectui legitimæ dispositionis adscribi: at dicam & ego similiter: nam fides firma, spes concussa ex parte tam agentis, quàm patientis requisita, non ita facilis est, sicut aliqui inexperti arbitrantur: donum DEI est, atque ita à DEO petendum. Si dicas 2dò paritatem ex eo fore nullam, quòd Pœnitentia Sacramentum sit, non sic Exorcismus. Verum assumis, sed assumptum malè applicas; non enim ideò Sacerdos infallibiliter absolvit, quia Sacramentum efficit, sed quia absoluta potestate Sacramentali prædictus in persona Christi absolvit: at idem facit Exorcista energumenum liberans; ergo. *Tum* quia ex dictis exorcismus habet suum effectum ex opere operato: ergò eo ipso infallibiliter. *Tum* denique, quia id satis manifestè colligitur ex responsione, quam Christus Dominus Matth. 17. discipulis interrogantibus dedit, quare ipsi non potuerint ejicere diabolum ex puero illo lunatico: respondit enim *propter incredulitatem vestram, quia si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti* (id est huic obstinato, & superbo dæmoni, ut interpretatur Ven. Beda) *transi hinc, illuc, & transibit*: ergo. Si fidem habuissent, infallibiliter ejecissent. Plura ex infra dicendis c. 3. ubi de fide & fiducia sermo erit, colligi poterunt.

Objic.

N. 24. Objic. 1mò contra 1mam probando absolutè requiri statum gratiæ Marc. 9. legitur: *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio*; sed utique in oratione & jejunio meritorio, quia DEus peccatores non audit: ergo. 2dò Exorcista (ait Magister Sent.) debet expellere dæmonem ex corpore alieno: ergo illum priùs expellere debet ex corde suo, quod ille obsidet ratione peccati mortalis, ne dicatur ei: *Medice cura te ipsum.* 3tiò ritè exorcizanti dæmon obedit, sed non obedit suo mancipio, uti esset Exorcista culpæ mortalis reus; ergo. 4tò Cassianus L. collat. cap. 33. coll. 6. *Fiducia in DEum*, ait: *de conscientiæ puritate creditur emanare*: sicut ergo fiducia, ita cordis puritas requiritur. 5tò D. Cyprianus tr. 4. de idol. van. scribit: *Dæmones vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat. aut gratia curantis aspirat*, 6tò ille Prior Religiosus (de quo Cæsarius l. 4. c. 5.) assumpto secum adolescente Monacho, quæsivit à dæmone, an auderet remanere, si Monachus iste Virgo ei præciperet exire? cui diabolus: *non illum timeo, quia superbus est.*

℟. Ad 1mum dari haud dubiè aliquod genus dæmonum, quod exiere non potest, nisi in oratione, & jejunio, utpote sæpè requisito ad veram fidem, & fiduciam acquirendam: non quòd hoc semper debeat esse meritorium vitæ æternæ, sed quòd de con-

congruo sit dispositivum ad fidem vigorosam, veluti jejunium Ninivitarum timore evertionis & ruinæ factum vitæ æternæ meritorum non fuit ex communi Theologorum sententia, & tamen subversionem urbis impedivit. Ad 2dum dist. conseq. ita, ut illud sit summè congruum, & utile con. absolutè necessarium neg. Ad 3tium dist. min. non obedit suo mancipio suo nomine, & in persona propria operanti, con. secus neg. Ad 4tum dico, id quandoque, non ordinariè contingere; cùm fiducia in DEUM sit actus spei: constat autem ex communi Theologorum, eam sine charitate posse consistere. Ad 5tum dico, S. Cyprianum non necessariò de gratia habituali, & sanctificante, sed de gratiis actualibus intelligendum; his enim, si DEus adjuvat, & roborat Exorcistam, infallibilem consequitur effectum. Ad 6tum patet, diabolum mendaciorum patrem studiosè decipere, ut ita sui ejectionem impediat: quinimò; etiamsi Exorcista non mediocri fortè sanctitate præfulgens, simili quæsito dæmonem aggreditur, simile, si non absurdus, fortè feret responsum; utpote, cùm quæsitum sit satis ineptè positum, ut infrà magis demonstrabitur.

Objic. ulteriùs contra secundam: si Exorcismi in persona Christi facti infallibilem sortiuntur effectum, cur Exorcistæ post tot labores, & sudores sæpè non nisi ludi-

ludibria, & irrisiones diabolicas reportant? sed pace tua dicam, & iterum dicam, quod Christus respondit Discipulis: *Propter incredulitatem vestram* Matth. 17. v. 20. Verùm de hoc mox plura.

Inst. Si Exorcismi infallibilem habent effectum, talem pariter habebunt Lectiones à Lectore lectæ, Epistolæ à Subdiacono, Evangelia à Diacono cantata, R. neg. illat. utpote; quia hæc & similia à Christo non sunt ordinata ad certum effectum producendum, sicut sunt ordinati Exorcismi.

Quæstio quinta.

Undenam proveniat, Exorcismos totiès suo frustrari effectu?

QUo modernis sæpè contingit Exorcistis, de eo jam dudum conquesti sunt ipsimet electi ex millibus discipuli Domini Matth. 17. cùm enim lunaticum puerum à spiritu malo liberare nequiviſſent, accesserunt secretò ad JEsum, dicentes: *Quare nos non possumus ejicere illum*? crederem profectò, quòd si JEsus Christus in specie humana etiamnum hominibus visibilis appareret, plurimos eandem quæstionem moturos: quare nos non potuimus ejicere illum? quinimò post Exorcismos per sex etiam, & septem horas continuatos ludibria, & irrisio-

risiones diabolicas locò certi effectûs speratí reportavimus? cui querelæ ut directè respondeam

Dico, plures ex ipso S. Evangelii fonte inexhausto colligi rationes effectum speratum frustrantes. Primò siquidem Christus loc. cit. justa indignationè commotus se ad parentem pueri lunatici convertens incredulitatem exprobravit, dicens: *Ogeneratio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum?* ecce! obstaculum primum incredulitas, & perversitas eorum; si priùs Apostoli hoc removissent, effectum speratum vidissent. Porro hoc in puncto modernos Exorcistas sæpissimè, ne dicam, vix non ordinariè turpiter aberrare, experentia comprobat: etenim locò debitæ instructionis in fide, & fiducia miseros energumenos totaliter indispositos per vim adduci jubent, funibûs, imò & catenîs alligant, opprobriîs sauciant, flagellîs cædunt &c. atque ita super indisposita persona per multas horas Exorcismos legunt, & quid mirum, si cum Apostolis effectu frustrentur? N. 25.

Obstaculum alterum ex iisdem mox recitatis verbis desumitur: non enim Christus solam incredulitatem, sed & perversitatem exprobravit; etenim si persona energumena perversa, malè habituata, atque vitiis immersa sit, liberatio vel nulla, vel difficils erit. Unde notanter N. 26.

in Concluſ. 2. Q. præc. ſupperadditur: *Si id eidem ſit ſalutare.* Quippe ſi ob habitum vitioſum contractum à vitiis impoſterum ſe non cohibitura prævideretur, DEus vel ad veram diſpoſitionem prævìam non concurreret, vel omninò occultîs modîs liberationem impediret, ùt eruditè more ſuo docet D. Aug. Lib. 83. qq. q. 79. dicens: *Cùm non cedunt bis ſignis hujusmodi poteſtates, Deus ipſe prohibet occultîs modîs, cùm id juſtum atque utile judicat*, videlicet propter peccata inpoſterum vitanda; & certè Sacramenta omnia unicè inſtituta ſunt in ſalutem hominis viatoris: cùm ergo DEus prævidet ſalutem non tantùm non futuram, ſed graviora peccata, meritò impedit effectum.

Quòd ſi quæras, undenam practicè Exorciſta colligere habeat ſaluti hominis non ob - ſed profuturam liberationem? R. Conformiter verbis Chriſti: ſi perverſitatem & malitiam per verum dolorem depoſuerit, habitus pravos radicitùs extinxerit, ita, ut diabolicis tentationibus nullum ampliùs conſenſum, imò nec auditum præſtet. De quo inferiùs cap. 6. plura.

N. 27. Obſtaculum tertium denuò ex verbis Chriſti loc. cit. deſumitur: *propter incredulitatem veſtram:* credidiſſent Apoſtoli, & effectum habuiſſent: nam omnia poſſibilia ſunt credenti. Hac pariter infirmitate complures laborare Exorciſtas compertum ha-

habetur; plures enim ex eo increduli sunt, quòd fallaciter credant quosdam Exorcistas non potestate ordinaria omnibus concessa, sed ex gratia sibi gratis data expellere dæmones; verùm tales & Christo, & Ecclesiæ injurioſi sunt, restringentes potestatem Exorcisticam universaliter omnibus Exorcistis communicatam. Quòd si enim potestate absoluta, (quam negare nequeunt) expellendi dæmones recipiendo Exorcistatum sint donati, cur eandem sine causa restringunt? cur limitant, quod illimitatè receperunt? Profecto homines illi modicæ fidei haud majorem ampliùs potestatem Exorcistis admittunt, quàm Christianis reliquis, qui gratia gratis data quandoque à Deo donati etiam dæmones expellunt. Ulteriùs reperire est quosdam Exorcistas maximè quidem appetentes effectum, eundem tamen certò futurum non credentes: cui sola verba D. Jacobi c. 1. v. 6. considerandа propono: *Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur: non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Deo.* En! Apostolus effectum postulatum absolutè denegat, quem ipse longis Exorcismis in fide hæsitans desiderat.

Obstaculum quartum itidem ex verbis Christi loc. cit deducitur: ibi siquidem incredulitatis impedimento mox aliud superaddit dicens: *Hoc autem genus non ejicitur,* N. 28.

tur, nisi per orationem, & jejunium. Non quidem, quasi jejunium, & oratio essent proxima necessaria dispositio, sed in quantum ad veram fidem acquirendam disponunt ùt docet Brognolus in Manuali pluribus in locis. Gelasius di Cilia in Thesauro Benedictionum p. 2. c. 1. n. 9. Enimverò difficilis planè est processus cum surdo & muto, qualis fuit puer ille lunaticus: si enim surdus: instructionem præviam necessariam non percipiet. Si mutus: tentationes diabolicas non aperiet; at compertum est, sine instructione, & dispositione prævia dæmonem non ejiciendum: oratio ergo & jejunium hoc in casu omninò necessaria erunt, ut fides hæc validissima impetretur, quæ omnibus tartareis potestatibus dominatur.

N. 29. Obstaculum quintum est defectus Baptismi: si enim persona aliqua non sit ritè & validè baptizata, atque ita januam Ecclesiæ nondum ingressa, neque Exorcismorum Ecclesiasticorum effectum recipere potest: sicut & reliquorum Sacramentorum incapax est, ita & effectûs Exorcismorum. Ratio est, quia ex dictis suprà Exorcista potestate tum Ordinis, tum jurisdictionis præditus esse debet: sed in non baptizatum non habet potestatem jurisdictionis: quid enim nobis de his, qui foris sunt, judicare? ait Apostolus 1. Cor. 5. v. 12. ergo.

Por-

Porro rationes sufficientes pro reiterando sub conditione Baptismo videntur sequentes. 1. Si dæmon ipse adjuratus in Nomine Christi de veritate edicenda fateatur: probabiliùs enim ita legitimè adjuratus veritatem celare nequit, ùt infrà *cap. 3. q. 1.* dicam. 2. Si quis ab obstetrice vel Parocho bibulo, & ebrioso baptizatus continuis spectris impetatur, & molestetur, vel omnino in corpore vexetur: 3. Si quis à juventute spectris lacessitus, reperiatur ab obstetrice duntaxat baptizatus, neque à Parocho post modum sub conditione rebaptizatus. Ratio est; quia plura Ritualia Diœcesana, plures Doctores ordinariè rebaptizari utile judicant, imò jubent, & mandant: ergo in casu posito utilissimum, imò necessarium erit. 4. Si quis ita spectris impetitus, vel alias vexatus, reperiatur ab hæreticis baptizatus. Ratio est: quia sæpè in forma ritè pronuntianda, in intentione, vel alio essentialiter requisito deficiunt, uti communiter docent Doctores in Tractatu de Baptismo: ergo in simili casu defecisse meritò præsumi potest. 5. Si persona aliàs benè, & ritè dispositа, nullô tamen remediô spirituali, nullóve Exorcismô liberari valeat.

Cæterùm, ùt notat p. Gobat in Theologia sua experimentali *tract. 2. de Baptismo à n. 405.* La Croix *lib. 6. p. 1. de Baptismo n. 325.* Baptismus ita sub conditione peragi

gi potest quocunque loco, & à quocunque etiam Laico, eò quòd Canones statuentes, ut sit Parochus, vel Sacerdos, videantur tantùm loqui de Baptismo absoluto: meliùs tamen haud dubiè, & decentiùs est, si à Sacerdote administretur. 2. Non opus est adhibere ullos patrinos; quia impedimentum matrimonii non debet nasci ex causa prorsus incerta, & fortè non subsistente. 3 Quandò in primo baptismo fuerunt usurpatæ ceremoniæ consuetæ, opus non est, easdem iterare in altero baptismo. Ratio est, quia in talibus nihil est iterandum, *sed cautè suppliendum, quod incautè fuerat prætermissum cap. 1. de Sacramentis non iterandis.* Melius tamen fieret omnia iterando. Ratio est, quia varios continent Exorcismos ad effectum speratum utilissimos. 4. Non est necessarium adhibere aquam Chrysmate permixtam, & benedictam. Ratio est, quia in baptismo privato liberè omittitur aqua benedicta, ùt tradit Vasq. Quintanad. Gobat tr. 2. n. 41. La Croix. 5. Probabile videtur, quòd non sit ex parte personæ rebaptizandæ obligatio confitendi; quia libertas est in possessione; certum enim est baptizandum non fuisse obligatum confiteri ante baptismum: ergo per superveniens dubium non tollitur possessio certa. La Croix *Lib. 6. p. 1. de baptismo n. 323.* Si tamen confiteri desideret, quòd haud dubiè

dubiè cautiùs, sub conditione absolvi debebit. 6. Adultus ita rebaptizatus tenetur præmitterre saltem attritionem, non quidem de peccato originali, sed de actibus mortalibus, si commiserit. Gobat tr. 2. n. 404. La Croix loc. cit. n. 324.

Alia adhuc obstacula certæ expulsionis plura proponi possent, quæ tamen ex progressu facilè notantur, imò plura jam suprâ, præsertim q. 2. notata sunt, quæ, si omnia prudens Exorcista sublata viderit, certum sperare poterit effectum.

Quæstio sexta.

Quæ causæ subsint, cur aliqui verè obsessi tam tardè, ac serò, tantisque adhibitis conatibus, alii verò facilî negotiô in libertatem vindicentur? item quænam potissimùm sint personæ difficilis liberationis?

ADvertendum, dari quandoque homines, qui nunquam, alios, qui tardè, magnîsque adhibitîs conatibûs, alios, qui facilî negotiô liberantur, prout ipsa demonstrat experientia, quod videntes quandoque homines, attoniti totum effectum vel in sanctitatem, & probitatem Ministri, vel defectum in ejus improbitatem rejiciunt, quasi sive ea mo-

rum integritate, sive virtutum excellentia præditus non existat, quæ operi illi par sit, & ejiciendis sede sua hospitibus illis malignis sufficiens. Licèt autem error iste sufficienter quæstione præcedenti ex ipso S. Evangelio refutatus maneat; tamen pro dignitate rei, atque ulteriori instructione quorundam simplicium, quibus solis scribo.

N.30. Dico 1. Causa tardioris & difficilioris ejectionis non est universim in Exorcistam rejicienda. Ita debet esse communis. Ratio petitur tum ab experientia ipsa, qua scitur, eundem Exorcistam quandoque facillimè, quandoque difficillimè aliquam personam in libertatem vindicare: ergo nequit ex parte Exorcistæ esse defectus. Tum, quia & ipsi SS. PP. quandoque facillimè, quandoque difficillimè aliquas personas liberarunt. Notum siquidem est, quantus inferorum terror fuerit magnus Antonius Abbas, quot dæmones è corporibus humanis ejecerit: quo tamen non obstante refert de ipso Palladius in SS. Patrum historia sect. 25. quondam ad eundem fuisse adductum adolescentem obsessum spe incolumitatis recuperandæ. Hic, ùt cognovit potentiorem esse spiritum, quàm ut à se posset ejici, cum eodem ad Paulum simplicem, virum magnarum virtutum properat: & postquam afflictum Sancto commendavit, ad propriam cellam rever-

vertitur. Quid Paulus? *Imperat tibi Antonius* (dicebat immundo spiritui) *ut egrediaris.* Nihil hoc dicto spiritus moveri. Tum melotam, qua indutus erat, assumens, & illâ dorsum obsessi verberans rursus priorem orationem repetit, dicens: *Dixit Abbas Antonius: egredere ab homine.* Sed neque hic quidquam moveri diabolus, imò insolescere cæpit magis. Tandem Paulus: *Aut exibis, aut abeo, ut dicam Christo, isque faciet, ut tibi sit væ.* Et ad orationem conversus, Christum pro adolescentis incolumitate precabatur. Mox spiritus magnis vocibus: *Recedo, recedo, discedo ab homine, non amplius ad eum accedo: Pauli simplicitas & humilitas me expellit.* En simplicitas Pauli expellit, quem excellens sanctitas Antonii expellere nequivit: quis autem dicere præsumat ex parte magni Antonii fuisse defectum? unde causa firmior, & expeditior tardioris & difficilioris ejectionis dæmonum est inquirenda. Et

Dico 2. Causa tardioris, & difficilioris N. 31.
expulsionis ordinariè est modicitas fidei, & fiduciæ tam Exorcistæ, quàm personæ patientis &c. Ita colligitur clarè ex ipsa S. Scriptura, sic enim Matth. 9. petentes sanitatem, interrogavit: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Atque illis consensum præbentibus, & fidem elicientibus liberaliter eis sanitatem largitus est, dicens: *secundùm fidem vestram fiat vobis.* En! secun-

dùm fidem vestram: si ergo fides tarda, etiam tarda erit liberatio. Sic etiam Marci 8. v. 23. volens Christus liberare quendam cæcum sibi oblatum, *expuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum, si quid videret. Et aspiciens ait: video homines, velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus; & cæpit videre, & restitutus est, ita, ut clarè videret omnia.* Sed quæso, cur mox in principio non recepit claram, & perfectam visionem? ànne defectus in Christum resiciendus? absit: alios curavit facillimè, cur hunc similiter curare non potuisset? rationem ergo dat Theophilactus dicens: *Quia cæcus ille perfectam non habuit fidem, idcircò non statim ipsum respicere facit; sed sensim, utpote integra carentem fide. Juxta enim fidei magnitudinem, & sanitas datur.* Atqui idem omnino videtur asserendum circa expulsionem dæmonum; sicut enim se habet simpliciter, ad simpliciter ita se habet magis ad magis; sed fides ad expulsionem dæmonis simpliciter requiritur ex dictis q. præced. & ex dicendis infrà cap. 3. q. 1. ergo ad faciliorem ejectionem etiam major requiritur fides. Confirmatur ex jam adductis verbis D. Cypriani tract. 4. de Idol. vanitat. ubi ad propositum ita ait: *Dæmones vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat:* si ergo fides & fiducia tarda, etiam tarda & difficilis erit expulsio.

Quare

Quare ad hanc difficultatis radicem, omnes aliorum Authorum rationes facilè reducuntur. Si enim cum Abulensi q. 172. in cap. 17. Matth. aliam perdifficilis ejectionis dæmonum è corporibus humanis rationem non esse dicas, quàm, quò major ipsis in corpora potestas collata est, eò difficilius è corporibus ejici; jam in nostram incidis sententiam: si enim quæram, cur major ipsis in corpora potestas sit collata? respondere haud dubiè cogêris; quia minori fide, & fiducia in DEum protectorem suum instructi & armati fuerant: dæmonum quippe potestas constricta, & ligata est in omnes DEI servos veram confidentiam habentes, utì infrà *Cap. 2. q. 4.* satis clarè probatur. Si causa m difficilioris & tardioris ejectionis in peccata sustinentis vexationem reducas, denuò in nostram reincidis sententiam: cùm enim miseræ istæ personæ optimè nôrint, quòd *Deus peccatores non audiat; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit.* Joan. 9. nec fidenter & securè liberationem suam sperare præsumunt. Unde & Cassianus Lib. Collat. cap. 33. Collat. 6. *Fiducia in Deum,* ait, *de conscientiæ puritate creditur emanare;* cùm ergo conscientiæ puritate se non splendere sciant, difficulter veram in Deum fiduciam eliciunt, quamvis, & hoc non sit absolutè impossibile, utì jam suprà dictum *cap. 1. q. 4.* & sic de aliis capitibus

bus & rationibus universaliter discurrendum, & meritò orandum: Domine adjuva incredulitatem meam.

N. 32. Unde quinque genera energumenorum numerat P. Brognolus *p. 3. cap. 4. a. 3. q. 2. àn. 710.* ad quorum liberationem Deus difficillimè concurrit. Primi generis sunt peccatores obstinati, qui ob gravia peccata, in quibus sunt inveterati, non solùm DEO permittente, sed & jubente, à dæmone possidentur: si enim DEus mox in principio concurreret, liberatio eisdem salutaris non foret; utpotè cùm ob inveteratum habitum facilè ad pristinum peccati statum ab initio reverterentur. 2di generis sunt à dæmonibus incubis vel succubis possessi, qui ob consensum, si non explicitum, saltem implicitum dæmonibus præstitum difficillimè in vera fiducia radicantur, & à peccatis abstrahuntur: licèt enim sæpè, præsertim tales fæminæ dicant, id sibi positivè nolentibus contingere, revera tamen implicitè consentiunt: si enim divina favente gratia, quæ nulli deficit, omnibus viribus resistere, atque aggressorem per præceptum in SS. Nomine JESU factum repellere satagerent, omninò liberrimæ forent, velut ipsa me experientia docuit, at, quoniam diabolum commotiones venereas inchoantem non impediunt, sensibilitatem, si non semper affectant, saltem libenter tolerant, nescio sanè,

sanè, qua ratione excusandæ. Accedit, quòd diabolus nullam prorsùs habeat potestatem animam sine consensu nostro coinquinandi, ùt infrà *cap. 2. q. 4.* trademus; sed succumbere, & subjacere diabolo in actibus lasciviæ peccatum est: ergo, Si dicas, non fore peccatum, si voluntas positivè reluctetur. Verùm dicis: sed credo talem subtiliter decipi, dum putat, se verè necessitari atque impelli, atque ita potestatem diabolo facit corpus venereè coinquinandi: solet enim dæmon ordinariè priùs rationibûs subtilibus persuadere, id non esse peccatum, vel patientem necessitari, neque ampliùs resistere posse: quod credentes, atque ita succumbentes sæpè implicitum consensum præstant. Quare increpa opportunè & importunè personas similes, atque in fide de adjutorio Divino certò futuro, modôque resistendi instrue, & effectum videbis, sed utinam continuatum, ne, velut frequenter contingit, per diabolum denuò deceptæ ad vomitum revertantur, & miserum Exorcistam divexent miserrimè, liberationem postulantes, & remedia oportuna negligentes. Scio quidem plures Authores cum P. Mengo tenere, etiam positivè invitis similia sæpè contingere, quod multîs etiam probant exemplîs, sed utinam verîs: etenim ab expertis scio, eosdem posse resistere, dummodò velint, & sæpe resistere per longius

etiam

etiam tempus, & sæpè ad vomitum reverti cum prætensa excusatione, quòd fuerint necessitatæ, & vi compulsæ, quod judicio prudentiorum dijudicandum relinquo.

Tertii generis valde difficilis, & tardæ liberationis sunt personæ ab infantia possessæ, vel à pluribus Exorcistis frustrà sæpè exorcizatæ: tales enim ob temporis longitudinem habitum contraxerunt diabolo assensum in omnibus & per omnia præstandi: cùm enim antecedenter dæmon sæpè vera suggesserit v. g. cras frustrato labore exorcizaberis, infirmaberis, in templo clamores & tumultus excitabis &c. etiam hìc & nunc talia similiter suggerenti facillimè credent.

Quarti generis sunt personæ maximè mulieres, spirituales, christianæ, ùt putant, perfectioni vacantes, quæ desideriô multa pro Christo patiendi optant à diabolo possideri: quod Deo quandoque permittente contingit. Ratio autem difficilis ejectionis est, quia tales putantes divinam esse voluntatem, ut à diabolo vexentur, eô ipsô difficillimè persuadentur, ut vera fide credant, & fiducialiter suam liberationem sperent: quinimò ab hoste nequissimo se in Angelum lucis transformante decipiuntur, quasi hæc sola esset via virtutis & perfectionis, minimè interim considerantes, diabolo impediente plurima opera bona negli-

negligi, sèque incessanter ad malum allici, & sæpiùs coinquinari. Etenim ùt eruditè docet Suarez *p. 2. t. 1.* de Angelis, dæmon hoc modo nocet homini, ut illum ad impatientiam, desperationem, blasphemiam, vel aliud simile vitium inducat.

Quinti denique generis energumeni difficilis, & tardæ liberationis sunt personæ duræ cervicis, & propriæ æstimationis. Etsi enim liberationem summoperè affectent, ejusdémque consequendæ causa Exorcistas adeant, dura tamen cervice Exorcistæ resistunt, jam credentes, dolorem, quem patiuntur, esse purè naturalem: etsi Exorcistæ certò, & evidenter contrarium pateat: jam etiam putantes Exorcistam certam liberationem promittentem, si ei fuerit salutaris, excedere, & nimiùm fimbrias suas dilatare: vel si quandoque rationibus Exorcistæ convictæ omnia credant, mox ab Exorcista recedentes, novis suggestionibus diabolicis attendentes impossibilem judicant liberationem. Hæc sunt quinque difficilis & tardæ liberationis genera hominum: & væ Exorcistæ, si similibus personis operam suam navet, vexabitur, & molestabitur plurimùm, atque, si invictus, etiam diabolum vicerit, & expulerit, revertetur pro certo, nisi priùs radicem difficilis liberationis penitùs sustulerit: prima siquidem tentatione à diabolo instructa, vel non credent se verè libe-

liberatas, vel jam denuo obsessas, atque ita ex demerito suo sæpiùs de novo possidentur.

Quæstio septima.

An Exorcismi & præcepta sine omni præviè præhabito signo formari queant?

ADvertendum, signa possessionis diabolicæ alia fore certa, & evidentia, alia probabilia, & conjecturalia duntaxat. *Evidentia* desumuntur ex effectibus evidenter connexis cum possessione diabolica, ita, ut in causas naturales refundi neutiquam possint. *Probabilia* quidem possent in causas naturales refundi, sæpè tamen, vel ordinariè à causa transnaturali provenire noscuntur. H. N.

N. 33. Dico 1mò illicitum & peccaminosum est, aliquem exorcizare præceptô expulsivô, nisi priùs valde efficax signum possessionis habetur. Ita Brognolus *p. 1. c. 3. a. 5. q. 1.* rationem dans, quia sic gravi periculo infamandi exponeret potestatem exorcisticam, dum adstantes oleum, & operam deperditam viderent. Deinde sicut non parùm firmitas fidei Catholicæ demonstratur per artem exorcisticam; ita è contrario non parum prostituitur, si

Exor-

Exorcismi improvidè applicentur. An porrò sit peccatum mortale, determinare nequeo: in discursibus enim privatis desuper habitis aliqui negativam, alii affirmativam sustinuerunt sententiam: probabiliùs tamen crederem in publico ita applicare ratione scandali fore mortale, etsi fortè citra scandalum in privato ex probabili duntaxat signo exorcizare veniale non excederet. Quinimò, ex probabili maleficii signo conditionatùm adhibere præceptum, non peccaminosum duntaxat, sed sæpè perutile erit, veluti effectus ipse demonstrat.

Dico 2dò. Inconveniens saltem est alia suprà descripta applicare præcepta sine omni signo etiam probabili. Ita cit. ratio est, *tum*, quia ita Nomen Domini in vanum assumitur. *Tum* quia aliqua etiam injuria fit ministerio exorcistico, dum prorsùs sine ratione applicatur: est quippe actus otiosus, de quo suo tempore districto Judici ratio reddenda erit. Sed N. 34.

Dices: Licèt conditionatè absolvere moribundum, etsi nullum doloris, vel petitæ confessionis signum dederit, dummodo constet eum Christianè vixisse: ergò pariter, imò à fortiori licebit exorcizare aliquem, etsi nullum possessionis realis adsit signum. R. eo ipso, quòd quis Christianè vixetit, rationabiliter præsumi, velle pariter Christianè mori, atque ita Sacra-

mentis more Christiano ritè provideri: consequenter saltem probabiliter signa doloris, & confessionis præsumpta habentur.

Cæterùm, si quis tali fortè infirmitate laboret, quæ probabiliter à causa transnaturali provenire putatur, confidentialiter præceptô lenitivô conditionatè formatô adjuvetur, & mox evidentia rei patebit. Si quippe subitò omnis dolor evanescat, vel persona priùs contracta, membrorum usum obtineat, facilè de maleficio facto judicium feret. Econtra verò, si nullum sequatur levamen, neque præceptum expulsivum usurpandum erit.

Quæstio octava.

An & quomodo energumenus, vel maleficiatus seipsum liberare queat?

ADvertendum, plures ab Exorcistis in arte expertis, esse modos seipsum liberandi excogitatos; siquidem aliqui volebant apud P. Candidum Brognolum *p. 1. manualis. c. 3. a. 5. q. 23.* energumenum, vel maleficiatum per solum dissensum voluntatis posse seipsum à quacunque dæmoniaca vexatione totaliter liberare, ita, ut si diabolo nunquam consentiat in torsionem, vel vexationem, nunquam pariter sit torquendus, vel

vel vexandus. 2dò per vitam piam, preces, jejunia, & eleemosynas. 3tiò, per præceptum in Nomine JEsu diabolo factum, ita, ut ipsemet energumenus vel maleficiatus, etiamsi Laicus sit, per præceptum diabolum à se expellat. 4tò per remedia spiritualia v. g. per diversi generis suffitus, schedas immaculatæ conceptionis, aquas, & olea benedicta &c. H. N.

Dico 1. non videtur ulla ratione probabile, quòd vexatus à dæmone per solum dissensum voluntatis semetipsum à vexatione diabolica liberare queat. Ita Brognol. loc. cit. contra aliquorum, ut ait, manuscripta, quæ mihi tamen videre non licuit. N. 35.

Probatur, *tum* quia vexatio diabolica non videtur semper esse dependens à voluntatis consensu, sed à permissione DEI, & malitia dæmonis: quis enim hominum tantæ sit dementiæ, ut miserabiliter à dæmone divexari velit? quis tam mente captus, ut dæmonis habitaculum esse peroptet? *tum* quia testante Apostolo ad Romanos 7. potest caro repugnare spiritui: ergo pariter potest etiam dæmon repugnare voluntatis consensui. *Tum* quia experientiâ teste sæpè aliqui maleficio afficiuntur, aut omninò obsidentur nihil prius cogitantes de dæmone, imò nec suspicionem ullam habentes. *Tum* tandem, quia potest dæmon allicere ad peccatum voluntatem etiam positivè dissentientem: ergo pariter,

nisi alia adhibeantur remedia; poterit torquere corpus voluntate etiam positivè dissentiente.

N. 36. Dico 2dò: potest homo semetipsum eripere à potestate dæmoniaca per piam vitam, jejunia &c. ita jam dudum videtur sensisse terribile illud flagellum dæmonum, magnus Antonius Abbas, qui, ut in vita ejus legitur, sæpè discipulos suos excitans ad pugnandum contra diabolum, docénsque, quibûs armîs vinceretur: *mihi credite*, inquit, *fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unicô Sanctissimæ Crucis signô debilitatus aufugit.* Probatur conclusio breviter, quia homo ita laudabiliter, piè, imò sanctè vivens, est amicus, imò per gratiam Filius DEI adoptivus; atqui amicus, imò Filius DEI facilè suis precibus, piisque operibus à Deo impetrat, quidquid petierit, ùt passim Scriptura testatur, ita, ut frustraneum videatur quosdam exscribere textus. *Tum* quia ordinarius possessionis dæmoniacæ finis est castigatio peccatorum commissorum, præcautio futurorum aut certè exercitatio in bonis operibus &c. ergò si hic finis aliunde habeatur, facilè etiam possessio dæmoniaca cessabit: cessante quippe causa cessat effectus.

Dico

Dico 3tiò: omnium optimus, imo certissimus modus, quo energumenus, vel maleficiatus seipsum liberare queat, est, si ipsemet in Nomine JESU diabolo exitum præcipiat. Ita meô judiciô debet esse communis. Ratio est *Tum*, quia licèt solis Exorcistis specialis competat exorcizandi potestas, generalis tamen omnibus veram fidem habentibus competit, juxta illud Salvatoris Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in Nomine meo dæmonia ejicient*: ergò si omnis Christianus hac potestate præditus est, etiam energumenus Christianus à semetipso diabolum ejicere potest: non enim inter exorcizantem, & exorcizandum ea requiritur distinctio, quæ necessaria est inter baptizantem, & baptizandum, inter absolventem, & absolvendum; quippe, si quis seipsum baptizaret, aut absolveret, forma essentialis falsificaretur, quæ est: *Ego te baptizo* &c. *Ego te absolvo* &c. Non tamen falsificaretur forma essentialis exorcismi, quæ est: *præcipio tibi dæmon in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut exeas* &c. *Tum*, quia si quis seipsum absolveret, sui ipsius Judex foret: exorcizans écontra, etsi sententiam judiciariam ferat, hæc tamen unicè in diabolum ceu subditum cadit. *Tum*, quia experientiâ quotidianâ testante potes energumenus per præceptum reprimere diabolum se obsidentem, ita, ut torquere nequeat, vel N. 37.

subito ab omni vexatione inchoata desistere debeat: ergò eadem potestate potest etiam illum totaliter expellere: si enim potest illum expellere ex parte corporis, cur non ex toto corpore, si cæteroquin sit legitimè dispositus.

Verùm, licèt hæc omnia vera, imò verissima sint, valdè tamen difficilè, atque adeò valde rarum est, personas aliàs pusilanimes tantâ roborare fiducia, ut sine omni titubatione credant diabolum etiam sibi omnem obedientiam præstiturum; cùm enim sæpiùs jam ejusdem tyrannidem sint expertæ, ad primum diaboli impetum, vel qualemcunque motum timent, ubi timor esse non deberet. Imò si diabolus eidem intrinsecè dicat, quòd tali locô, tali hora &c. ipsos in terram prosternere, vel aliô modô vexare velit, ita certè futurum credunt, vel saltem probabiliter futurum suspicantur: & inde quid aliud, quàm certa, vel probabilis futura vexatio? sunt quandoque & aliæ personæ ita timidæ, ut vel præceptum formare non audeant, vel præceptô formatô timeant, ne magis vexentur: sed tales se non tantùm per præceptum non curandas, sed magis torquendas certò sciant. Denique reperire est quandoquè personas ex suggestione haud dubibè diabolica non credentes sibi ullam datam esse potestatem coërcendi, minùs ejiciendi dæmones, cùm cha-

charactere exorcistico non sint insignitæ; sed tales & DEO sunt ingratæ, & Evangelio injuriosæ, cùm DEus omnibus veram fidem habentibus Marc. 16. promittat, quòd in suo nomine dæmonia sint ejecturæ.

Pulchrum in confirmationem præcedentis doctrinæ refert testimonium P. Sprenger in suo malleo maleficiorum q. 2. cap. 6. mihi fol. 321. de quadam virgine, paupercula, & ideo plurimùm devota, cujus dum amicus in pede maximè per maleficium (de judicio medicorum) læsus fuerat, contigit, ut virgo infirmum visitaret, qui & statim ab ea petiit, ut pedi benedictionem aliquam applicaret. Annuit illa, & silenter tantummodo orationem dominicam, & Apostolorum symbolum cum geminatis vivificæ crucis signis applicuit. Tunc statim infirmus curatum se sentiens, scire voluit in remedium futurorum, quid carminationis virgo applicasset. Quæ respondit: vos debili fide, divinis, & approbatis Ecclesiæ exercitiis neglectis varia carmina, ac remedia prohibita crebrò vestris infirmitatibus applicatis; idcircò rarò in corpore curamini, quia semper in anima lædimini. Sed si orationem, & signorum licitorum efficaciam speraretis, facillimè sæpè curaremini: nil enim aliud vobis applicui, quàm oratio- N. 38.

nem dominicam atque Apostolorum symbolum, & jam sanati estis.

Aliud enarrat Brognolus in suo Alexicon de quodam sacerdote, ob gravia, & enormia sua peccata, etiam gravissimè ex permissione divina à diabolo vexato, & torto, qui ab eodem authore in fide, & fiducia instructus, semetipsum infra breve temporis spatium ab omni infestatione ipsóque diabolo inhospitante liberavit. Ex quibus omnibus satis, ut arbitror, perspicuum est, posse personam etiam non insignitam charactere Exorcistatûs expellere dæmones, imò & personam aliquam semetipsam liberare.

N. 39. Dico 4tò: potest pariter energumenus vel maleficiatus seipsum liberare per applicationem remediorum spiritualium, & à sacerdotibus specialiter benedictorum. Ita denuò communis. Ratio breviter est, quia hunc præcipuè in finem ab Ecclesia benedicuntur: ergò non mirum, quòd hunc effectum sortiantur. Habentur hujus veritatis exempla quotidiana, de quibus inferiùs cap. 5. Interim, quia similia spiritualia remedia ab Ecclesia duntaxat sunt instituta, tantam habere virtutem nequeunt, quantam habet imperium vera fide & fiducia in SS. Nomine Jesu factum, utpotè, cui ipsa prima veritas in S. Evangelio passim certum adpromittit effectum.

dico

Dico 5tò Non videtur remediis naturalibus completa ineſſe vis & efficacia, ne quidem indirecta ad dæmones pellendos. Ita noſter doctiſſimus Tyranus in lib. 1. Reg. cap. 16. Brognolus & alii. De quo vide infrà cap. 5. de ſuffimigio benedicto. Item parte 2da de maleficiis tollendis. N. 40.

Ob. 1. Contra 1mam: in regularibus vexationibus non poteſt dæmon ſine conſenſu hominis vel explicito, vel implicito & interpretativo, qui multipliciter præſtatur, puta, vel credendo dæmonem habere poteſtatem corpus ſuum intrandi, illud vexandi, timendo dæmonem, ne fortè habeat poteſtatem, vel ſuſpicando eſſe periculum maleficiorum &c. non poteſt, inquam, dæmon ſine his vexare corpus: ergò ſi poſitivè diſſentiat, vel credat dæmonem ſe non poſſe vexare, nunquam pariter divexabitur. Conf. ab ipſa experientia, qua conſtat, quòd dæmon vexaturus ſemper priùs timorem futuræ vexationis incutiat, cui, ſi patiens non diſſentiat, certò certiùs divexabitur: ergò à contrario, ſi diſſentiat, illicò exire, ac recedere cogetur; quia ſicut poſitâ causâ ponitur effectus, ita remotâ cauſa removetur effectus. R. Ad primum neg. ant. quantùmvis enim ſæpè, imò vix non ordinariè contingat, revera tamen contrarium non infrequens eſt; ſæpè enim perſona nec minimum habens timorem N. 41.

vel suspicionem alicujus maleficii, infestatur, & vexatur. Unde etiam patet ad confirmat. Sed.

Ob. 2. S. Augustin. serm. 197. de tempore ait: *Fratres, quàm stultus est ille, quem canis in catenâ positus modet, tu te illi per voluntatem noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere: latrare potest, solicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem.* S. Ambrosius in Psal. 118. *adversùs diabolum non vocis magnitudine, sed magnitudine cordis utendum est:* ergo. R. imprimis S. Aug. intelligendum duntaxat de tentationibus ad peccatum, quibus nemo, nisi volens, succumbere potest. S. Ambrosius verò docet, in expellendo dæmone non magnitudine vocis, sed magnitudine cordis, innitentis divinæ protectioni & adjutorio fore utendum.

CA-

CAPUT SECUNDUM
De quidditate, causis & effectibus obsessionis, item de signis eam cognoscendi.

Quæstio prima.

Quid & quotuplex sit possessio & obsessio dæmoniaca?

ADvert. Possessionem dæmoniacam in propriè adhuc sumptam aliam fore veram, aliam fictitiam, aliam imaginatoriam duntaxat. Non enim omnes personæ, quæ possessæ videntur, revera tales sunt; plures seipsas ex frivolis rationibus tales fingunt, plures laborantes naturali defectu & infirmitate firmiter sibimetipsis imaginantur, vel saltem de obsessione suspicantur. Audiatur Francis. Arias lib. 1. de imitat. Christi. Tract. 3. c. 40. nobilis Scriptor, qui ita ait: *Ubi Ecclesia Christi fundata est, & Christiani cum firma fide illius cruce utuntur, ordinariè nulli sunt energumeni. Quidam se tales esse simulant: alii videntur esse, superante humore melancholico, nec tamen sunt. Adeò, ut energumeni, qui verè à dæmone infessi sunt, ejusque signa dent, faciendo res, quæ omnem vim humana-* N. 42.

humanam excedunt, rarò inter Christianos inveniantur. Quæ opinio, ne singularis videatur, communiri posse videtur sententiâ D. Philippi Nerii, de quo refert author vitæ ejus sequentia, *non facilè induci se passus est ad credendum, quemquam à dæmonio vexari. Hinc, quæ ejus rei fidem facere poterant, ad naturalia fermè principia referebat, utpote ad naturales ex atrabile morbos, aduteri effectus, aut certè cerebri decrementum.* Hæc sanctus in arte haud dubiè experitissimus.

Solet autem imaginaria possessio contingere ùt plurimùm mulieribus menstruorum defectum patientibus: etenim humores & vapores venenosi ad stomachum ascendentes, cibum indigestum conturbant, & inficiunt, plures cruditates generant, & sic novi cibi sumendi appetitum tollunt. Ascendunt pariter ex stomacho in cerebrum, atque phantasmata ita conturbant, ut delirio vel phreneſi sæpè laborare videantur. Tandem à capitè in reliqua membra se ita diffundunt, atque per corpus discurrunt, ut spiritus malignus esse videatur: exercent etiam similes mulieres & phantasmata perturbata actiones energumenis simillimas, clamores excitant, séque à dæmone possessas misere inclamant. Melancholici pariter eò quandoque deveniunt, ut abundante melancholia se ipsos verè & realiter obsessos firmiter credant. Unde sequitur, Exorcistas sæpè incautè procedentes non fran-

frangi duntaxat viribus, sed & ludibrio hominum exponi, dum similes vel fictè aut imaginariè tantùm possessas personas exorcizant.

Verùm, quod ad numerum attinet personarum maleficiatarum, aut verè obsessarum, discrimen faciendum arbitror: si enim locus à sagis, aliisve maleficis sit immunis, personæ timoratæ, atque secundùm monitum D. Petri 1. c. 5. diabolo fortiter in fide resistentes haud dubiè paucos, imò nullos reperire malificiatos, aut obsessos: si econtra locus aliquis sit sagis, aliisve personis maleficis abundans, habitatores vitiis dediti, fide vacui &c. sine dubio plures erit reperire personas miserabiliter sub jugo dæmoniaco ejulantes & auxilium ab Exorcistis postulantes. Quare, ut directè quæstioni respondeam,

Dico 1. Possessio intrinsecam inhabitatio est dæmonis in corpore, in quo ex voluntate DEI varias exercet operationes, & torsiones. Unde sic possessi vocantur energumeni, id est, intùs laborantes: econtra obsessio propriè dicitur, cùm dæmon corpus quidem non inhabitat, ab extra tamen existens illud vexat, affligit. Dicitur 1. *intrinseca habitatio dæmonis in corpore*, ut distinguatur possessio ab obsessione, ubi dæmones non habent potestatem intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, prout mox Quæstione sequenti latiùs dicemus. N. 43.

Dicitur

citur 2. *in quo ex voluntate DEI*, quia ùt iterum quæstione sequenti dicam, nec dæmon, nec maleficus sine voluntate DEI saltem permittentis ullum prorsus malum inferre potest. Dicitur 3. *varias exercet operationes & torsiones*, quia dæmon omnes prorsùs infirmitates naturales imitatur, ita, ut infirmitatem naturalem à dæmoniaca discernere sit difficillimum, imò sine præcepto vel probativo vel lenitivo prorsùs impossibile: licèt enim Medicus diversissimas, simul & optimas præscribat medicinas, indicium vix ullum maleficii obtinebit: jam enim infirmus sumptâ medicinâ aliqualiter meliùs habebit, jam pristina infirmitate, imò majori laborabit, ita, ut Medicus nunquam radicem infirmitatis deprehendere possit. Econtra, si expertus supervenerit Exorcista, facilî negotio præceptô vel probativô, vel lenitivô anguem in herba latentem deprehendet, dumodò firmus in fide audacter procedat.

N. 44. Sed hìc, quia de Medicis frequenter non intelligentibus morbum, sermo fit, sæpè animadversa nequitia dæmonis tetegenda est: solet quippe vaferrimus hostis tales procurare morbos, qui venæ sectione vel unicè vel aliàs satìs facilè curari queant, imò simulat ad sectionem factam vix non totalem restitutam sanitatem. Sed quo consilio? ut totaliter interimat. Sciens quippe

quippe hominem sine sanguine vitam ducere non posse, sanguinem emittit, ut hominem faciliùs interimat. Novi ego personam, quæ infrà semialtrum annum ultra vigesies venæ sectionem ad sex vel septem ordinariè uncias passa, in toto corpore fuit debilitata, ut vix non emortua, sed nunquam penè curata, quantùmvis ordinariè ad speciem alleviata: Si quippe sub actuali phreneſi venæ sectio facta fuit, mox respirans integerrimæ quasi sanitati restituta est, sed post modicum temporis spatium pristinæ infirmitati, donec Exorcista superveniens errorem detexit.

Dico 2dò. veræ & realis possessionis N. 45. diversæ sunt species, ita, ut etiam possessi diversa sortiantur nomina: alii siquidem sunt, & dicuntur simpliciter dæmoniaci, seu sub dæmonis potestate constituti. Alii arreptitii, qui suis temporibus à dæmonibus rapiuntur, & accipiuntur. Alii lunatici, seu certis duntaxat temporibus lunæ crescentis, vel decrescentis vexati. Alii pythonici, seu spiritum divinantē habentes. Alii simpliciter vexati, seu à dæmone diversis tormentis affecti. Alii habentes spiritum infirmitatis propter diversas infirmitates à dæmone causatas. Alii sunt possessi à spiritu incubo vel succubo. Dæmon incubus dicitur, qui sub forma viri visibiliter, vel invisibiliter cum mulieribus contra naturam peccat; & ordinariè in venereis

reis residet. Succubus verò dicitur, qui mulieris formâ assumptâ viris se supponit, atque cum iisdem contra naturam peccat. Alii denique maleficiati, facturati, malitiati &c. de quibus infrà parte 2da plura dicentur. Ex quo

N.46. Inferes, quantùm sæpè miseri ac inexperti Exorcistæ fallantur, neminem verè obsessum judicantes, nisi aut linguâ latinâ, aliáve ignotâ loquatur, aut nisi sua in præsentia torqueatur. Dæmones enim (fatente Mengo in flagello dæmonum cap. 2.) obsidentes corpora humana rarissimè loquuntur linguâ latinâ, aut aliâ possessò ignotâ; quia potentia linguæ in uno loquendi modo habituata est longè obedientior & promptior ad illam pronuntiandam. Quinimò advertere deberent inexperti in arte Exorcistica, dæmones plus non posse, quàm sibi à DEO sit concessum, nec Exorcistam plus posse jubere, quàm ad finem expulsionis sit necessarium, vel utile: at nunquid omnibus dæmonibus concessus usus linguæ? Nunquid non aliqui muti, alii surdi? nunquid non alii lunatici tantum, alii pytonici tantum &c.? quid ergò mirum, si omnibus improvidè sæpè repetitis præceptis obedientiam non præstent: aut quis dicat Linguam Latinam, Gallicam, aut Italicam unicum fore signum veræ & realis obsessionis dignoscendæ? aliter certè judicarent, si priùs

signa

signa veræ possessionis non & perfecta haberent.

Quæstio secunda.

Quænam causæ, & quomodo concurrant ad veram & realem obsessionem?

ADvert. Cùm ad veram & realem obsessionem plura causarum genera concurrant, videlicet DEUS ceu causa prima, maleficus ceu causa moralis efficiens, res morales & naturales ceu causæ dispositivæ, & tandem diabolus ipse; meritò de omnibus istis quæritur, an verè, & quomodo causent veram obsessionem. Potest autem maleficium, sicut & obsessio dupliciter spectari, videlicet vel secundùm substratum & materiale suum, prout videlicet est ipsa entitas positiva, & secundùm esse formale, prout est malitia ipsa, vel deformitas, quâ formaliter actio illa positiva mala est, & mala denominatur. H. N.

Dico 1. DEus justissimis de causis con- N. 46.
currit positivè, saltem concomitanter, ad omnes obsessiones & maleficia in esse materiali spectatas; imò quandoque jubet diabolum possidere, & vexare quandam creaturam. *Prima pars* est conformis Scoto in 1. dist. 41. q. un. §. *primum istorum.* & ratio ipsa suffragatur; quia obsessiones

& maleficia quoad esse materiale spectata sunt entitas aliqua positiva, sed DEus positivè vult, & causat omnia entia positiva: *omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Joan. 1. & diffusè solet probari à Theologis *tum* in primo, *tum* in secundo sententiarum libro, ubi de Deo, ut causa peccati tractatur.

Secunda pars ex eo suadetur, quòd obsessio quandoque sit hominibus pro adipiscendo regno cœlesti, atque ita pro divina augenda gloria plurimùm proficua, & sæpè necessaria: sunt enim quandoque homines in profundo peccatorum cœno sese assiduè volutantes, qui opportunè frœno isto diabolico cohibentur, & ad frugem reducuntur, alio vix frœno cohibendi vel ad frugem reducendi. Quòd si nihilominus ex toto corde ad DEum ceu Patrem totius consolationis revertantur, non dubium, quin misericorditer sint recipiendi, etenim *impietas impii non nocebit ei, in quocunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ezech. 33.

Dixi in conclusione: *justissimis de causis*: nullum enim divina providentia malum permittit, minùs fieri jubet, quod non in bonum finem ordinet, uti constans est SS. Patrum consensus. Porrò causæ, cur DEus permittat possessionem, vel maleficium, potissimùm sequentes esse videntur.

Primò

Primò: quia dæmones liberò arbitriò N. 47.
prædicti in DEI ministerium sunt ordinati, & quoniam propter obstinationem in malo ministri ad bonum haud ampliùs esse volunt, conveniens est, ut saltem sint ministri ad malum, ut ita per eos *malus corrigatur*, aut certè, *ut per eos bonus exercentur*, ùt loquitur D. Augustinus in Psal. 54. ad 1. versum.

Secundò: permittit etiam ob majorem suam gloriam, & manifestationem attributorum divinorum: sic enim ex obsessione diabolica elucet spiritalis providentia divina, quia secundum D. Aug. lib. 18. de Civit. DEI. cap. 18. dæmones non omnia, quæ volunt, facere possunt, nisi quantum DEUS ipsis permiserit. *Secundò* elucet Omnipotentia DEI, cùm dæmones ad unicum SS. Nomen JESU contremiscunt, & fugiunt: atque exinde non mediocriter augetur honor & reverentia erga hoc sanctissimum nomen, in quo *omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum* ad Philipp 2. v. 10. *Tertiò* Bonitas & clementia DEI infinita, dum tantam contulit hominibus in se confidentibus potestatem, ut omnibus inferorum potestatibus dominarentur. *Quartò* Justitia divina, dum peccata hominum per ipsum primum peccati authorem punit, & castigat. *Quintò* mirè elucescit ex obsessione diabolica veracitas divina; dum ad oculum patet, se-

cundùm divinum promissum dæmones ex corporibus expelli. Optimè pariter ex obsessione divinitùs permissa omnis generis refutantur hæreses: dum enim constat ex promissione Christi Marci 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine meo dæmonia ejicient*: dum constat, inquam, signum veræ fidei fore expulsionem dæmonum: nullus autem dæmones ejicere valet præter Christianos Catholicos Ecclesiæ Romanæ fidem profitentes: irrefragabili certè conclusione infertur, hanc solam veram, solam sanctam, solam Apostolicam, solam supra firmam petram esse fundatam, & portas inferi nunquam prævaluisse adversùs eam, nec unquam prævalituras.

Tertiò: permittit DEus obsessiones diabolicas ob bonum, quod exinde procedit, veluti docet D. Aug. in Enchiridion cap. 11. & 27. dicens: *DEus nullo modo sineret aliquod malum esse in suis operibus, nisi usque adeò omnipotens esset, & bonus, ut benè faceret etiam de malo.* Porrò bona exinde scaturientia plura sunt: exinde enim sequitur splendor eximius Ecclesiæ sanctæ DEI, dum nedum pulchra ùt luna, electa, ùt sol, sed etiam terribilis ùt castrorum acies ordinata refulget: terribilis omnibus tartareis potestatibus, ut ipsas prosternat, confringat, & in fugam vertat. Sequitur etiam exinde profectus bonorum, ùt eruditè docet

D. Chry-

D. Chrysost. Hom. 41 in actus Apost. *Datur*, inquit, *talis potestas dæmonibus, ut meliores, & modestiores boni efficiantur, & ut pœnas peccatorum hìc dantes puri ad DEI conspectum migremus.* Denique exinde pariter sequitur justissima peccatorum pœna, ut sic castigati emendentur.

Dico 2. DEus tantùm permissivè vult N. 48.
rationem formalem maleficii, aut obsessionis causaliter sumptæ. Ita fides Catholica contra impios nostri temporis hæreticos. Ratio breviter est, quia ratio formalis maleficii aut obsessionis causaliter sumptæ est peccaminosa, & à malefico & dæmone ad peccatum ordinata; sed Deus peccati causa positiva esse nequit, ùt passim Scriptura clamat sic psal. 5. dicitur: *Non DEus volens iniquitatem tu es.* Et Jac. 1. v. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur; DEus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*: ergò, cùm obsessio diabolica ad tentationnm ordinetur, & peccatum, DEus ejusdem causa positiva esse nequit; de quo plura vide in Theologia *tum* Polemica, *tum* Scholastica.

Dico 3. Supposita voluntate DEI vel N. 49.
jubentis, vel permittentis obsessionem, causa proxima est ipse dæmon ad nocendum homini paratissimus: cùm enim ejus potentia sit eminentissima, scientia sublimissima, & voluntas in malo obstinata, supposita DEI permissione potest, scit &

vult homini nocere, eundem torquere, & vexare.

N. 50. Porrò diversas intrandi, & corpus humanum possidendi sumit occasiones: infantes enim rationis usu adhuc carentes, dæmon ingreditur, ùt plurimùm ob parentum, aliorúmque, quorum curæ subjecti sunt, negligentiam in eos commendando divinæ protectioni commissam: sic in oppido Wörthensi puellam illam Mariam Catharinam Wildin notoriam olim energumenam in absentia matris, tempore nocturno signô crucis non munitam, neque DEO commendatam, adhuc in cunis jacentem dæmon tempore nocturno ad trinam sagæ insuffiationem ingressus, per continuos viginti quatuor annos divexavit, & miserrimè discruciavit: unde benè D. Aug. serm. 2. Domin. 23. post Trinitatem: *Tentatur illa ætas, cùm à suis in mundo diligitur, & in Christo negligitur, Secundò:* non rarò ingreditur ob diras dæmonum imprecationes infantibus à parentibus factas; veluti dæmones ipsi in SS. Nomine JEsu adjurati mihimet ipsi sæpè fassi sunt. *Tertiò:* ut plurimùm ingreditur per maleficia sæpè enim sagæ, stryges, aliive similis farinæ homines pueris & puellis pira & poma, aliáque comestibilia offerendo fascinant, & diabolum ipsum vi pacti intrare cogunt: Aliquando per positionem certorum signorum magicorum, ut, sicut DEus mediantibus

bus Sacramentis ceu signis externis à suis Ministris colitur, & honoratur, ita diabolus talibus signis honoretur à suis, ut advertit S. Aug. lib. de Civit. DEI cap. 6. dicens: *Dæmones illiciuntur per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum; non ùt animalia cibis, sed ut spiritus signis: in quantum scilicet hæc eis exhibentur in signum divini honoris, cujus ipsi sunt cupidi.* Verùm de his infrà capite 8. de maleficiis agendo plura.

Pariter adultorum corpora ingredi, eósque miserè divexandi, diversissimas versipellis hostis sumit occasiones: licèt enim Deo positivè jubente res plana sit, quòd sine omni timore, maleficio, alióve medio ingredi non tantum possit, sed debeat: attamen, si voluntate concomitante duntaxat permittat obsessiones, velut homini usum liberi permittit arbitrii, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret; inclinationes omnes secundùm possibilitatem explorat, maleficos ad malefaciendum instigat, ut sic viam ingrediendi securam sibi sternat: quare, ut iniquissimis ejus machinamentis fortiùs resistatur, modos ingrediendi, vel maleficio inficiendi potissimos referam, unde

Primò: solet quandoque ingredi præcedentibus variis imaginariis, vel etiam realibus visionibus diversi generis spectrorum, quibus graves homini timores incutit, ut N. 51.

vel ita in fide & fiducia divinæ protectionis tepescat, ac per diffidentiam in DEO positam dæmoni januam corpus suum intrandi aperiat: potissima quippe obsessionis diabolicæ causa est diffidentia in Deo suo, ut infrà. q. 4. dicam.

Secundò: solet aliquando corpus hominis ingredi, & possideri ob desperationem & pusilanimitatem: cùm enim mœrore oppressi à DEO non petunt auxilium, vel se malis eripiendos diffidunt, etiam à Deo derelicti, à diabolo opprimuntur; nam *plerumque, qualis est hominis in DEum confidentia, talis est DEI in hominem liberalitas*, ait Drexelius de confor. vol. lib. 5. cap. 10.

Tertiò: solet ingredi ex occasione culpæ præcedentis, v. g. iræ, libidinis, ebrietatis, gulæ &c. DEUS enim ita desertus, justè deserit: sic propter iram contigit Abbati Moysi apud Cassianum *collat. 7. cap 27.* sic etiam propter præcipitem gulam cuidam Religiosæ apud S. Gregorium *lib. 1. dialog. cap. 4.* propter tepiditatem & distractionem in oratione cuidam Religioso, apud Scriptorum vitæ D. Bernardi *lib. 2. cap. 1.* Denique propter abominabile luxuriæ vitium plures possideri à spiritibus incubis, vel succubis, experientia ipsa testis est, & pluribus historiis passim in Authoribus legendis, & cuique fortè Exorcistæ sedulò muneri exorcistico incumbenti, non rarò occurrentibus comprobari

possec

possit, quod tamen, ut quorundam famæ consulatur, satiùs intermittitur.

Quartò: solet ingredi invitatus, & citatus ab imprudentibus quandoque homuncionibus, nil frequentiùs sibi ipsis imprecantibus, quàm ut diabolus se rapiat & possideat, cujus exempla vide in Delrio Disp. mag. *lib. 3. p. 1. q. 7.*

Quintò: omnium frequentissimè solet ingredi per maleficia, ita, ut quandoque tantùm resideat in parte corporis, & dicitur persona maleficiata, vel in toto corpore, & dicitur energumena. Sæpè tamen maleficium in veram transit obsessionem. Cur autem dæmon sæpissimè maleficiis utatur, cùm tamen per semetipsum ex permissione divina similia damna inferre possit, ratio breviter est, *tum*, ut sic maleficis obsequendo, eorum obsequendi constantiam promereatur. *Tum*, ut sic potentiam suam ostendet. *Tum*, ut DEO majorem injuriam inferat abutendo creaturis maleficis in injuriam, & vilipensionem Creatoris.

Sextò: tandem ingredi quandoque dicitur per imaginationem: cùm enim quandoque personæ priùs imaginariè tantùm possessæ, de divina protectione diffidunt, de Ejusdem providentia & bonitate conqueruntur, vel omninò ad magos fanitatem recuperaturæ confugiunt, meritò à DEO desertæ, & derelictæ à dæmone possidentur.

Quæstio tertia.

Quas molestias soleant dæmones inferre hominibus tam obsessis quàm possessis?

N. 52. Dico 1. dæmones extrinsecè solùm obsidentes hominem, sex potissimùm modìs eum vexare solent.

Primò: per apparitiones imaginarias species phantasticas commovendo, ita, ut se agitari, occidi, & jugulari arbitretur: quod aliquando in somno, aliquando in vigilia contingit: species quippe commovendo horrenda excitant somnia, quasi terribilia spectra interitum minitantia coram adstarent; unde eveniunt clamores insoliti, ululatus lamentabiles, sudor per omnes poros emissus, atque per totum corpus decurrens, horrendi fremitus, violenta membrorum agitatio, & similia plura: quæ omnia sæpè sunt præludia futuræ possessionis, vel maleficii, nisi patiens ad remedia spiritualia confugiat.

Secundò: per reales nonnunquam etiam apparitiones vexare solent in corporibus ex aëre, aut certè hominum in peccatis mortuorum assumptis; atque ita diversi generis malitias machinantur: sæpè enim tumultus excitant, imò & corpus ipsum ver-

verberibus afficiunt: quinimo nisi persona fortiter in fide resistat, etiam concubitum tentant, & heu! non rarò maximè, si persona aliàs sit ad venerea proclivis, perficiunt. Plura hujus possent afferri testimonia & exempla, fusè hinc inde à P. Delrio relata: unum præ cæteris, quod annô proximè elapsô lachrimantibus oculis à certa persona fœminei sexûs (studiosè nomen & patriam reticeo, ne ejus famæ & honori detrahere videar) enarratum fuit, ad instructionem aliorum referam: erat illa per decursum aliquot annorum per dæmonem ipsum sub forma viri nigri sibi qualibet fermè nocte apparentis miserè divexata: frequenter enim gravibus eam excepit verberibus, jam tumultus excitavit, jam lamenta & ululatus horrendos, jam etiam incubum agere tentavit; imò quod plus est, & vix aliquibus fortè credibile videtur, ad aspersionem aquæ benedictæ, vel adhibitionem aliorum spiritualium, licèt aliquantisper recederet, mox tamen subridere videbatur. Verùm, cùm persona misera in fide, modóque adversùs diabolum procedendi instructa ad lares proprios reversa fuissent, atque dæmon prima denuò nocte comparuisset, illicò ad signum crucis, & præceptum in Nomine JESU ab ipsamet persona factum, cum clamore recedens dixit: *Hoc te diabolus, vel mater ejus edocuit.* Ex

quo

quo videas, quàm facili negotio persona, etiam Ordine Exorcistatûs non insignita se ipsam ab omni vexatione diabolica liberare & præservare valeat.

Tertiò: vexare solent per auditum, in quantùm leves, vel sæpè etiam vehementiones excitant strepitus, simulatos incessus, risus, cachinos, suspiria, gemitus, clamores &c. quamvis, si similia sunt continua, etiam signa esse possint domûs à diabolo possessæ. Quinimò hoc alii etiam dæmones frequenter causare consueverunt, postquam corpus alicujus personæ jam realiter possederunt. Denique hoc totum etiam Stryges & sagæ à diabolo in cubile introductæ facere solent: audiatur, quod sub annum 1724. per litteras communicatum accepi: *Nuper aliquis* (verba ejus formalia refero) *mihi indicavit, quòd ab aliquot jam annis multas gravésque molestias noctu patiatur à sagis; cui innui, ut concepta fide ad earum adventum præceptum in SS. Nomine JESU efformare, atque ita easdem expellere velit. Sed ecce! cùm iis advenientibus præceptum inchoâsset, adeò manu guttur constrinxit saga, ut nec verbulum proferre potuerit: quem reducem, & à sua miseria necdum liberatum jussi, ut antequam se cubitum conferat, idem faciat, sanctissimúmque Nomen JESU, quod scriptum dedi, januæ & fenestris affigat; & ecce! hucusque liber exisit, magnificans Dominum Nomenque sanctissimum.*

Quar-

Quartò: vexare solent per odoratum, causant enim intollerabilem fœtorem, tum domum, tum vestes & aërem aliáque replentem: unde etiam magi, malefici, & stryges propter frequentem cum dæmone conversationem ùt plurimùm fætent, atque ex ore, vestibus, & toto corpore gravè olentia emittunt, non ferenda.

Quintò: vexant per gustum, ita ut nauseam procreent vel omnium, vel aliquorum saltem comestibilium: quinimò malefici ùt plurimum per porrectionem esculentorum & potabilium maleficio inficere conantur, uti pluribus exemplis confirmari posset. Sed ne ultra intentum armamentarium hoc in longum excrescat, unicum referam, quod propriâ experientiâ edoctus sum. Evocatus hoc ipso anno ad certi Ludimagistri filiam parvulam adhuc in cunis jacentem, à matre ejusdem inaudîi, quòd tribus continuis septimanis insomnis jaceret, & nec minimum comestibilium gustaret, præter ea, quæ per potum sugeret: imò, sistenti & summè reluctanti aliquid per vim porrigatur, per vomitum illicò totum ejiciat. At iniquô tortore per præceptum rejectô illicò comedit, totóque corpore infrà breve temporis spatium est revalidata.

Sextò: denique per tactum vexant hominem. Sæpè enim eum ex lecto detrahunt, aures vellicant; modò in eodem lecto

cto cum eo accubare tentant; modo alliduntad parietes, præcipitem agunt, verbera infligunt, ubera fugunt, in altum elevant, quasi possessus foret &c. quæ omnia vel in corporibus assumptis, vel per potestatem suam innatam, vel certè per maleficios faciunt: atque, ut hostis versipellis magis noceat, suámque in nassam pertrahat, sæpiùs se animam alicujus defuncti esse simulat, quin & suffragia, restitutionem &c. fieri petit, uti apud P. Candidum Brognolum *P. 1. cap. 2. q. 3. n. 8o.* plures testantur authores. Quare valdè cautè cum similibus spectris procedendum, de quo infrà cap. ultimo, ubi de domibus vexatis expurgandis sermo erit, plura fortè non inutilia dicentur.

N. 53. Dico 2. dæmones corpus humanum verè & realiter possidentes omnis generis causant infirmitates, ita, ut non sit infirmitas naturalis, quam versipelles hostes non imitari studeant; atque adeò, quia ita diversimodè vexant, difficillimè dignoscitur vexatio dæmoniaca ab infirmitate naturali, nisi mediante præcepto vel lenitivo, vel probativo suprà explicato.

Porrò diversis modis tales infirmitates causant, videlicet *primò* sensibus internis illudendo, species imaginarias imò spiritus animales commovendo & turbando, vel in corpore concitando motiones & affectiones varias: ex quibus commotionibus

bus & agitationibus specierum, præsertim assumptis etiam vaporibus instituto accommodatis, facile efficiunt, ut homo se videre putet, quæ nunquam sunt visa, aut audire, quæ nunquam audita: imò & omnis generis infirmitates.

Secundò: movendo & perturbando humores naturales; excitando atram bilem eandèmque adaugendo admotis causis oportunis, quas optimè nôrunt, noxia excrementa coacervando ad junctûras &c. ita, ut infirmitas etiam dæmoniaca sæpè in naturalem declinet, atque expulso etiam dæmone, reliquiæ naturales remaneant.

Tertiò: nocent organa corrumpendo, & habetando; membra nervósque membrorum distrahendo vel contrahendo, ita, ut homines secuta etiam liberatione debiles, curvi & claudi sæpè remaneant, nisi naturalibus medicamentis sanentur: quinimò, quandoque venas interiores rumpunt, ita, ut recentissimus sanguis pleno ore effundatur.

Quartò: nocent eos impellendo in varia pericula, nunc in ignem injiciendo, ut comburantur, nunc in aquam, ut suffocentur, nunc in præcipitia, ut collidantur, aut aliàs miserabiliter pereant, uti habetur Marc. 9. Interim tales sæpè ab omni prorsùs malo liberi divinitùs conservantur.

Quintò: renitente etiam voluntate propellendo, ut per sylvas, per avia & devia decur-

currant, seipsos lapidibus &c. impetant, saxis collidant, uti tragica experientia quotidie demonstrat, & habetur Matth. 17. Marci. 9. Luc. 8. & alibi; atque si per vim adstantium impediantur, aut teneantur, ordinariè ipsismet fatentibus graviores intùs sentiunt dolores, quàm si omnia prædicta fecissent. Interim tumores inde causati ordinariè nec emplastrô, nec aliô medicamentô indigent, sed sine omni adhibito pharmaco citò pereunt, cujus plura possem adducere exempla, nisi armamentarii molem expaveſcerem.

Sextò: sæpiùs etiam mortem ipsam inferunt, uti testatur Tostatus in cap. 8. Matth. q. 120. prout dæmon septem Sáræ viros occidit Tob. 3. Hæc & similia mala plura causant dæmones, quæ haud dubiè ad commovenda Exorcistarum viscera sufficientia sunt, ut manum auxiliatricem porrigant, potestatémque sibi divinitùs gratis datam gratis pariter applicent.

Quæstio quarta.

Super quos potissimùm homines dæmones potestatem suam tyrannicam exerceant?

ADvert. Diabolum secundùm mentem D. Dionysii l. 2. cap. 4. de divinis nominibus, donorum naturalium peccando nullum amisisse: unde fit, ut & vires

vires naturales etiamnum habet validissimas, diuturnam & multiplicem experientiam, Essentiarum, & qualitatum scientiam exactam, adeò, ut nullus homo in puris naturalibus constitutus ei vel resistere, vel in aliquo comparari queat. Quo tamen non obstante

Dico 1. Etsi diaboli naturalia in actu primo integra & illæsa permanserint, in actu tamē secundo per passionem Domini ejus potestas ita ligata est, ut in Dei servos, veram confidentiam in Deo habentes nullam ordinariè potestatem exercere valeat. Ita certa & communis. Et *probatur primò* Authoritate Scripturæ. Sic enim Joan. 12. dicit: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* In quæ verba Cyrillus Alexandrinus: *Habuit quidem priùs dæmon per tyrannidem principatum in totum genus humanum, & dominatum crudeliter exercuit in omnes; atqui virtute mortis Christi & sanguinis confracta est illius potestas, & sublata potentia, & quos injustè detinuit captivos, justè perdidit.* Et Hilarion Monachus super eadem verba in persona Christi loquens ait: *Nunc morte mea fiet, ut dominatum in homines omninò amittat diabolus, qui peccato primorum parentum in omnes acerbissimè principabatur.* Et mox: *quis igitur ad hanc mentionem non lætetur? non gratias agat continuè pro liberatione? Conf.* ex illo Joan. 3. ubi dicitur Christus venisse, *ut dissolvat opera diaboli.* N. 55.

Et Zacharias Pater Joannis Luc. 1. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi.* Quis autem dicat, Christum adventûs sui finem non assecutum?

Probatur secundò authoritate Patrum clarissima. Sic S. Athanasius orat. 1. contra Arianos: *Omnes, qui legitimè in Christum fiduciam habent, pedibus conculcant eum, qui hæc verba dicebat: in cælum conscendam.* S. Bernardus super Psal. 90. *qui habitat: beatus planè,* inquit, *qui sic habitat in adjutorio altissimi, qui in protectione Dei cæli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum, quæ sub cælo sunt, quem Deus cæli protegere, & conservare voluerit? porrò sub cælo sunt, quæcunque nocere possunt; sub cælo sunt aëreæ potestates &c.* S. Anton. Abbas magnus ille terror orci dicere solebat: *magna dilectissimi adversus dæmonem arma sunt vita sincera, & intemerata in Deum fides.* S. Paulinus in vita S. Ambrosii refert, Innocentium magum inter tormenta fassum, magos sæpè voluisse maleficiis suis Ambrosium inficere, imò omninò enecare; nec quidquam tamen propter fidem ejus & fiduciam in Deum illibatam potuisse perficere. Juvat adhuc semel adducere S. Athanasium in vita S. Antonii, qui refert, diabolum olim apparuisse Antonio, summéque conquestum fuisse de sibi subditis, imò omnibus Christianis, quòd omnium suorum delicto-

rum

rum diabolum ùt authorem designent dicentes: *hoc maledictus fecit diabolus: vel diabolus me decepit. Sed ànne malè*, respondit Antonius: *ah Antoni*, replicabat diabolus, *scire debes, quòd redemptor me tam inermem atque imbecilem effecerit, ut balitu vel unico prosternar: ego miserabilis factus sum. Rogo, nonne legisti, quia inimici defecerunt frameæ in finem?* Psal. 9. S. Theresia, ùt videre est in ejus vita cap. 25. audacter pronunciat, se diabolos non plùs curare, quàm muscas. Et en! quantæ fortitudinis sit diabolus, qui tamen passim ita timetur? Suffragatur etiam Seraphicus S. Pater noster Franciscus, qui apud Carolum Rapinæum q. 154. in colloquio 30. cum Fr. Angelo dicebat: *Eja timide, quid imbeciles, & infirmos hostes vereris, quorum vires & potestatem Deum penes optimè nôsti?* Vide si placet ulteriùs Cornelium à Lapide in expositione Epistolæ ad Colossen. v. 5. ubi de triumphato diabolo, & cum Christo in cruce crucifixo eruditè more suo ad nostrum discurrit propositum: mihi enim, ne ultra propositum longus sim, ad alia properandum. Unde

Probatur tertio authoritate Angeli tutelaris diu sub forma Pastoris cum S Herman Pauli Discipulo commorantis, atque sæpiùs hanc veritatem eundem docentis, ùt videre est Tom. 3. Bibliothecæ veterum lib. 2. hìc ergo mandato 7. ait: *diabolum ne timeas, timens enim Dominum dominaberis illius; quia virtus in illo nulla est; in quo au-*

tem non est virtus, is timendus non est. Et mandato 10. *quicunque fide pleni sunt, resistunt diabolo, & ille recedit ab eis quia non habet locum intrandi.* Item ibidem: *diabolus timorem facit; sed timor illius vanus est, nolite ergo timere eum, & fugiet à vobis.* Et mox: *diabolus non potest dominari in Dei servos, qui ex totis præcordiis in Domino credunt.*

Probatur quarto ab ipsamet experientia optima rerum magistra: constat siquidem personam aliàs vehementissimè vexatam, in fide tamen & fiducia instructam, vix ullam ampliùs pati vexationem, aut dolorem: quinimò, si dæmon certam corporis partem divexare, doloréque afficere velit, subitò reprimi, prout hinc inde in progressu dictum, aliquibúsque etiam exemplis confirmatum. Et certè, si quis Exorcistarum experientiam capere velit, diabolum ipsum in nomine JESU adjuratum interroget, & ipsam veritatem edicere coactus erit, prout sæpissimè factum.

Dico tamen notanter: *nullam ordinariè habere potestatem*: judicia quippe DEI abyssus multa. Sunt enimverò quandoque homines, qui ipsimet ad majus meritum à diabolo vexari, & cruciari deposcunt. Sunt & alii magnis & gravibus peccatis animam suam coinquinantes, Deúmque offendentes, atque ita justo DEI judicio pœnam debitam exsolventes; prout elegantissimè more suo magnus testantur Augusti-

gustinus præfat. enarr. Psalm. 29 dicens: *in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam*: qui haud dubiè non ita facilè potestatem diabolicam reprimunt. Sunt denique etiam alii, qui licèt centies fateantur se maximam habere fidem, centies tam sibi, quàm Exorcistæ mentientur. Quare

Dico 2. Potestas diaboli relaxata est in N. 56.
omnes filios diffidentiæ, ut proin per diffidentiam aliáque peccata ipsi arma vexandi & cruciandi subministrent. Ita denuò certa & communis. *Probatur primò* authoritate D. Chrysostomi serm. 16. *nos vitiis nostris facimus, ut illi accipiant potestatem nocendi.* Cui adstipulatur Drexelius de conformit volunt. lib. 5. c. 10. §. 7. *sed quæras fortè, cur Deus permittat tot homines maleficis artibus devinciri, & necari? ne mirare: summa in Deum diffidentia etiam supplicii genus meretur. Jure Deus per hos punit, per quos tam variè offenditur: multis enim vix alius est medicus, quam magus: nec alius pharmacopæus, quam diabolus.* Et mox infrà: *heu, quàm in orbe pavi sunt, qui Deo fidant toto animo! mores hominum contiæ, & plurimum ubique reperies diffidentiæ, quæ quot annis penè eadem redit, & revivisçit, & inde tam vani timores.* En, quàm eruditè causam derelictionis divinæ edocet! & quid mirum? si enim Deus per diffidentiam, aliáque peccata deseratur, justis-

simè pariter deserit. Huic pulchrè consonat Lactantius lib. 2. div. inst. cap. 26. dicens: *nocent dæmones quidem, sed iis, à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelsa non protegit.* Et Angelus Custos Tom. 3. Bibliothecæ SS. Patrum lib. 2. mandato 12. *Quicunque fide pleni non sunt, timent diabolum, quasi potestatem habentem. Quicunque pleni sunt fide, resistunt ei fortiter, & ille recedit ab eis: quia non habet locum intrandi. Tunc vadit ad illos: qui non sunt in fide pleni, & quoniam habet locum, inde intrat in illos, & quæcunque vult, facit illis, & fiunt famuli ejus.* Unde

Inferes veritatem sæpiùs in decursu traditam, quòd videlicet ipsimet energumenus, aliùsve maleficiatus Deo partes suas adjuvante & secundante faciliter non tantùm motus diabolicos reprimere, sed semetipsum penitus liberare valeat. Si enim verò dæmon nullam, nisi in filios diffidentiæ potestatem exercere valet, hac per veram confidentiam sublata, potestatem sustulerunt.

N. 57. Dico 3. dæmoni nulla inest potestas animam per peccatum coinquinandi. Ita denuò certa & communis: atque solidatur clarissima Patrum authoritate: sic enim D. Chrysostomus in Matth. Hom. 5. *Diabolus enim suggerere potest, cogere non potest.* S. Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 8. *dæmon est quasi canis à Christo ligatus, qui latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino*

nò non potest, nisi volentem. D. Hieronymus in Matth. cap. 8. *persuadere potest præcipitare non potest.* Unde denuò

Inferes, quantùm sæpè fallantur à morosô philtro ad amorem incitati, vel diabolum incubum, vel succubum habentes, vel diabolo blasphemiæ &c. vexati. Etsi enim se ad malum propelli, & cogi fatentur, revera tamen sua voluntate potius, quàm à diabolo trahuntur, si non explicitum, saltem implicitum consensum præstant; utpotè scientes se contraxisse habitum, quem divina aspirante gratia non allaborant tollere, & eradicare, ut subtiliter & veridicè dæmon ipse in simili emergentia per os energumenæ fassus est, & tradit Brognolus p. 3. manualis cap. 4. a. 4. q. 5. n. 722. Unde & similis personæ ordinariè difficilimæ sunt curationis; cùm enim diabolo vitia suggerenti promptè obediant, imò obediendi habitum contraxerint, difficillimè è diametro oppositis remediis ab exorcista propositis fidem habeant, vel saltem concepta fide speculativa de veritate dictorum, vix, aut ne vix quidem remedia præscripta applicent: sicque miser Exorcista multo quandoque tempore laborans oleum & operam perdet.

Quæstio quinta.

Cur fœminæ frequentiùs, quàm viri possideantur, & à dæmone vexentur?

CUm plures admiratione attoniti non rarò Exorcistis fragiliori etiam sexui operam suam navantibus graviter detrahere, eosdémque ceu incautos & imprudentes morsibus canînis dilacerare soleant, meritò quæstionem præsentem ventilandam assumimus, ne fortè similes diabolorum advocati, maleficorúmque Patroni trepidantes Exorcistas cum summo corporum animarúmque detrimento totaliter absterreant. Quare

N. 58. Dico: plurimæ sunt rationes, cur frequentiùs fœminæ, quàm viri à dæmone possideantur, inter quas sequentes duntaxat adduco.

Prima desumitur ex dictis mox suprà quæstione præcedente, ubi dictum, potestatem diaboli esse relaxatam in omnes filios diffidentiæ; atqui fœmineus sexus ceu longè fragilior, ita & in fide debilior est; velut manifestè demonstratum fuit in prima nostrorum omnium parente Eva, quæ licèt Deum ceu primam & infallibilem veritatem certò esum pomi prohibentem, & mortem secuturam prædicentem, sciret, serpen-

serpenti nihilminus interroganti, quare non ederent de omni ligno paradysi? respondit: *ne fortè moriamur.* En dubium! unde benè Terentius ait: *mulieres fermè ut pueri levi mente sunt*, timent, ubi timor non est, trepidant, & de divina protectione difidunt, ubi meticulus se lepus movet: quin sæpè timore vel anxietate etiam minima perculsæ de DEO conqueruntur, se totaliter Deo ignotas, ab eo derelictas lamentantur. Et quid mirum, si à DEO deserantur, & sæpè diabolicæ potestati subjiciantur?

Secunda ratio desumitur ex vehementissima iræ passione, qua ùt plurimùm laborant fœminæ; etenim, cùm mulier odit quemquam, quem priùs amavit, tunc æstuat per iram, & impatientiam, & sicut maris æstus semper bullit & currit, sic spumas ex ore, summam vindictam ex corde ejicit. *Non est ira super iram mulieris* ait Ecclesiast. 25. & Seneca Tragœd 8. *Nulla vis flammæ, tumidique venti tanta, nec teli metuenda torti, quanta cùm conjux viduata tædis ardet, & odit.* Dæmonem autem quandoque solere ingredi corpus sumpta occasione iræ, vel indignationis, jam dictum est suprà q. 2. & exemplô confirmat Brognolus *p. 1. manualis cap. 2. a. 1 n. 80.* Quod præsertim verificatur in casu, quo præ iracundia variæ imprecationes, diaboli ex orco evocationes fiunt, quæ rarò abesse solent.

Tertiam rationem præbet ter maledictum luxuriæ vitium, quod aliquæ fœminæ frequenter in occulto tantâ vehementiâ perpetrant, ut saturari nescientes etiam diabolum ipsum invocent ad explendam cum eo libidinem; prout exemplis confirmare possem, nisi brevis esse cogerer. Vel si tantum nefas attentare non audeant, illud sæpissimè commissum præ verecundia in confessionali tacent, & reticent, usque dum in abyssum desperationis incidentes à Deo derelictæ possideantur.

Quartam dat *rationem* lubrica fœminarum lingua, qua maleficos sibi ignotos aculeosis dictis exagitant, & ad maleficia sibi paranda incitant, prout frequens est experientia.

Quinta ratio desumitur ex defectu virium corporis & animæ. Cùm enim plerumque in omnibus sint viris longè imbeciliores, variis immaginariis visionibus à dæmone terrentur, usque dum in fide & fiducia divinæ protectionis tepescentes, per diffidentiam dæmoni januam intrandi corpus aperiant. Quinimò, licèt ab initio sæpè tantum imaginariè sint possessæ, ob suam tamen in DEO diffidentiam non rarò etiam realiter possideri merentur.

Sexta naturalis ratio esse potest, quia dæmones solicitè celare se satagunt sub nomine humorum matricalium, qui plùs regnant in fœminis, quàm in viris. Atque adeò

adeò sub nomine infirmitatis materialis dæmones per plures sæpè annos in corpore latitant, quin unquam deprehensi ab Exorcistis exagitentur, & expellantur. Cujus mirabile exemplum annô 1724. in certo pago non procul Frisingâ dissito contigit. Erat ibidem uxor juvencula Scriniario cuidam legitimô matrimoniô copulata. Sed durante matrimonio continuis infirmitatibus, præsertim phrenesî depressa. Varia hinc inde requirebantur remedia ad humores matricales, quibus ceu unicæ vel saltem potissimæ radici tota imputabatur infirmitas, tollendos & compescendos: verùm omnia erant frustranea, omnia cassa; phrenesis enim in tantùm invaluit, ut prima vice prægnans infelix Mater abortaverit: secunda vice quotidiana, imò integris quatuordecim ferias Paschales proximè præcedentibus diebus sine interruptione phrenesî laboraverit, licèt exactô quadragesimali tempore non nihil reconvaluerit. Quare, cùm nulla proficerent remedia naturalia, maritus ejusdem latentem diabolum suspicatus, ad spiritualia conversus, ad nostrum Frisingensem venit conventum; quem breviter in fide, & fiducia instructum quæsivi, num efficaciter desideret uxorem suam sequenti nocte ab omni phrenesi servare immunem, licèt aliàs tempore, præsertim nocturno, nunquam immunis fuerit? quo annuente, jus-

jussi, ut domum reversus uxorem suam coram se genuflectere faciat, atque in SS. Nomine Jesu præceptum formet, ne dæmon eandem per noctem integram sequentem ulla phreneſi vexet, vel torqueat. Paret maritus, & uxore pariter in fide & fiducia prævie instructa, præceptum efformat. Et ecce! contremiscit ad SS. JESU Nomen mulier, deperdit phreneſin, & altero die unà cum marito ad nostrum venit conventum; quam, cùm priùs diabolum per primum præceptum à marito factum jamjam debilitatum viderem, ulteriùs in fide & fiducia instructam, exorcizavi Exorcismô infrà cap. 6 q. 9. appositô, atque sequenti die ad lares proprios reduxi, ubi sana & incolumnis à feria tertia usque ad diem dominicam lætam in Domino vitam vixit: sed viro die dominica in vicinum quendam locum laboris causâ recedente, atque aliam mulierem sui locò ad custodiam uxoris suæ substituente, tempore vespertino sub crepusculum ante adventum mulieris præfatæ, spectrum tam terribile per fenestram ascendit, sèque super uxorem Scriniarii jam in lecto jacentem inclinavit, ut hæc præ vehementia timoris vix non animam emiserit. Advenit tandem mulier in custodiam deputata, & illicô spectrum illud horrendum in ejus adventu evanuit, licèt per totam illam, imò & duas sequentes noctes continuò in

cubi-

cubiculo cameræ vicino tremendos ediderit ejulatus, ac strepitus, quasi ligna portaverit, aliásque exercuerit insolentias. Quare novum timentes abortum mulieris prægnantis, virum advocant, nováque remedia ad spectrum illud arcendum postulant. Viro ergò denuó in Conventu nostro comparenti suggessi, ne uxorem tempore præsertim nocturno è sua imposterum dimittat præsentia, ipséque in fide & fiducia confortatus ad novum spectri illius horribilis adventum dæmoni in SS. Nomine JESU præcipiat, ut sagâ, vel maleficô (qualem spectrum illud suspicabar) relictô, ipse solus fugiat, & discedat, vel omninò ad præceptum sibi factum positivè in locum retineat, ne fugere possit; atque ita sagæ inermi sine adjutorio diabolico relictæ baculô priùs benedictô debitam mercedem solvat. Sed renuit mercedem spectrum illud horribile, & in præsentia viri nunquam ampliùs comparuit, ita, ut mulier una cum prole debito tempore edita in hodiernum usque diem vivat in Domino consolatissima.

Atque hæ videntur potissimæ rationes, cur fœminæ frequentiùs, quàm viri possideantur, & à dæmone vexentur, quas si quilibet attentè ruminando consideraverit, mirari, & Exorcistis detrahere desinet. Vel si rationes præfatæ alicui fortè insufficientes videantur, praxin & experientiam

tiam consulat: non enim naturaliter possibili videtur, ut persona ad Exorcistæ præceptum illicò resurgat, quæ multis medicorum remediis adjuvari non potuit. Sed

Dices, cum aliquibus inexpertis: si tales fœminæ verè à diabolo vexarentur, loquerentur variis linguis, prout diaboli ceu sapientes haud dubiè eas nôrunt. *Secundò* scirent, & propalarent peccata occulta, aliáque remota & absconsa revelarent. *Tertiò*, evidentiora darent signa obsessionis extinquendo luminaria magna, aliáque id generis plura.

℟. Non sola ista, sed & alia plura forè signa obsessionis, ùt infrà q. 6. sequenti deducam. Deinde, cùm obsessorum genera sint diversa, etiam diversi sint effectus: non enim omnes sunt pythonici, non omnes arreptitii: non omnes lunatici, sed plures etiam sunt spiritum infirmitatis habentes. Denique cur spiritus tam ratò ignotis linguis loquantur, vide infrà c. 4. q. 1. Cur verò non semper occulta, præsertim peccata hominum revelent, sciendum imprimis ex communi Theologorum, dæmones non scire peccata interna, neque videre posse, vel cognoscere peccata ùt habitualiter permanentia, licèt autem peccata externa, seu potiùs actum ipsum materialem peccati cognoscant, sæpè tamen vel non habent à DEO potestatem revelandi, vel certè studiosè non revelant, ne

pec-

peccatores ex nassa sua se extricent. Ad *tertium* dico, dæmones semper dare possessionis signa, si Exorcista bene procedat, neque necessarium, minùs utile fore, ut luminaria extinquant.

Quæstio sexta.

Quænam sint signa dignoscendi veram & realem obsessionem, vel maleficium ab obsessione ficta & imaginaria?

ADvert. Signorum externorum, quibus verè obsessus ab imaginariè & ficte obsesso dignosci queat, alia fore certiora; alia probabilia, & conjecturalia duntaxat. Priora sumuntur ab effectibus, qui causæ naturali adscribi nequeunt, consequenter necesse erit, ut à causa superiori, & transnaturali procedant. Probabilia sumuntur ab effectibus, qui ùt plurimùm à causa transnaturali procedere solent, licèt etiam à causa naturali procedere possent. De utrisque valdè eleganter tractat R. P. Candidus Brognolus. Unde ejus sequendo vestigia

Dico I. Signa certioria & magìs efficacia à diversis potentiis desumpta potissimùm sunt sequentia:

1. Cùm quis delirio, phreneſi, aliáve infirmitate, vel dolore cujusvis partis corporis

poris vexatur, atque ad præceptum lenitivum, modò suprà *cap. 1. q. 3.* præscriptò conditionatè factum, omnis dolor subitò cessat, atque pristinæ sanitati restituitur.

2. Cùm ad præceptum probativum mox patiens vexetur, & præceptò lenitivò sanitati restituatur: atque hi duo modi sunt ordinaria signa, quibus prudens Exorcista facilè in notitiam infirmitatis devenire potest.

3. Cùm quis cæteroquin rudis & ignarus, distinctè tamen & ordinariè de arduis & sublimioribus discurrit, vel angelicus, vel dæmoniacus est.

4. Quando linguæ latinæ, vel alterius ignarus, Exorcistam tamen præcepta formantem intelligit.

5. Cùm occulta annuntiat, remota adducit, futura prædicit, vel similia naturales vires excedentia facit.

6. Cùm quis concidit velut mortuus, & sine mora ad præceptum Exorcistæ resurgit.

7. Si absque alia causa præcedente sibi ipsi mortem inferre velit, vel si saxis collidat, in ignem immittat, ex alto se præcipitet absque alio nocumento secuto, quod satis frequens est.

8. Si semetipsum cum læsione corporis pugnis, aliòve instrumento percutiat, atque mox iterum sine alio adhibito remedio sanitati restituitur.

9. Si

9. Si imaginativæ potentiæ inhonestissima quæquæ circa Christum Dominum, Beatissimam Virginem, aliósque Sanctos repræsententur, eodémque tempore in phantasia quasi plumbum, vel ferrum candens &c. resideat, atque ad signum crucis illicò refugiat.

10. Si dolor hinc inde per corpus discurrit per modum formicarum, vel per modum ignis ardentis &c. atque ad signum Crucis subitò recedit, quod valde frequens est.

11. Si aliqua persona absque prævia dispositione nimio amore erga alteram inflametur, ita ut pectus sibi credat aduri, nisi illam quærat, videatúrque quasi furere præ intensione amoris &c. signum est diabolicæ operationis.

12. Cùm quis repugnante propria voluntate gaudet malefacere, parentes & religiosos contemnere, & subsannare, præsertim, si eosdem nunquam aspicere potest. Certâ quippe experientiâ constat, quòd similes personæ ordinariè Exorcistas & Religiosos aspicere nequeant.

13. Cùm maritus uxorem absentem vehementissimè diligit, quam præsentem etiam contra voluntatem suam summô prosequitur odiô, signum operationis dæmoniacæ est.

14. Cùm quis contra voluntatem suam odio habet Sacramenta, sacramentalia,

Reliquias Sanctorum &c. nullámque hujus odii rationem dare queat: quod energumenis ordinarium est.

15. Cùm nulla præcedente tribulatione vel angustia aut morbo hypocontriaco aliquis subitò ita desperat, ut vestes, imò propria membra dilaceret, pugnis se percutiat, in ignem dejiciat &c.

16. Si diurno tempore nihil, aut vix aliquid, tempore nocturno videt meliùs, ita, ut etiam legere possit.

17. Si subitò patienti lumen oculorum aufertur, & subitò restituitur: quod frequens est, quando similes personæ vel spiritualia legunt, vel imagines Sanctorum aspiciunt.

18. Cùm subitò variatur auditus, ita, ut patiens mox surdescat, mox perfectè audiat, quod præsertim audiendo spiritualia contingit.

19. Cùm per plures dies nihil comedit vel bibit, fortis tamen est & pinguis.

20. Cùm patiens vehementissima ardet siti, vel fame lupina vexatur, cibum tamen & potum abhorret; quin à Medicis sciatur causa naturalis.

21. Cùm loquitur linguis peregrinis, quas nunquam audivit, vel didicit.

22. Cùm inopinatò vocem amittit, eámque ad præceptum Exorcistæ illicò recuperat.

23. Cùm

23. Cùm quis cæteroquin sanus, lupina quasi fame vexatus nunquam satiatur, licèt maximam ciborum quantitatem devoret.

24. Cùm nec vir uxori, nec uxor viro appropinquare potest, quia videtur aliquod corpus intermedium, vel quia natura illicò est debilitata, licèt antecedenter satis cupida fuerit.

25. Cùm quis cæteroquin debilis & infirmus, ita tamen fortis est, ut ab aliquot viris retineri nequeat.

26. Vociferationes, clamores, arrotationes dentium &c. factæ contra voluntatem patientis aliàs sani & prudentis.

27. Insoliti clamores ex ventre procedentes per modum canis, aut ranæ &c. præsertim si ad præceptum Exorcistæ mox evanescant.

Hæc præcipua sunt signa certiora obsessionis, vel maleficii, quamvis plura adhuc alia assignari valerent, quæ tamen prudens Exorcista mediante præcepto probativo, vel lenitivo facilè dijudicabit; ne secùs gravissimè, præsertim à fœminis ex defectu uteri, vel matricis simillimas infirmitates patientibus, decipiatur, atque plurimo quandoque tempore laborans, locò certe sperati effectus, supsannationes & lubdibria reportet, animùmque personas verè possessas exorcizandi deperdat. Quare, nisi per præceptum probativum, vel lenitivum suprà *cap.* 1. *q.* 3. declaratum, evi-

dentiam obsessionis deprehendat, ut fictè, vel imaginariè possessam personam derelinquat, & deserat.

N. 60. Dico 2. signa obsessionis, vel maleficii probabilia sunt potissimùm sequentia.

1. Si patiens aliàs bonus, & timoratus, contra propriam voluntatem odio habet Sacerdotes, Religiosos, Parentes & amicos, eósque ceu suos adversarios æstimans, fugiat, & horreat.

2. Si remedia spiritualia ceu sibi multum noxia absque sufficienti ratione averserur, & detestetur.

3. Si alicui sæpè occurrant phantasmata, vel visiones tales, aut imaginariæ spectrorum horribilium, nisi aliàs natura sit pavidus.

4. Si somnia ordinariè sint spectrorum horribilium, vel etiam libidinum in persona aliàs casta & timorata.

5. Si internas sentiat allocutiones rerum inutilium, & vanarum: imò, si sæpè appareant visiones rerum spiritualium v.g. Angelorum, aliorúmque Sanctorum, immoderatam castigationem corporis suadentium.

6. Si repente absque ulla ægritudine corporis præcedente omnium artium, aliorùmque factorum, & auditorum, præsertim spiritualium obliviscitur.

7. Si præter antiquam consuetudinem amat obscura, & tetra loca, præsertim, si simul

simul præter consuetudinem abstineat, vel omninò horreat cibum & potum, nec aliàs sit naturâ melancholicus.

8. Si quis, sanæ mentis contra voluntatem suam propriam se in varia pericula mortis præcipitet, nesciens, unde hoc proveniat.

9. Si quis absque ulla præcedenti gravi tribulatione fugiat consortia parentum & amicorum, neque orationi, aut meditationi vacet, imò horrorem ab omnibus concipiat.

10. Si quis oculis sanus lucem omni conatu fugiat.

11. Si tristetur, sudorèmque emittat ad præsentiam Sacerdotum, non verò aliorum hominum, vel si timore, & horrore percellatur ad præsentiam Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, sacrarum Reliquiarum, præsertim, si simul easdem aspicere nequeat.

12. Si magis tristatur, dolorèque afficitur in Festivitatibus majoribus, majoríque cultu celebratis v.g. ante Ferias Natalitias, Paschalis, Pentecostes &c. hoc enim ordinarium est similibus personis.

13. Si aliàs sanæ mentis absque ulla timoris causa, timeat occidi à suis amicis & cognatis, vel aliàs timore subitaneo percellatur, nesciens, quid timeat.

14. Si quis sanæ mentis spumat, dentibus

fremit, seipsum pugnis percutit, vel dilacerat &c.

15. Si quis velut canis rabidus absque præcedente infirmitate alios invadit, percutit, Sanctos blasphemat, dæmonem in auxilium vocat.

16. Si quis album oculorum variè mutando nequit aspicere Exorcistas, aliàque spiritualia.

17. Si cæteroquin sanus unam rem videat aliter à sua naturali dispositione v. g. hominem ut canem, periculum est obsessionis, vel diabolicæ perturbationis.

18. Si quis continuò, vel saltem frequenter plorat, nescions causam sui ploratûs: quod tamen etiam contingere potest ex melancholia, abundantia humorum præsertim apud fœminas: vel ex matrice.

19. Si oculus patientis ita perturbatur, ut terreat videntes, terribilésque ac perlucidas monstrat oculorum acies.

20. Si sæpiùs videat dæmonem sub diversis formis, puta gigantis, hominis atri, vetulæ, canis, ursi, cati, &c. sibi apparentem, signum est, diabolum tentare ingressum, vel jam actu corpus possidere.

21. Si ordinariè tædiô afficiatur ad pulsum campanæ benedictæ, lectionem Exorcismorum, Evangelicorum, vel aliorum spiritualium, vel omninò infirmetur.

22. Si absque alia egritudine nequeat gustare cibum illum, quem aliàs perliben-

ter

ter comederat: vel si comedat eundem, quasi bolum sibi cor opprimentem sentiat.

23. Si magis abhorreat cibum benedictum, quàm alium.

24. Si sanus, & incolumis cum difficultate comedit, ita, ut violenter oporteat cum cibare.

25. Si quis incessanter cruda devorat, nec satietatem præsefert.

26. Si præter morem suum bestialiter in maxima quantitate devorat, & nunquam satiatur.

27. Si præter consuetudinem, ex instituto voces brutis non absimiles emittit.

28. Si quis valdè difficulter verba sacra profert, profana verò facillimè.

29. Si ex ore patientis exeunt fætores infernales, ùt sulphuris, picis, fuliginis, carbonum &c.

30. Si abhorret odores sacrorum, & benedictorum, non item abhorret aliorum non benedictorum.

31. Si quis tagendo nimis urit, aut ignescit, aut subito frigescit.

32. Si citra phantasticam apprehensionem bolum ferè perennem sentit in stomacho, isque aliquando in guttur ita ascendit, ut suffocare videatur.

33. Si quis bonæ & sanæ constitutionis cibum non benedictum nequit retinere, sed per vomitum rejicit: ècontraverò retinet cibum benedictum.

34. Si quis vomitu ejicit acus, cultros, clavos, vitra, aliáque similia.

35. Si nulla effectus ægritudine sæpè per vomitum sanguinem ejicit recentissimum, & optimum.

36. Si vir calidæ etiam & robustæ naturæ, semen decidere nequit intra vas muliebre, licèt seminet extra vas.

37. Si uxor subitò ita constringitur, ut penetrari nequeat.

38. Si quis absque speciali morbo præcedente sentit motus quosdam convulsivos & epilepticos, aut repentinas corporis passiones, & oppressiones, quas ipse oppressus explicare nequit.

39 Si membra corporis subitò rigescunt, aut langueſcunt: vel ita contrahi videntur, aut re ipsa contrahuntur, ut incedere nequeat.

40. Si absque eo, quòd causa naturalis à medicis assignari possit, intestina dilacerari videntur: aut dolor cum maximo rumore per totum corpus discurrit.

41. Si cor ita pungitur, ac si acubus configeretur absque cognito aliquo morbo naturali.

42. Si subitus, & repentinus calor, aut frigus hinc inde per corpus discurrit: modò hanc, modò illam partem inficit, & sine alia cura iterum recedit.

43. Si quis ad adventum Sacerdotum con-

contremiscit, ita, ut membra sine tremore quieta continere nequeat.

44. Si cuidam venter subitò intumescit, & sine alio remedio tumor subitô recedit ad remedium spirituale.

45. Si quis, præsertim ad lectionem spiritualium cum maxima oris dilatione oscitat ordinariè.

Hæc, & plura similia indicia sunt satis probabiliter obsessionem, vel maleficium detegentia; quamvis enim quandoque fallant, frequenter nihilominus occultè adhuc latentem hospitem malignum produnt: quibus, si præceptum probativum vel lenitivum prudentis Exorcistæ conjungatur, facili negotio evidentia obsessionis veræ, vel fictitiæ, & imaginariæ habebitur: ut ita imprudenter scioli quidam in schola Zoilorum prognati, & enutriti, timore continuo quasi tabescant, ne Exorcistæ regulas sibi præscriptas servantes cum dedecore fallantur, & decipiantur.

Porrò, quia Draco infernalis nec juvenili parcet ætati, sed longè frequentius, quàm adultos, gravissimè vexat, & frequenter omninò perimit, quia nec linguâ, nec alio proditur signo; ideò pariter signa fascinatos, maleficiatos, aut omninò obsessos infantes indicantia, investiganda sunt. Unde

N. 61. Dico 3. Signa maleficii aut obsessionis diabolicæ in infantibus sunt potissimùm sequentia.

1. Si faciem Sacerdotis, & præcipuè Exorcistæ aspicere nequeunt, sed album oculorum mirè mutant.

2. Si aliàs natura pingues, & alacres, nulla apparente ægritudinis causa, non solùm non augentur, & quantitate molis proficiunt: sed decrescunt potiùs, & continua macie consumuntur, quamvis in majori quantitate more solito manducent, & bibant.

3. Si subitò sine præcedente ægritudine nil comedunt, vel bibunt, vel totum per vomitum ejiciunt.

4 Si cibos benedictos magis, quàm alios abhorrent, vel si illos sumptos retinent, hos per vomitum rejiciunt.

5. Si phrenesi alióve morbo infecti sæpiùs videntur mori, quin moriantur.

6. Si sæpiùs contremiscunt, insomnes totas noctes ducunt, flentes continuè.

7. Si repentè absque alia infirmitate, amisso bona faciei, vel totius corporis constitutione, expallescunt.

8. Si nunquam possunt lacte satiari, licèt continuè sugant, præsertim, si simul macilenti fiant.

9. Si circa renes nigrescunt, vel in pectore intumescunt, vexationis diabolicæ signum est: hoc enim contingit, propter

ter decursum sanguinis, quem saga ex corpore ejus fugit.

10. Si faciem hominis senis vel eunuchi præseferunt, sùntque ponderosissimi in maxima quantitate comedentes, periculum est, ne sint supposititii, probabiliùs tamen non verè obsessi, aut maleficiati, qui si benedicantur, teste P. Prognolo, brevi moriuntur.

Plura prudentia Exorcistæ seduli facilè colliget, & collecta dijudicabit, ut, vel sic etiam juvenili ætati adjutorium ferre, atque pro possibili curare queat; de quo vide parte 2da plura, ubi de maleficiis tollendis agitur.

Quæstio septima.

An non malefici, & sagæ Exorcistæ omnes etiam præscriptas regulas observanti illudere queant?

NUllus dubito, quin quandoque homines pessimi, diabolo ex toto corde addicti, se dæmoniacos simulent, ut Ecclesiasticos ritus contemnant, Exorcistas subsannent, eorum potestatem exorcisticam infament, obsessòsque veros, aut maleficiò infectos à remedio Ecclesiastico quærendo avertant, atque ita incautum Exorcistam miserè vexent,

xent. Possunt siquidem à diabolo Magistro suo perfectè instrui, ut partes fictitiè vexatas Exorcistæ demonstrent, quin & idiomate ignoto aliqua saltem proferant, occulta indicent, aliáque, quæ suprà signa certiora obsessionis diximus, quasi manifestè præseferant. Unde si incautus Exorcista more solito fortè dæmoni exitum præcipiat, illi aliis audientibus lamentando conqueruntur, quòd licèt maxima fide, jejunio, oratione, aliisque sibi præceptis optimè præmuniti, Exorcistam accesserint, nullam tamen levamen acceperint, minùs ab hospite maligno sint liberati: imò moderno tempore mundum (ùt ajunt) ita in maligno positum, ut nulli Exorcistæ potestas suppetat diabolos expellendi: atque, si fortè aliquem verè liberatum sciant, eidem suam fictitiam miseriam exponendo ad diffidentiam disponunt, ut novô maleficiô inficere queant. Heu! mi optime Exorcista, heu bestias crudeles, serpentes callidissimos! & quis tantæ crudelitati resistet? quis calliditatem venenosam detegeat? sed nectum satis: si fortè Exorcistam cordatum, atque in aliis juvandis constantem repererint, eundem, vel per se, vel per alios de consortio suspecto, aliisque vitiis diffamabunt, alios etiam pios & devotos contra eundem instigabunt, usque dum ad superiorem legitimum delatus ab exorcistico munere desistere cogatur.

Hæc

Hæc omnia, & plura similia fieri possunt, & vix dubium est, quin quandoque contingant. Quare ut similibus technis & fraudibus pro possibili occurratur.

Dico. Si Exorcista cautè etiam cum similibus personis procedat, non facilè, Deo sibi assistente, decipitur. Licèt enim signa obsessionis etiam evidentia præferre videantur, omnia nihilominùs ad rectum procedendi modum requisita eludere nequibunt. Sic ergò *primò* Exorcista divinô invocatô auxiliô jubeat, ut vexatus diabolo renuntians, eum, modo, quo potest, meliori detestetur, & execretur. *Secundò*, in contemptum diaboli usurpet objurgationes infrâ præscribendas, *tertiò*, quâ judex diabolo forte assistenti, & auxilium ferenti discessum præcipiat, & modô suprà cap. 1. q. præscriptô præceptum probativum pronuntiet; sicque diabolo omnis larva tolletur, omnisque dolus aperietur: etenim si persona sit malefica, difficulter renuntiabit diabolo, difficiliùs detestabitur, & execrabitur eundem, atque objurgationes diabolo factas sustinebit: & si forte simulatè præstet, & sustineat singula, præceptum nihilominus probativum malitiam detegeret: nam, cùm diabolus per præceptum prævium compulsus ulteriùs auxilium ferre nequeat, persona ipsa malefica in omnibus se præcepto conformare nequibit, præsertim, si latini idiomatis sit ignota, vel si gnara N. 62.

ra

ra sit, ita submissa voce primum præceptum formetur, ne diabolus ullatenus torqueat, secundum verò, ut in hac vel illa duntaxat corporis parte vexet: si enim à diabolo verè sit possessa, dæmon in illa parte vexabit, quam vexari Exorcista præcepit, si verò fictè duntaxat sit obsessa, etiam ad primum præceptum se vexatam, ad secundam se non vexatam dicet; & sic fictio, per mendacium manifestè deprehensum, detecta, diabolo larva sublata, & laqueus contritus erit.

CAPUT TERTIUM
De virtutibus tam Exorcistæ quam energumeno necessariis, & utilibus.

Quæstio prima.
Quibusnam virtutibus Exorcista præditus esse debeat?

ADvert. Optimum haud dubiè foret Exorcistam non una, sed pluribus, imò omnibus esse ornatum virtutibus: illi enim, qui priùs tentationes in seipsis vicerunt, meritò etiam à DEO hoc præmio donantur, ut aliis à dæmo-

dæmone tentaris auxilium præstent. Inde sanctorum Anachoretarum hic fuit sensus & sententia, ut quem quisque dæmonem se tentantem viciſſet, eundem ab aliorum mentibus & corporibus facilè expelleret. Sic Abbas Pitirion discipulus S. Antonii, ejusdémque spiritus hæres, atque in expellendis dæmonibus potens, suis identidem inculcavit discipulis apud Palladium in Lausiaca capite 47. *Quisquis, ô filii, vult expellere demones, priùs in servitutem redigat affectiones animi: qualem enim quis superaverit affectionem, ejus quoque expellit dæmonem: oportet autem vos paulatim vincere affectiones, ut earum expellatis dæmones. Si quis ergò gulam superaverit, expellit ejus dæmonem.* Sed hoc non obstante

Dico 1. Sola firma & Theologica Fides & fiducia sufficit, ac absolutè requiritur tam ex parte Exorcistæ, quàm energumeni. Ita revera videtur esse communis sensus Theologorum. Et quidem *prima pars*, quòd sola fides, & fiducia sufficiant, probatur ex Scriptura passim, in qua Christus ad efficaciam pulsionis has solas assignat conditiones. Si etenim, cùm Discipuli Domini Matth. ultimo quæsiviſſent: *Cur nos non potuimus ejicere illum?* Respondit Christus: *propter incredulitatem vestram.* Eo! solam incredulitatem allegat, Pariter Marci 16. v. 17. dixit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine meo dæmonia* N. 63.

nia ejicient, non dixit: *qui amaverit, castus fuerit*, &c. sed solùm: *qui crediderit*. Sic Marci 9. v. 22. dicebat: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*. Item Matth. 17. v. 28. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic* (id est diabolo secundùm interpretationem venerabilis Bedæ) *transi hinc illuc, & transibit*. Sic, & alibi passim, & ex dictis c. 1. q. 4. satis supérque liquet.

Altera pars, quòd absolutè requiratur fides, & non sufficiat sola intentio, quod fecit Christus & Ecclesia, sicut vult noster P. Brognolus.

Probatur tum, quia Christus Matth. ultimo quærentibus Apostolis, cur spiritum immundum ejicere nequissent, non respondit, id contigisse defectu intentionis debitæ, *sed propter incredulitatem vestram*; non enim dubitandum, Apostolos debitam habuisse intentionem ejiciendi dæmonem. *Tum* quia, si Exorcismi etiam sine fide exorcizantis suum consequerentur effectum, etiam maximis hæresiarchis ordine Exorcistatûs insignitis parerent dæmones: Si enim validè alia administrant Sacramenta cum effectu, cur non pariter etiam dæmones fugarent, cum requisita unius essent pariter requisita alterius; sed hoc apertè constat esse falsum. Sufficiat unus pro omnibus Lutherus, qui annô 1545. Wittembergæ exorcizans dæmonem,

nem, ab eo invasus in extremas angustias & alvi profluvium redactus est, uti narrat Staphylus oculatus testis contra Smidelium p. 404. & Bredembachius coll. 7. cap. 40. *Tum*, quia ex communi sententia expulsio dæmonis est nota veræ Christi Ecclesiæ, ùt clarè colligitur ex verbis Christi Marc. 16. ℣. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine meo dæmonia ejicient.* Et mox: *Profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis &c.* atqui, nisi fides requireretur, sed intentio sola sufficeret, nota Ecclesiæ veræ non esset, cùm etiam extra Ecclesiam expulsio dæmonum dari posset: ergò. *Tum*, denique, quia expulsio dæmonis est signum veræ fidei, ùt ex mox allegato textu liquet. Unde & S. Justinus Martyr de virtute Christianæ Religionis differens ait: *Nos, qui in Crucifixum credimus, dæmonia cuncta, spiritusque malignos adjurantes sub potestate nostra eos habemus subditos*: ergo fides vera necessariò præcedere debet.

Dices: Exorcista in Persona Christi exorcizat energumenum, simúlque Exorcismi ex sæpè dictis ex opere operato suum producunt effectum: ergò sufficit, quòd in Ministro sit potestas Ordinis Exorcistatûs, intentio faciendi, quòd facit Ecclesia, ac ipse dæmoni præcipiat Divino Nomine interposito.

R. Neg. con. licèt enim ex Concilio Florentino materia, forma, & intentio sufficiant ad Sacramenta administranda, quia tamen Exorcismus Sacramentum non est, Christus ulteriorem dispositionem requirere potuit, & revera requisivisse ex Textibus citatis liquet. Nec inde sequitur, Exorcismos ex opere operantis duntaxat suum habere effectum; cùm non requiramus fidem charitate formatam, sed nudam sufficere censeamus, quamvis fortè difficulter sine charitate eliciatur.

N. 64. Dico 2. Pariter ex parte energumeni fides requiritur firma, & fiducia inconcussa. Ita communis, & patet ex clarissimis Scripturæ textibus; sic Matth. ultimo Christus defectum non expulsi dæmonis non in solam incredulitatem Discipulorum, sed etiam in incredulitatem aliorum rejecit, dicens: *ô generatio incredula.* Sic pariter Christus ordinariè fidem ab eis requisivit, qui aliquod à se beneficium poposcissent: unde Matth. 9. v. 28. quæsivit: *Creditis, quòd possum facere hoc?* Et mox v. 29. *secundùm fidem vestram fiat vobis.* Item Marc. 9. v. 22. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Quid ergò mirum, si Exorcista simil a requirat? Spem pariter ac fidem requiri patet ex plurimis Scripturæ textibus: sic enim Joan. 3. v. 2. *Hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcunque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos.* Ad Ephes. 3. v. 12. *in quo ha-*

habemus fidem, & accessum in confidentia per fidem. Sic & alibi.

Quæstio secunda

Qualis sit illa fides, & fiducia requisita.

ADvert. 1. Fidem genericè consideratam esse virtutem, qua veritatibus obscuris assentimur propter authoritatem revelantis. Dividitur autem multipliciter; *Primò*: siquidem alia est naturalis, qua assentimur obscuris propter authoritatem hominis vel Angeli ùt talis. Alia supernaturalis, qua assentimur obscuris propter authoritatem DEI revelantis, ita, ut secundùm Theologos objectum ejus formale sit veracitas Dei in dicendo. *Secundò*: alia est actualis, qua videlicet per actum intellectûs actualiter assentimur. Alia habitualis, quæ est qualitas nobis permanenter inhærens, qua actus fidei producimus. *Tertiò*: alia est explicita, per quam assentimur alicui articulo speciali determinato. Alia implicita, qua assentimur omnibus à DEO revelatis, & ab Ecclesia propositis, nulla facta ad specialem articulum reflexione. *Quartò*: fides supernaturalis seu Theologica alia est viva seu charitate formata, qua credimus, N. 65.

simul, & facimus. Alia mortua, qua credimus, sed non facimus. Et ideo Jacob. 2. dicitur *fides sine operibus mortua est.* *Quintò*: alia est speculativa, qua quis tantùm veritati revelatæ præbet assensum, atque soli veritati cognoscendæ seu credendæ incumbit. Alia est practica, seu ad praxin extensa, quando veritatem creditam voluntati applicat, ut secundùm illam moveatur, seu operetur, ita, ut ex illa perfecta oriatur fiducia. Et ita contingere potest, ut aliquis in assensu fidei nullum habeat defectum, nihilominus in applicanda hac veritate voluntati, secundùm illam cum magna fiducia oret, penitùs deficiat.

N. 66. Advert. 2. Quòd fiducia ex fide practica oriatur, sitque omninò ab illa distincta; fides etenim in intellectu, fiducia verò residet in voluntate, cum aliud non sit, quàm spes roborata. Unde etiam à D. Thoma 2. 2. 9. 129. art. 2. definitur, quòd sit *spes futuri auxilii concepta ex dictis aliorum, vel ex his, quæ sunt in se, vel in alio.* Expressiùs autem definiri potest, quòd sit spes firmissima, ac roboratissima futuri auxilii, concepta ex frequentatis actibus fidei Theologicæ, qua quis firmiter credit DEum nedum posse ratione suæ Omnipotentiæ, sed etiam ratione suæ infinitæ Bonitatis ac Fidelitatis velle concedere, quod animæ est salutare. Ita noster P. Brognolus p. 1. cap. 3. a. 2.

Quare

Quare, licèt fiducia secundùm Guilielmum Parisiensem lib. de moribus sit filia spei, non tamen est nuda spes, sed aliis actibus concomitantibus stipata, & roborata. *Primò* etenim requiruntur frequentati actus Fidei Theologicæ. *Secundò* judicium firmum, quòd Deus optimus & in promissis suis fidelissimus nobis certò sit auxilium præstiturus. *Tertiò* requiritur carentia omnis deliberatæ hæsitationis, ùt vult S. Jacobus c. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Fidei quippe & fiduciæ contraria est hæsitatio. Et quidem de fide nulla est difficultas. Nam fide credere debemus, Deum posse facere, quod petimus: Fiducia verò, cùm innitatur claræ promissioni divinæ, eodem jure hæsitationem excludit: sicut enim Deus verax est in dicendo, ita fidelis in exequendo: si ergò Articulis Fidei sine hæsitatione credimus ob veracitatem DEI revelantem, etiam sine hæsitatione speramus ob promissum divinum: sicut enim unum est infinitum & infallibile, ita alterum. Quia verò promissio divina est conditionata duntaxat, videlicet, si requisitæ adsint dispositiones, simúlque sit expulsio salutaris, hinc non tenemur credere, nos absolutè certò dæmones expulsuros, sed conditionatè, si videlicet præfatæ adsint requisitæ conditiones. H. N.

Dico 1. ad efficacem expulsionem dæ- N. 67.
monum requiritur Fides Theologica, seu

supernaturalis, actualis, & practica. Conclusio tres habet partes. Quoad *primam probatur* ex eo, quod expulsio dæmonis non fiat potestate humana, sed divina, neque constet ulla ratione naturali Exorcistæ concessam esse potestatem ejiciendi dæmones, sed ex sola veracitate divina nobis per S. Scripturam hanc potestatem revelante: ergò sola veracitas divina in dicendo infallibilis credendi motivum esse potest; veracitas autem divina est motivum supernaturale: ergò & fides à veracitate divina, ceu objecto suo formali specificata, supernaturalis esse debet. *Altera pars* ex eo liquet, *tum*, quòd habitus sine actu non influat, neque veritatem creditam voluntati applicet, ut certam concipiat fiduciam ad efficacem expulsionem necessariam. *Tum*, quia Discipuli Domini Matth. ultimo, licèt habituali fide certò fuerint præditi, nihilominus propter incredulitatem sunt redarguti. *Tum*, quia Christus ipse ordinariè semper ad fidem explicitam adultos disposuit, ut q. præcedenti Conclusione 2. ex Scriptura probatum est: ergo. *Tertia denique pars* ex eo patet, quòd illa requiratur fides, ex qua fiducia generatur, sed hæc ex sola fide practica generatur: ergò.

N. 68. Dico 2. Licèt optima sit fides viva & formata charitate, ea tamen non est absolutè necessaria. Hanc conclusionem præ-

fer-

ferrim quoad ultimam partem multis rationibus firmavimus suprà cap. 1. q 4. & 5. *Prima Pars* probatur ex eo, quòd fides practica & fiducia sit magnum DEI donum, quòd licet absque charitate dari possit, & quandoque à DEO concedi soleat, ordinariè tamen non ex sola fide speculativa, sed ex aliis concomitantibus virtutibus ortum habet, sicut clarè, *tum* ex S. Scriptura, *tum* ex Patribus constat. Etenim ad Rom. 5. dicitur: *tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò spem.* 1. ad Tim. 3 *qui bene ministraverit, gradum bonum sibi aquiret, & multam fiduciam.* 1. Joan 3 *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Ex Patribus unicus sufficiat Augustinus præfat. in Psalm. 31. *Ille sperat*, inquit, *qui bonam conscientiam gerit; quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe.* Et serm. de verbis Apost. *quæ spes est, nisi de aliqua conscientiæ bonitate.*

Altera pars, quòd videlicet fides viva & formata non sit absolutè necessaria, sed etiam non formata sufficiat, ex loco citato abundè probata manet; quibus addimus, hanc constantem fuisse mentem SS. Patrum quibus immeritò tot Theologi nostro hoc ævo dissentiunt: audiatur D. Hieronymus apud Cornelium à Lapide in cap. 7. Matth. v. 12. *Virtutes facere interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio Nominis Christi hoc agit ad aliorum utilitatem.*

S. Gregorius lib. 20. moral. cap. 8. *Probatio Sanctitatis non est signa facere, sed proximum ut se diligere, de Deo vera, de proximo meliora, quàm de se sentire.* Constat autem ejectionem dæmonum inter virtutes & signa ab ipsomet Christo Matth. ultimo connumerari: ergo. Suffragatur etiam noster Lyranus in Textum citatum dicens: *Similiter nec ejectio dæmonum* (supple, est signum adoptionis in filium Dei) *quia aliquando per malos homines talia fiunt ad invocationem Nominis Christi: ad declarationem virtutis Christi: licèt ipsi invocantes sunt mali.* Denique id Patres passim deducunt ex celebri illo S. Pauli 1. Cor. 13. v. 2. effato: *si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum.* Nam per montem intelligi dæmonem, sæpè ex Venerabili Beda diximus. Vide Cornelium à Lapide in locum citatum.

Nota tamen, licèt impii Exorcistæ ex corpore humano dæmones fugare possint, hoc tamen facere nequeant ad falsam doctrinam confirmandam. Ejectio quippe dæmonum est argumentum non tantùm probabile, sed moraliter certum veræ Doctrinæ, èstquè signum & nota veræ Christi Ecclesiæ, item est supernaturalis & propria solius DEI operatio, qua quasi sigillò suò DEus sua dicta, rectámque fidem & veritatem obsignat: nequit autem Deus ad falsam doctrinam confirmandam cooperari,

rari, ne error & falsitas in se ipsum tamquam in primam omnis veritatis regulam refundatur.

Dico 3. Præter fidem practicam etiam fiducia suprà descripta requiritur, tam ex parte Exorcistæ, quàm energumeni. *Probatur* breviter ex clarissimis S. Jacobi cap. 1. v. 6. verbis: *postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur: non ergò æstimet homo ille, quòd accipiet aliquid à Deo.* Ubi secundùm Cornelium per fidem fiducia intelligitur: si ergò Exorcista dæmones expellere velit credere, & sperare debebit: si enim hæsitanter procederet, DEum, qui ejectionem in Scriptura non semel adpromisit, infidelitatis & inconstantiæ argueret, quod vel cogitare nefas est: non enim plùs promittit, quàm servet, qui fidelissimus est in omnibus promissis suis. Unde Cassianus collat. 9. c. 33. *Pro certo,* inquit, *non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cùm se dubitaverit exaudiri.* Sed N. 69.

Dices: Homo peccator sum, imperfectionibus plenus: energumenum coram me video plurimùm tribulatum, angustiatum, & in fide & fiducia requisita inexpertum: quomodo ergò certam sine hæsitatione sperabo expulsionem? non diffido de potentia & promissione DEI, sed de meritis meis. N. 70.

R. Hanc diffidentiam oriri ex accedia & pusillanimitate. Sic hæsitavit Moyses ob populi rebellis indignationem dicens: *num de petra hac poterimus vobis aquam elicere?* Num 20. v. 10. ideóque mulctatus est morte in deserto, nec permissus ingredi terram promissam. Sic hæsitavit Petrus, videns ventum validum in mari, ideóque mergi cœpit Matth. 14. v. 31. & audivit à Christo: *Modicæ fidei, quare dubitâsti?* Noli ergò dubitare, & victor eris: non enim tuis meritis, non tua virtute, sed meritis Christi, & virtute divina expellis. *Tolle à te dubitationem*, dixit Angelus Tutelaris ad S. Hermam Tom. 3. Biblioth. SS. PP. mandato 9. *Et nihil omninò dubites, peteus aliquid à Domino, ne dicas intra te: quomodo verò possim aliquid petere à Domino, & obtinere, cùm sim peccator tantorum malorum in Dominum? noli hoc cogitare, sed ex totis præcordiis convertere ad Dominum. Pete sine dubitatione, & scies misericordiam Domini, quòd non te derelinquet, sed petionem animæ tuæ adimplebit. Non est enim Deus, sicut homines memores injuriarum, sed est immemor injuriarum, & miseretur figmenti sui.* Et mox: *qui ergò tales non sunt, omninò nihil impetrant eorum, quæ petunt.* Nam, *qui pleni sunt fide, omnia petunt fidenter, & accipiunt à Domino, quia sine dubitatione petunt. Omnis enim dubitans homo, si non pœnitentiam egegerit, difficile Deo vivit.* En! con-

quæ-

querere ulteriùs, peccator sum, imperfectionibus plenus sum, & quomodo sine omni dubitatione petam, & impetrabo? scito, sententia lata est, nihil impetrabis, & difficile Deo vives. Sed

Instabis ulteriùs: fortè non est voluntas Dei, ut hoc momento energumenus liberetur, & quomodo sine hæsitatione liberationem sperabo? Plùs certè stringis, quàm præcedens, sed nondum ad apicem perfectæ fiduciæ te perveniſſe manifestas. Audi Sisois Abbatem, qui orans pro Abraham Discipulo suo tentato & lapso, fidenter dixit: *Deus vis, non vis, non dimittam te, nisi curaveris eum.* Et curatus est Discipulus, ùt habemus in vitis Patrum lib. 6. c. 4. n. 14. Eâdem armatus Theodorus dicebat: *si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* Ibidem lib. 5. cap. 7. n. 6. Quare, si ad majorem Dei gloriam, & ad animæ proximi salutem petas, certus es, quòd sit voluntas Dei. Porrò ordinariè esse voluntatem Dei, ut energumenus liberetur, dicam infrà cap. 5. q. 3.

Quæstio tertia.

Ex quibus motivis fiducia hæc desumatur?

ADvert. Studiosè fieri mentionem solius fiduciæ, non item fidei Theologicæ, utpotè, quam facilè concipimus ex motivo veracitatis divinæ in dicendo: non enim facilè inter Chri-

Christianos invenitur, qui non credat, omnia in Scriptura revelata fore verissima, & certissima. Sed heu! quàm pauci sunt, veram sine hæsitatione confidentiam habentes. Fortè si Diogenes lucernâ sua tales etiam de meridie homines quæreret, paucos inveniret. Quare, ut Exorcistæ in vera fiducia instruantur, & roborentur, aliquot veræ fiduciæ motiva propono.

Motivum primum.

DEUS Pater est omnium nostrûm amantissimus: ergò certum præstabit effectum.

N. 71. MIra consolatio, & summa benignitas est, quòd ipsemet Salvator noster Matth. 6. v. 9. nos orare docuerit: *Pater noster, qui es in cœlis.* Si ergò DEus Pater noster, nos erimus filii ejus: si DEus Pater noster, quis dubitet, quin ad amussim & exactissimè sit officium Patris adimpletûrus? at officium patris ex Communi Theologorum est amare prolem, & ex amore ei de cunctis providere necessariis, eandem omni solertia tueri à malis, & promovere in bonis: hoc naturali amoris pondere tracti præstant Parentes carnales, hoc omni solicitudine, omnique diligentia faciunt. Gaudent cum filiis gaudentibus, flent cum flentibus, infirmantur cum infirmis, imo, quandoque præ doloris magnitudine mo-

ti-

riuntur cum mortuis; hæc parentes carnales: Et quid Pater noſter, qui in cælis eſt? audi Chriſtum Dominum Matth. 7. v. 5. *Quis eſt*, inquit, *ex vobis homo, quem, ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei; aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? ſi ergò vos, cùm ſitis mali, nôſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?* Quis eſt pater, quæ mater carnalis, quæ filium, aut filiam ſuam miſerabiliter ſub jugo dæmoniaco ejulantem obliviſcatur, aut ſe confidentialiter invocantem non adjuvet, ſi vires ſuppetant? *Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi oblata fuerit, ego tamen non obliviſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te.* Ait Dominus Iſaiæ 49. in manibus deſcripſit nos, noſtrámque miſeriam, dum manus in Cruce ad paternum amplexum extendit. Imò, non manus duntaxat ad paternum extendit amplexum, ſed cor lanceâ aperiri voluit, ut in eo ſecuri requieſcamus. Et quis de tanto Patre diffidat?

Sed, ais, qui DEum non reveretur ùt Patrem, nec DEus eundem habebit, nec adjuvabit ùt filium: DEum per peccata offendi graviter, filiationem per gratiam in Baptiſmo acceptam deperdidi, & quomodo Deum, ceu Patrem confidentialiter invocabo? Sed nunquid etiam filius prodigus

digus Luc. 15. filiationem peſſumdedit gratiam deperdidit ? nunquid cum ipſo de ſiliquis, quas porci diabolici manducant, ventrem implere cupis? abſit, DEus Pater infinitæ miſericordiæ eſt. Dic cum illo : *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum & coram te : jam non ſum dignus vocari filius tuus. fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Et te à longè venientem videns Pater, miſericordia motus occurrens oſculabitur, primâ ſtolâ gratiæ induet, vitulô ſaginatô reficiet, & liber ab omni diabolica vexatione epulaberis in domo Patris tui. Confide ſecurè, *nam ſecura illa confidentia,* dicit Chriſtus ad S. Gertrudem lib. 3. divin. inſinuat cap. 7. *quam quis erga me habet, credens me vera poſſe, ſcire, & velle ſibi in omnibus fideliter adeſſe, transverberat cor meum, tantàmque vim facit pietati meæ, ut nullatenus poſſim hujusmodi homini abeſſe vel deeſſe.* Et Bloſius in farrag. inſtitut. Spiritual. *iſtius erga DEum confidentia, theſaurus eſt longè præclariſſimus, quem, qui habet, facilè impetrat à Deo, quidquid deſiderat, cùm Deum in eo latere ſauciet, quo ſe tueri non poteſt.*

(o)

Moti-

Motivum secundum.

DEus scit infinita scientia, potest sua Omnipotentia, vult infinita bonitate mihi auxiliari.

MUltæ sunt, inquit D. Hieronymus, præstigiæ, & innumerabiles laquei: at nos dicamus, si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo, quia tu mecum es: si consistant adversùm me castra omnium ex orco diabolorum, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium omnium in orbe impiorum hominum, in hoc ego sperabo. Sed unde tanta fiducia? audi respondens oraculum illud veræ fiduciæ Judithæ cap. 13. v. 13. *Quoniam nobiscum est Deus, si autem Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 5. c. 8 v. 31. scit infinitâ scientiâ, potest suâ omnipotentiâ, vult infinita bonitate mihi auxiliari! *qui etiam proprio filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Considerasti Patrem, nunc & Filii ejus Unigeniti propensissimam tibi auxiliandi bonitatem considera: jam enim Joan. 10. se dicit Pastorem bonum; & quæso, quis pastorum ovem perditam deserit? quis eandem à lupi voracitate non protegit? *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat,* N. 72.

de-

donec inveniat eam? & cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. imò *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. 10. Et putas Christum Pastorem tuum optimum te à lupo infernali non protecturum? Jam gallinæ se comparat congreganti pullos sub alas suas: *Ita vos collegi, ut gallina pullos suos sub alas suas,* ait lib. 4. Esdræ c. 1. Et Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*; at notissimum est, gallinam vitam suam præ amoris vehementia centum exponere periculis, ut pullos protegat. Si acipiter pullos rapere velit, priùs matrem protegentem rapiat, necesse est. Et tu diffides Christum se gallinæ comparantem te protecturum? Jam aquilæ se comparat Exod. 19. ubi advertit Rabbi Salomon, quamlibet aliam avem pedibus & unguibus apprehensos portare pullos, solam verò aquilam portare super alas suas, quasi hòc solicito portandi modo innuere velit, ideo portare super alas suas, ut securi sint ab omni sagitta fortè ad eos occidendos emissa, & ipsa priùs, quàm pulli læderentur. Talis aquila Christus est omnibus in se confidentibus. Et quis de bonitate & misericordia desperet? Jam se dicit similem factum Pellicano solitudinis. Ps. 101. v. 7. qui proprio sanguine infectos curat, & sanat juniores suos. Has, & similes plures comparationes facit. Dic,

Dic ergò cum Propheta: *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me*, habes bonitatem & misericordiam DEI paratam, quæ vult; habes Omnipotentiam assistentem, quæ potest: habes sapientiam Dei, quæ scit opitulari; habes sanguinem & merita Christi, quæ pro te apud æternum Patrem perorant, & quem dæmonem timebis? habes Pastorem optimum, qui animam suam dat pro te; habes Pellicanum misericordissimum, qui te veneno diabolico infectum sanat, & recreat, & à quo trepidabis? *In Te Domine speravi, non confundar in æternum.*

Motivum tertium.

Sicut DEus infinitè verax est, & falli, & fallere nescius, ita in promissis servandis infinitè fidelis est.

MIra res, DEO, qui prima veritas est in dicendo, & falli, & fallere nescia, credunt omnes, & Deo in promissis suis servandis fidelissimo diffidunt plurimi Sic grande nefas reputant homines, si DEO dicenti, se esse unum in essentia, & Trinum in Personis, non credant, si è contra promittit, *in Nomine meo dæmonia ejicicent*, hæsitant, & diffidunt plurimi. Quinimò, quod plus est, etiam in promissis servandis distinctionem faciunt: si enim spiritualia, atque ad gloriam æternam adipiscendam proficua promittantur, sine hæsitatione N. 73.

sperant: ècontra si promittantur temporalia, vel omninò se illa assecuturos desperant: vel hæsitabundi lepidissimè sperant. Sic si Deus per Ecclesiam indulgentias peccatorum, vel gratiam per Sacramenta conferendam promittat, accurrunt omnes, & vel in minimo hæsitantem, pessimum reputant, si verò in se confidentibus quasi cum juramento sanitatem temporalem, ejectionem dæmonum polliceatur, hærent plurimi, & nec centum promissionibus in Scriptura clarissimè contentis ad veram disponuntur fiduciam. Sed unde diffidentia ista? ánne Deus infidelis in promissis servandis? ánne more pseudopoliticorum plura promittit, quàm servare velit? absit: sicut Deus infinitè verax est, ita in omnibus promissis suis fidelissimus: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, dicit Dominus Matth. 24. Discurramus ergò: sicut Deus infinitè verax est, ita infinitè fidelis in omnibus promissis suis: ergò sicut infinitè veraci sine omni hæsitatione credimus, ita infinitè fidelem sua promissa servaturum sine hæsitatione sperare tenemur; atqui non semel, sed sæpissimè certam promisit liberationem cujuslibet energumeni in se confidentis, ùt passim ex Scriptura patet. Sic Matth. 17. v. 29. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic* (id est obstinato diabolo) *transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit*

erit vobis, Marc. 11. v. 23. *habete fidem Dei. Amen dico vobis; quia quicunque dixerit huic monti: tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei.* Item Marc. 16. v. 27. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in Nomine meo dæmonia ejicient.* Item Joan. 14. v. 12. *Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego vado ad Patrem, & quodcunque petieritis in Nomine meo, hoc faciam.* & c. 15. v. 7. *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Item ad Rom. 5. v. 5. *Spes autem non confundit.* & c. 10. v. 12. *omnis, quis credit in illum, non confundetur.* Sic & alibi passim. Cùm ergò toties promittat, infallibiliter, imò necessitate consequentiæ necessariò servabit. *Nullus etenim speravit in Domino, & confusus est.* Eccl. 2. v. 11. si autem nullus speravit in Domino, & confusus est, ne dubita, primus omnium non confundêris.

Et, quæso, mores maleficorum, sagarùmque considera: ô quantâ confidentiâ sperant in falsissimo sub-Magistro, certum sperant sine hæsitatione maleficorum effectum; & non pudeat Exorcistam minorem habere fidem, minorémque confidentiam in Magistro suo veracissimo, qui Christus est: dicat potiùs cum Psalmista: *In Te Domine speravi, non confundar in æternum.*

Motivum quartum.

Deus infinitâ suâ providentiâ regit, & gubernat omnia.

N. 74. SI Rex sit providus, facile suâ providentiâ gubernat omnia, facilè pacem & tranquilitatem Regni in bono, imò optimo statu conservat, nisi hæc per discordias subditorum perturbetur, & evertatur. Jam considera, DEus, Rex cœli & terræ providentissimus, imò ipsa providentia est: *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualis cura est illi de omnibus.* Sap. c. 6. Si ergò Deo est cura de omnibus, quis diffidat? quis non credat divinâ se curante providentiâ in pace & tranquilitate victurum? Nam *providentia*, ait Dorotheus, *fons est omnium bonorum. Ita te, ita me, singulos curat providentissimus Deus, sicut singulos*, ait Drexelius, *neque tantùm, quod meliùs, sed quod optimum est, semper & tibi, & mihi, & singulis, & omnibus vult.*

Quare, ut Christus hanc veritatem nobis magis ingerat, paritatem de aviculis minimis assumit: *respicite*, inquit Matth. 10. v. 29. *volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cæléstis pascit illa.* Et Luc. 12. v. 7. *Nonne quinque passeres væneunt dipondio & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergò timere: multis passeribus meliores istis vos.* Si ergo passer

non

non est in oblivione coram Deo, si capillus de corpore humano sine voluntate DEI non perit, certè totus homo per diaboli fraudem non peribit.

Motivum quintum.

Exorcista potestate à Christo sibi tradita, pro Christo, ejusque honore & gloria promovenda, diabolus verò omni à Christo potestate in Dei servos privatus contra Christum dimicat: ergò.

OMnibus Christi Discipulis, atque ita eorum in officio successoribus Exorcistis, absolutam esse datam potestatem ejiciendi dæmones, nemo est, qui ambigat; hoc enim testatur Scriptura, hoc Patres clamant. Sic, ut alia in progressu sparsim notata silentiô præteream, Matth. 10. v. 1. dicitur: *Dedit illis potestatem spirituum immundorum: ut ejicerent eos.* Præterea Exorcista pro Christo, imò Christus ipse per Exorcistam pro suo honore ampliando contra diabolum inermem, in Cruce victum & triumphatum dimicat, ut clare probatum est c. 1. q. 4. & c. 2. q. itidem 4. Sed quæ conventio Christi ad Belial? quis diabolorum Christo, cui omnis potestas in cœlo & in terra data est, resistat? Certè, si ipsemet Unigenitus Dei Filius etiamnùm carne mortalitatis indutus nobiscum conservaetur, atque dæmoni per semetipsum exitum præ- N. 75.

ciperet, quis dubitaret, dæmonem velocius Eurô ſtationem ſuam deſerturum? At idem eſt, ſive id faciat per ſe, ſive per Miniſtrum ſuum: *quod enim quis facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum*, ſonat notiſſima Regula 72. juris in ſexto. Actiones quippe Miniſtri moraliter ſunt actiones ſui Principalis, ita, ut quidquid in ordine ad finem à Principali intentum operatur, ipſemet Principalis operari cenſeatur; atque ſicut baptizante Petro, vel Paulo Chriſtus baptizare dicitur, ita exorcizante Petro, vel Paulo Chriſtus exorcizare dicetur. Sed quis ùt DEus? quis dæmonum divinæ reſiſtet Poteſtati?

Motivum ſextum.

In Nomine JEſu omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. ad Philip. 2. v. 10.

N. 76. DÆmones ſuperbiâ tumidos nullo unquam tempore Chriſto voluiſſe ſubjici, irrefragabiliter Scriptura pluribus in locis declarat: quòd ſi autem ſubjici nec voluerint unquam, nec etiamnum velint, quid facient, ſi ſoli Sanctiſſimo Nomini JESU devotè prolato omnem etiam per genuflexionem exhibere reverentiam cogantur? ô quanta tormenta, quanta flagra ſuperbiſſimo ſpiritui, ſi vel Nomini contra volun atem odium intenſiſſimum ſpirantem reverentiam habere debeat! & putias

putas eundem huic sanctissimo Nomini restiturum? Audi Chrysost. Hom. 4. de laudibus S. Pauli: *Si Jesum invoces Nazarenum, velut ab igne repentè diffugit dæmon.* Adstipulatur pariter S. Justinus de veritat. Christian. Relig. dicens: *Ejus Nominis* (JESU) *potentiam dæmones tremunt, & reformidant, & hodie quoque illi per Nomen Jesu Christi Crucifixi adjurati nobis parent.* Et prudentius in Apotheosi contra Judæos,

- - - torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ,
quot laudata DEI resonant miracula Christi.

Et non mirum; cùm enim dæmon in Cruce à Domino nostro JEsu Christo sit victus & prostratus, horret pariter Nomen Ejus sanctissimum, sicut canis horret baculum, quo percussus est, & multò magis percussorem, qui baculum in eum vibravit.

Quæstio quarta.

Quos effectus in homine producat fiducia illa descripta?

N. 77. DIco: per fiduciam illam roboratam, ac inhæsitantem homines in sano sensu veluti Omnipotentes efficiuntur, ita, ut nihil fermè ipsis sit impossibile, nihil difficile. Ita clarissimè colligitur tum ex Scriptura Sacra, tum ex Patribus. Etenim Christus Marc. 9. v. 23. dicit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* In quæ verba egregiè D. Bernardus: *quidni omnia possibilia sunt innitenti super Eum, qui omnia potest? nihil Omnipotentiam clariorem reddit, quam, quod Omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. An non Omnipotens, cui omnia possibilia sunt?* Idem clarè indicat Christus Matth. 12. Discipulis, quærentibus, cur ipsi dæmonem expellere nequiverint; quibus, cùm respondisset: *propter incredulitatem vestram*, mox addit: *amen quippe dico vobis, si habueritis fidem... nihil impossibile erit vobis.* Et D. Paulus ad Philipp. 4. *omnia possum in eo, qui me confortat.*

Unde vera roborata & robustissima illa fiducia non solùm dæmones fugat, sed omnes pellit animi languores, infirmitates curat, à peccatis præservat, conatus maleficorum quemquam inficere volentium irritos reddit: quod facilè pluribus deduci ac sua-

suaderi posset, nisi brevis esse cogerer. Denique fiducia illa neminem fallit, neminem confundit, teste Apostolo: *Spes non confundit.* Quod monitum priùs jam à Sapiente traditum est Eccles. c. 2. *Scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est; quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, despexit illum?*

Quæstio quinta.

Unde proveniat defectus veræ in Deum fiduciæ.

RAra profectò avis moderno hoc sæculo, vera, perfecta, & roborata in DEum fiducia: interroga, quemcunque lubet, an fiducialiter speret se omne à DEO promissum assecuturum, & mox affirmativam habebis. Sed si moveat vel in minimo dæmon corpus possidens, aut impossibilem, aut valdè difficilem intùs dictitet expulsionem, mox diffidentia se prodet: trepidabit, & timebit, ubi timor omnis abesse deberet. Sed si DEus tam bonus, támque fidelis in omnibus promissis suis, ut nihil omninò ab eo petatur, quod tempore oportuno non obtineatur; unde tanta diffidentia? R. &

Dico: diffidentia in DEum ex plurimis N. 78
fontibus originem suam ducit. Patet inductione. Nam *primò, hoc inde evenit*, ait

Drexelius lib. 5. de conform. vol. c. 10. §. 7, *quia de Dei bonitate, ac potentia parùm rectè, parùmque liberaliter sentiunt: hinc illa animi de rerum temporalium prospectu nunquam secura, semper diffidens cura: confidentur, se nõsse Deum, factis autem negant,* ùt loquitur D. Paulus ad Tit. c. 1. nam quomodo filius ignorans, aut non recogitans divitias, bonitatem, & largitatem Patris sui, se felicem futurum credat? aut quomodo servus dona gratuita à Domino speret, si etiam de mercede recipienda dubitat? sic ergò nec homo extraordinaria dona à Deo confidentialiter sperare potest, nisi bonitatem, fidelitatem, aliáque divina attributa jugi meditatione perspecta habeat.

Secundò: licèt aliqui frequenter à Patre luminum, qui iluminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminentur, & illustrentur, hoc nihilominùs lumen per inordinatam sæculi curam, per comessationes, per compotationes, per desideria inutilia, & nociva frequenter extinquitur. Sicut in Scriptura aliud semen dicitur cadere inter spinas, corda scilicet hominum, divitiarum solicitudinibus lacerata, aliud secùs viam, super corda scilicet dæmonum suggestionibus pervia, aliud super petram, corda scilicet nullo fidei vomere penetrata! & ideò unum pravîs affectibûs conculcatum, aliud aridun, quia gratiæ carebat humore, reliquum verò legitur

gitur inordinatis solicitudinibus suffocatum, & aliud denique cecidit in terram bonam, unde & fructum centuplum attulit.

Tertiò. Plures cum Saulo clamitant: *coarctor nimis, siquidem Philistiim* (dæmones) *pugnant adversum me, & Deus recessit à me.* 1. Reg. c. 28. v. 15. Dæmonem videlicet tamquam potentissimum sibi imaginantur tyrannum, cui nulla possit resistere potentia, si divinam excipias, quam tamen longè abesse putant. Quare cùm Deum deprecantur, Ejusque divinam implorant clementiam, Eundem in cœlis duntaxat regnantem, ac in throno sublimi sedentem contemplantur, ideóque illius bonitas, clementia & providentia nimis parva videtur; cùm tamen écontra lumine fidei, illustrati Deum ubique, totum in toto, & totum in qualibet etiam minima universi parte, per essentiam, præsentiam, ac per potentiam præsentem credere deberent: *Non enim*, ait Paulus Act. 17. *longè est ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.*

Quartò. Plurmi falsa persuasione ducti credunt, quòd propriis, viribûs, propriisque meritis, non verò potestate divina dæmonem expugnare, atque expellere debeant. Inde, quia multos fortè imperfectionis nævos, parùm Sanctitatis in se respiciunt, rubore suffusi hæsitant, & om

nem

nem occursum energumenorum vel à longe declinat.

Quare, si quis munere exorcistico incumbere, multúmque fructum afferre velit, hos, & similes defectus plures radicitùs ex corde evellat, sæpè motiva veræ fiduciæ legat, & relegat, potestatem suam calcandi super serpentes, & scorpiones recolligat, dæmoniacam vilitatem expendat, patienter energumenum in fide & fiducia instruat, & infallibilem effectum videbit; quia nihilominùs ex dictis fides, & fiducia difficulter sine aliis virtutibus in gradu perfecto possidentur, hinc sit

Quæstio sexta.

Ex qua virtute Parochi, Religiosi, aliique obligentur exorcizare energumenos?

N. 79. Dico I. Parochi, aliique jurisdictionem ordinariam habentes, tenentur tam ex justitia, quam ex charitate pro possibili dæmonis potentiam perfringere, illius audaciam reprimere, ac modo meliori possibili dæmones omninò expellere è corpore suorum subditorum. Ita Possevinus de Officio curati extra Sacramenta c. 12. q. 25.

Candidus Brognolus p. 1. manualis c. 1. a. 3. §. 7. n. 42. id colligens ex Navarro & Les-

Lessio. Quibus consonat Suarez Tom. 2. de Relig. lib. 4. de Adjurat. cap. 4. n. 5. Tamburinus in Decalogum lib. 3. cap. 8. §. 2. n. 22. Sanchez. lib. 2. in Decalogum cap. 42. n. 4. Castropal. d. 4. de adjurat. p. 2. n. 1.

Probatur primò, quia veri sunt Pastores ovium Sanguine JESU Christi redemptarum, sed Pastoris officium est modo meliori possibili oviculas sibi creditas à lupi voracitate protegere, & lupum arcere: quis enim Pastorem dicat, si lupum non solùm non propulset, sed pro libitu oves invadene & devorare sinat? certè bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem fugit. *Confirmatur*: Secundùm communem Doctorum Parochi, aliique curati ex officio obligantur ad spiritualem suorum subditorum defensionem secundùm modum suæ potestatis, sed habent potestatem defendendi à lupo infernali, eundémque per legitimos Ecclesiæ Exorcismos è corporibus humanis ejiciendi: ergò certè tenentur. Quare tremendum væ intonat Deus Pastoribus Ezech. 33. dicens: *Væ Pastoribus, quia, quod infirmum fuit, non consolidâstis, & quod ægrotum, non sanâstis, quod confractum est, non alligâstis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsivistis.. & dispersæ sunt oves meæ, eoquod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum*

agri

agri & dispersæ sunt -- propterea Pastores audite verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorum. Nonne autem miserrimi energumeni infirmi sunt, confracti sunt, abjecti sunt, dispersi sunt, & facti in devorationem bestiarum diabolicarum? ergò væ Pastoribus illis, quia DEus ipse gregem suum de manu requiret eorum. Benè ergò, imò optimè argumentatur S. Augustinus Hom. 7. lib. 50. Homil. *Si pro se fratres charissimi unusquisque vix possit rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ exquirendæ.*

Probatur secundò, quia, ùt benè ait Aug. Barbosa de officio & potestate Parochi p. 1. c. 3. n. 2. *Non satis est Parocho se hominum Pastorem intueri, sed quoque Ducem & Præfectum considerare oportet, qui scutô & gladiô spirituali suos adjuvet;* Sed utique non contra alium, quàm contra principes tenebrarum harum, ut benè insinuat D. Paulus ad Ephes. c. 6. dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Et quæso, quis Ducem, quis militum Præfectum dicat illum, qui militibus nec de armis providet, nec eosdem in arte bellica instruit, nec ab hostibus defendit, sed gladiô in vagina repositô eorum intuetur cæ-

cædem ? Et quomodo Duces, quomodo Præfecti militum Christianorum sint illi Parochi, qui energumenos sibi subjectos nec in necessariis instruunt, nec à dæmonibus defendunt, sed potestate exorcistica neglecta eorum miserias, imò & cædes intuentur? Certè non pauci sunt energumeni, qui se aquis suffocârunt, mortem aliam violentam sibi intulerunt, aut omninò ab hospite suo maligno miserabiliter sunt trucidati. Et hoc unde? unica responsio est, quia Duce strenuo caruerunt.

Probatur tertiò. Manifestè verum est, ipsummet Parochum esse Medicum multorum ægrotantium, ùt ait Barbosa l. c. sed Medici à Communitate salarati, tenentur ex justitia, quotiescunque necessitas postulat, ægrotis remedia exhibere corporalia: omnémque adhibere diligentiam, ut pristinæ restituantur sanitati: ergò etiam Parochi ex justitia tenentur in necessitatibus medicinas præstare spirituales; sed non alias, quam ad superandas spirituales nequitias, adversus Rectores tenebrarum harum: Ergó. Unde

Inferes, si energumeni ob Parochorum negligentiam arti exorcisticæ studendi, vel se præparandi ad præliandum contra spirituales nequitias, vel quia non credentes aliquem energumenum, aut maleficio infectum, nolunt oneri exorcistico submittere humeros suos &c. Si, inquam N. 80.

ali-

aliquod damnum exinde sequatur, Parochos ex justitia teneri ad omnia sarcienda damna, atque, cum viam universæ carnis ingredi cogentur, Divino Judici strictissimam fore reddituros rationem, qui oculum pro oculo, dentem pro dente, animam pro anima requiret. Sed

N. 81. *Dices primò*: Parochis expressè prohibetur munus dæmonii exorcizandi. Rituale quippe Frisingense optimè hanc perstringens materiam ait: *Nullus proinde Parochus, aut Sacerdos, vel alius inferior, hoc munus dæmonii exorcizandi exerceat, aut alium ad id exercendum admittat, nisi habita priùs in scriptis facultate nostra. Secundò.* Hoc onus est nimis grave, periculosum, ac cum aliis oneribus Parochalibus incompatibile. *Tertio.* Tam rigorosa justitiæ obligatio est à viris etiam doctissimis prorsùs incognita ab Episcopis in suo officio etiam solertissimis non demandata: Ergò eo ipso nulla.

R. *Ad primum.* Parochis non tantùm non prohiberi, sed singulariter demandari munus exorcisticum. Etenim Rituale Frisingense de exorcizandis obsessis inquit: *Talium vero singularem curam & patrocinium Parochis & Sacerdotibus propter Deum, salutemque eorum spiritualem & corporalem, cùm necesse fuerit, suscipiant.* Quòd verò habitam à Reverendissimo Ordinario in scriptis facultatem requirat, errores forte sæpe commissi in causa sunt. Certe, si Parochi rite suo fun-

fungantur munere, prohibitio nulla aderit, imò nec salvâ conscientiâ adesse poterit. Ad *secundum*, tritum illud ac vulgatum notare deberent: *Commoda qui sentis, jungas onus emolumentis.* §. 1. instit. de legitima Patronorum Tutela. Vel, beneficium esse datum propter Officium. Ad *tertium* neg. ant Si enim Rituale singularem curam & patrocinium demandans incognitum esse non potest, nec illa obligatio incognita erit, imò agnita, & à pluribus, ut certa mihi relatione constat, solertissimè cum magno animarum fructu practicata.

Dico 2. Etsi Religiosi jurisdictionem ordinariam non habentes non teneantur ex justitia, tenentur nihilominus in defectu aliorum ex charitate sub mortali similia obire munera. Ita citati. N. 82.

Prima pars, quòd non obligentur ex justitia ad hoc onus subeundum, satis ex eo liquet, quòd nulla ipsis ex officio sit cura animarum demandata: unde vi hujus fontis ad extra nulla ratione gravantur hoc onere: ad intra verò, si fortè Fratrem hac infirmitate laborare contingeret, solùm Superiores, Generales, Provinciales, Guardiani, aliique Superiores obligationem ex justitia contrahunt, sive per se, sive per alium remedium opportunum ferendi. *Altera pars*, quòd sub mortali ex charitate obligentur, clarissimè ex Scriptura patet; etenim Joan. 13. v. 34. dicit Christus:

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Dilexit autem nos Christus opere & veritate, omnibus benefaciendo, & omnes oppressos à diabolo liberando: dilexit nos liberaliter absque intuitu mercedis, ergò pariter ita proximos diligere debemus. Item Marc. 12. v. 31. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et Eccles. 17. *Unicuique mandavit DEus de proximo suo.* Ita & alibi sæpissimè. Qui nimò, dum Religiosi stabiliter certum in locum introducuntur, à Pastoribus in partem sollicitudinis benignè admittuntur, & à populo ceu Patres spirituales electi benignè & liberaliter sustentantur: ergo partem sollicitudinis assumentes obligantur, ut D. D. Parochorum aliis quandoque negotiis non parùm distentorum vices subeant. Et certè universale Christi mandatum est Matth. 7. v. 12. *omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis;* sed quis, quæso, Exorcistarum ipse miserabiliter à dæmone oppressus, ita in toto corpore vexatus, tantis doloribus affectus, non vellet, non ingemisceret pro adjutorio? ergò & vos hoc facite illis. Nemo ergò dicat, se Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus diligere, si miserum non diligat energumenum, etenim, ut ait S. Joan. Epist. 1. c. 4. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à DEO, ut, qui diligit DEum,*

Deum, diligat & Fratrem suum. Quòd si autem energumenum ceu fratrem suum diligit, non diligat duntaxat ore, sed opere & veritate; nam juxta aphorismum S. Gregorii *probatio dilectionis, est exhibitio operis.* Quare

Inferes Religiosum, Prælatos ac Superiores subditis suis scientiâ, præsertim circa hanc materiam prudentiâ, morum gravitate ac vitæ probitate conspicuis necessitate urgente non posse prohibere, ne auxilium ita miserè afflictæ personæ præstent, nisi regulas charitatis graviter haud dubiè hoc in puncto obligantes violare, animámque suam æternùm perdere velint. Quòd, ne fiat, necessitate urgente requisiti, alicui obsesso, vel maleficiato suum præstandi auxilium libenti animo obedientiæ meritò subditos, de quibus non est prudenter timendum periculum prostitutionis, excitent, ac muniant, animósque augeant ad hujusmodi munere fungendum, ùt benè monet P. Brognolus. Qualis enim consolatio Exorcistæ, & qualis subsequens dispositio, si per Superiorem indiscretum prævièque ob actuosum hoc charitatis officium reprehensus & culpatus, miseram accedat personam? N. 83.

Quæstio septima,

De forti & perseveranti patientia Exorcistæ necessaria.

N. 84. DIco 1. Si quis muneri exorcistico incumbere velit, ei fortis & perseverans patientia necessaria est: hoc enim D. Paulus jam agnovisse videtur, dum ad Heb. 10. v. 36. dicit: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Quis enim non videt, ait experientiâ haud dubiè propriâ edoctus P. Candidus Brognolus p. 1. c. 3. a. 4. §. 1. n. 253. perseverantiam & patientiam maximè necessarias esse Exorcistæ? Quomodo potest adversùs mundi rectores tenebrarum harum bellum movere, eorumque tyrannidem reprimere, nisi & ipse ad sustinendas persecutiones sit paratus? quas enim animi perturbationes, invidias, odia, ac furores adversùs eum commovere non tentabit antiquus ille superbus adversarius, dum se ab eo contemni, ac parvipendi experitur? quibûs contumeliîs, subsannationibûs, ac convitiîs illum impetere non satagetne? videas, si Exorcista sit Ecclesiasticus sæcularis, per mulieres malæ famæ rixas ac tumultus commoveri, ut ab aliis Presbyteris odio habeatur, & tanquam pacis & quietis perturbator ad Episcopum denuntietur, atque à muneris hujus exe-

cutio-

cutione suspendatur. Si verò Exorcista sit Regularis, en versipellis hostis, quot laqueos tendit! quot machinamenta struit! nunc apud plebem eum nimis laudat, & extollit ùt Sanctum, ùt Virginem, & DEO valdè gratum proclamans, tum, ut ipse superbià elatus se ipsum magnificiat, cæteros despiciat, ac virtutem humilitatis amittat: tum, ut cæteri fratres videntes illum sic laudatum & exaltatum plùs, quam merita ejus exigunt, turbentur, eumque invisum habeant. Nunc adversus eum suscitat mulierculas sagarum consanguineas vel ipsas sagas, quæ tamen à quibusdam simplicibus etiam Religiosis, ut bonæ & sanctæ reputantur: vel earum fautores excitat, qui omnes, ne opera sua mala per Ministerium suum exorcisticum veniant ad lucem, lachrymîs onerati ad præfatos Religiosos, vel etiam ad eorum Prælatos accedunt, enixè rogant, ut tot, tantisque rumoribus ab Exorcistis excitatis providere non differant; aliter multa & maxima ex his eventura mala & scandala prænuntiant. Quapropter quandoq; aliqui Superiores perterrefacti, ad tollendos & evitandos hujusmodi rumores prænuntiatos, sæpiùs Exorcistas præceptis, mortificationibus, è conventibus mutationibus, comminationibus, & aliis hujusmodi infestationibus vexare non detrectant. Hæc ille experientiâ haud dubiè propriâ edoctus. Et sane, si Exorcista se-

dulò muneri exorcistico incumbere velit, animam suam ad tentationem præparet, necesse est: semper enim adversarios, semper diabolorum & sagarum advocatos & patronos paratos inveniet. Quos omnes, si vincere velit, patientia necessaria est. Quod, ut felicius succedat,

N. 85. Dico 2. Si quis sedulò muneri exorcistico incumbere velit, sequentia consideret, necesse est: *Primò*, se certò certius graviſſimos habiturum adversarios, qui tam in bonis famæ, quàm corporis nocere studebunt: Hoc enim si prævideat, effectu secuto parum contristabitur: *Jacula enim prævisa minùs feriunt*. *Secundò*. Causam totam optima intentione Deo suo, Ejúsque Filio Unigenito, ac Redemptori suo commendet, qui, licèt dæmonia expulerit, locò honoris debiti, gravem inhonorationem reportavit à Judæis dicentibus; *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Sive ergò laudetur, sive vituperetur, pari animo sufferat. *Tertio*. Totum se Divinæ committat voluntati, ita, ut sive sequatur effectus, sive ob indispositionem fortè energumeni non sequatur, pariformiter in Domino sit consolatus. Neque, si liberatio unius fortè ad vota non succedat, fidem & fiduciam conceptam deperdat, sed offerente se alia occasione fiducialiter præceptum efformet, & facillimum sæpè videbit effectum.

Quartò.

Quartò. Si quæ persona verè liberata denuò possideatur, id impatienter non sufferat, sed DEO gratias agat, quòd etiamnum potestate exorcistica præditus, dæmonem de novo ejicere queat. *Quintò.* Si forte gravioribus tentationibus sive ad extra, sive ad intra, quæ certè non deerunt, obrutus, se ipsum amplius juvare nequeat, DEum fiducialiter oret, atque consiliô cujusdam prudentis probi viri utatur; etenim *cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella,* ait Sapiens Prov. 20.

Quæstio octava,

De Jejunio, & Oratione.

ADvert. Quòd Christus Dominus Matth. 17. v. 21. non ejecti & expulsi dæmonis alteram allegârit rationem dicens: *Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium.* Quodnam autem sit hoc dæmonum genus, quod sine oratione & jejunio pelli non potest, magna controversia est. Nam D. Chrysostomus & Euthymius omne dæmonum genus esse ajunt. Sed contradicunt communiter omnes apud Tirinum, Cornelium à Lapide, Parradium in locum citatum: & ratio contradicendi est satis manifesta, *tum,* quia Apostoli sæpè dæmones expulerunt, sine prævio jejunio. *Tum,* quia hoc

ipsa Scripturæ verba indicant: non enim Christus dixit, nullum dæmonem, sed *hoc* duntaxat *genus* non expelli, *nisi per orationem & jejunium.* Quare Abulensis lunaticorum dæmonum genus esse putat. Cajetanus eorum, qui reddunt homines surdos & mutos, quique illos præcipiant ab infantia modò in ignem, modò in aquam, qualis hic erat. Stapletonus in Antidotis adversùs hæreticos, eorum, qui diu aliquem possederunt. Lyranus eorum, qui ad libidinem provocant. Cornelius à Lapide putat Christum loqui de genere dæmonum altioris ordinis, qui sunt potentissimi, perversissimi, obstinatissimi, & malitiosissimi: vel tropologicè illos, qui carnalium voluptate velut luna mutantur. Alii aliter sentiunt. Quare

N. 86. Dico 1. Suppositâ fide & fiducia inhærentis omne dæmonum genus etiam perversissimorum, & malitiosissimorum ejicitur sine oratione & jejunio. Ita clarè constat ex sæpè dictis in progressu hujus armamentarii; dæmones enim non ejiciuntur potestate humana, sed divina, non ex opere operantis, sed ex opere operato, non ex meritis propriis, sed ex meritis Christi: ergò.

Dixi notanter *suppositâ fide & fiduciâ inhærentis.* Cùm enim dæmones quandoque ex permissione divina majorem habeant potestatem corpus vexandi, atque ita majorem

jorem timorem incutiendi, à fide & fiducia elicienda impediendi, non dubium, orationem & jejunium esse necessarium. Hinc

Dico 2. Si dæmon ex permissione divina majorem aquisivit potentiam corpus divexandi, jejunio & oratione cooperandum est, ut ad veram & roboratam fiduciam pertingendo divina potestate expellatur. Ita colligitur ex Abulensi q. 172. qui ait, apud Judæos pessimum fuisse habitum dæmonem surdum & mutum, idque colligi ex eo, quòd Judæi mirati sint, à Christo ejici dæmonem surdum & mutum, & dixerint: *Nunquam sic aparuit in Israel.* Cujus ratio naturalis est, quòd nescias, quid cum surdo & muto incipere debeas: si enim surdus sit, instructionem debitam non intelligit, si mutus sit, nihil respondet, neque afflictiones cordis aperit: & quomodo talem ad veram dispones fidem & fiduciam, dicente Apostolo: *Fides ex auditu*, quô tamen minime pollet? Similiter, si dæmon majorem aquisivit potestatem corpus divexandi, persona ordinariè timidior, atque suggestionibus diabolicis assensum præstandi promptior est: ut ergò timore excusso in fide & fiducia roboretur, & stabiliatur, jejunium & oratio necessaria erit. Oratio quippe condita jejunio & carnis afflictione magna impetrat à Deo, ùt eleganter discurrit S. Chrysosto- N. 87.

mus in præfatum Scripturæ locum: *Qui orans*, ait, *jejunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando prætervehitur: non enim oscitat, nec extenditur, nec torpet orando, quæ multi patiuntur, sed igne ardentior & terra superior est; quare terribilis hostis dæmonibus redditur. Nihil enim est homine probo orante potentius.*

N. 88. Dico 3. Oratio & jejunium tam ex parte Exorcistæ, quàm energumeni, si capax sit, sunt suô modô necessaria. Ratio est, quia ex utraque parte fides & fiducia necessaria est; ergò utraque pars adhibere debet media congrua ad eam aquirendam. Præterea utraque pars contra diabolum dimicare debet: ergò arma congrua assumere debet; sed jejunium & oratio, ait Barradius in textum præfatum Scripturæ, adversùs dæmones, & vitia omnia egregium sunt remedium. Militibus, qui adversùs corporeos hostes dimicant, robur affert cibus: eos verò, qui adversùs hostes spirituales certant, fortes reddit, ac strenuos cibi abstinentia. Armantur milites ferrô, ac spirituales milites armantur jejunio. Et D. Basilius Homil. 1. de laudibus jejunii: *Jejunium*, inquit, *armatura est ad confligendum cum impiis spiritibus.* Consonat etiam D. Chrys. Hom. 58. in Matth. *Jejunium*, ait, *Angelum ex homine facilè reddit, & virtutibus incorporeis mirum in modum veluctatur. Quamvis non jejunium solùm, sed oratione quoque, ac multò magis oratione*

opus

opus est. Unde Euthymius in cap. 17. Matth. *Oratio dæmoni admodum terribilis est.* Et S. Leo serm. 2. de Jejunio septimi mensis: *In omni agone certaminis Christiani utilitas continentiæ plurimùm valet, imò, ut quidam sevissimorum Spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus nullis Exorcizantium fugantur imperiis, sola jejuniorum & orationum virtute pellantur.* Inde

Inferes, commessationibus & compotationibus deditos, licèt fortè ebriosi non sint, minùs fore aptos muneri exorcistico; nam D. Petrus ad resistendum diabolo sobrietatem & vigilantiam requirit cap. 5. v. 8. Sicut enim sobrietas mater est sanitatis, Sapientiæ, & Sanctitatis, mentémque vigilem & acrem facit ad orandum, ita ex adverso commessatio & compotatio mater est infirmitatis, insipientiæ, libidinis, cæterorúmque vitiorum, mentémque sopit, & ineptam facit ad meditandum; ideóque diabolo valdè amica est. Agnovit id S. Chrysost. Homil. 58. in Matth. dum ait: *Diabolo nemo magis amicus est, quàm, qui deliciis & ebrietate maculatur; Hic enim fons, hæc mater est vitiorum omnium: Sues ex hominibus facit.*

Quare non unum duntaxat, sed triplex jejunium perutile est: *Primum* est abstinentia ab omni peccato. *Alterum* est abstinentia ab illicitis voluptatibus. *Tertium* afflictio carnis secundùm gustum & tactum;

ctum; & de omnibus textus suprà citatus intelligi potest.

Quæstio nona.

De Humilitate Exorcistæ.

PRima viciorum radix superbia est, quæ non gratiam duntaxat divinam impedit, fiduciam exterminat, sed Deum positivum adversarium habet. Quare versipellis hostis generis humani telum hoc potissimum mira subtilitate in Exorcistam detorquet, ut superbiâ tumidus DEum sibi resistentem habeat: jam enim miris laudibus extollit Exorcistam, ceu humilitate, castitate, & reliquis virtutibus conspicuum: jam apud plebem ceu sanctum deprædicat: jam tacitis suggestionibus eum adoritur, ut seipsum extollat, cæteros despiciat: suam quærat laudem, aliorum vituperium. Et revera, nisi Exorcista continuis apud DEum precibus instet, actus humilitatis quasi continuos exerceat, facilè à diabolo decipitur: videns quippe obedientiam dæmonum, admirationem hominum, facilè inflatur. Quare

N. 89. Dico. Exorcista volens efficaciter expellere dæmonem, humilitate conspicuus esse debet, ne fortè superbia elatus dæmon in ipsum potestatem aquirat. Ita Christus ipse

ipse S. Brigittam docuit lib. 1. Revel. cap. 32. mihi fol. 48. dicens: *Ab aliquibus quippe hominibus exit diabolus libenter, & cito, & ab aliquibus non nisi invitus & coactus. Nam in aliquos intrat diabolus vel propter delictum Parentum, vel propter aliquod occultum judicium Dei, ùt puta in pueros, & insipientes: in aliquos propter infidelitatem, vel aliud aliquod peccatum; ab his libenter exit dæmon, si ejicitur ab his, qui sciunt conjurationes, vel artem talem ejiciendi dæmones: si ipsi faciunt talem ejectionem propter vanam gloriam, vel propter aliquod lucrum temporale; quia diabolus habet potestatem ingrediendi in eum, qui ejecit, & in illum iterum, à quo ejectus est.* Sed

Probatur Conclusio ulteriùs: cujus operationi DEUS positive resistit, ille nulla potestate effectum consequetur; sed Deus operationi superbi positivè resistit; sic quippe docet D. Petrus 1. Epist. cap. 5. Et S. Jacob. c. 4. v. 6. *DEus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Unde D. Chrysost, Homil. 20. in Epist. ad Roman, ait, superbiam esse summam stultitiam & insaniam, nec superbo quidquam esse insanius. Quid enim insanius, quàm DEO resistere, & cum DEO instar Gigantum velle bellum gerere? quid insanius, quam se DEI, à quo omnia pendent, favore, gratia, ope spontè privare & spoliare? quid insanius, quàm non hominem, non Angelum, non dæmonem, sed Deum habere antagonistam & hostem, Eumque, qui in superbos tonat, & ful-

fulminat, ad duellum provocare ? Unde & S. Hieronymus Epist. 45. ait: *Quale malum sit oportet quod adversarium habet DEUM?* Superbus enim suo fastu quasi DEUM lacessit, & ad singulare certamen provocat. *Unde DEus Zelotes illud acceptat, aitque: meus est hic antagonista, meum est hoc duellum: hic exercendæ meæ vires, hic proterendus novus Lucifer: gloriam meam alteri non dabo.* Ita Cassian. lib. 12. de instit. Renun. cap. 7.

Quare, cùm vera fides, & roborata fiducia ad expulsionem dæmonum necessaria, donum DEI sit, à superbis vix, aut ne vix quidem acquiri potest: quomodo enim quis donum à suo antagonista sibi positivè resistente expectet? certè superbus ceu vas tumidum, & ventô arrogantiæ plenum, omnis doni cœlestis incapax est: humilis verò est vas demissum & vacuum; ideóque liquoris divini capacissimum. Sicut ergò pluvia à collibus descendit in valles, ita Donum DEI è Cœlo depluit in humiles. Denique, veluti *radix omnis peccati* & mali *superbia est.* Eccli. 10. v. 15. Ita radix & fons omnis boni & virtutis est humilitas: ubi autem radix nulla, ibi nullum germen, ubi non est fons, ibi nec aqua stillans: ergò ubi nulla humilitas, ibi nulla virtus, consequenter nec fides & fiducia necessaria.

Unde per se corruit instantia fortè facienda, quòd inconstantes supra solam fi-

dem

dem & fiduciam, hic verò etiam humilitatem ad expulsionem dæmonum necessariam adstruamus. Fatemur etenim solam fidem & fiduciam unicam esse dispositionem necessariam, & in casu, raro utique, possibilem absque humilitate, ordinariè tamen pullulare & emanare ex fonte omnis boni, qui humilitas est. Si quis ergò muneri exorcistico operam suam navare, felicitérque dæmones superare velit, humilitati studeat, motiva sese humiliandi in memoria retineat, eáque frequenter expendat, & sua humilitate superbissimum draconem facilè vincet.

Exemplum vivacissimum nobis repræ- N. 90.
sentatur in D. Hilarione, qui teste S. Hieronymo in ejus vita, præ cæteris Sanctis dominatus est dæmonibus, plurimósque expulit: hoc autem in eos imperium acquisivit contemptu sui, fugâ opum, & honorum. *Crebrò*, inquit S. Hieronymus, *mutabat locum, non ex levitate, sed honorem fugiens, & importunitatem. Semper enim silentium & vitam ignobilem desiderabat. Singulos hortabatur præterire figuram hujus mundi, & eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo.* Videns omnium ordinum ad se concursum fieri, flevit amarè: Rogatus, cur fleret? *rursum*, ait, *ad sæculum redii, & accepi mercedem meam in vita mea.* Mirentur alii signa, quæ fecit, mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem: ego nihil

nihil ita ſtupeo, quàm gloriam illam & honorem calcare potuiſſe. Concurrebant enim ad eum Epiſcopi, Presbyteri, Monachi, Matronæ quoque Chriſtianorum: grandis tentatio; at ille nihil aliud, niſi ſolitudinem meditabatur dæmones in energumenis ubique eum latere cupientem prodebant; ſed ille dolens, & quodammodo in ſui ultionem ſæviens, tantâ eos orationum inſtantiâ flagellabat, ut omnes ex energumenis expelleret. Habuit præterea hanc gratiam, ut ex odore corporum, veſtium, & earum rerum, quas quis tetigerat, ſciret, cui dæmoni vel vitio ſubjaceret. Terribili ac feroci camelo procedens obviam dixit: *Non me terres diabole tanta mole corporis, & in vulpecula, & in camelo unus atque idem es.* Oronius vir potens à legione dæmonum ab eo liberatus, obtulit ei multa dona. Recuſanti ait: *da pauperibus.* Cui Sanctus: *Tu*, ait, *melius potes tua diſtribuere, qui per urbes ambulas, & noſti pauperes. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam?* Cumq; ille doleret ſua reſpui, *noli*, inquit, *contriſtari ô fili, quod facio, pro me; & pro te facio, ſi enim hæc accepero, & ego Deum offendam, & legio ad te revertetur.* Hæc & plura Sanctus Hilarion. cujus, ſi facta contra dæmonem heroica imitari libeat, priùs tui ipſius contemptum, priùs humilitatem imitare.

Et revera, licet coram hominibus expulſio dæmonum admirationem pariat, in Exor-

Exorcista nihilominus humilitatem ex sequentibus motivis parere deberet. *Primò* etenim non ejicit potestate propria, sed divinitùs gratis, & sine omnibus suis meritis accepta: *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* ait Doctor gentium 1. Corinth. 4. v. 7. Certè, nemò gloriatur de potestate consecrandi, absolvendi &c. etsi nobilior & perfectior sit. Cur ergò de potestate dæmones ejiciendi glorietur, séque super alios fortè exaltet? *Secundò*: si separaverit pretiosum à vili, divinum ab humano, nihil nisi terra & cinis, putor & fœtor remanebit. Potestas quippe divina est, consistens etiam cum gravibus peccatis separata: ergò potestatem, & homo nudus, peccatis maculatus remanebit. Benè ergò Christus Dominus monet: *in hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis, sed quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Luc. 10. *Tertiò*: Si dæmon expellatur, non homo purus, sed principaliter Deus expellit utens operâ Exorcistæ ceu instrumenti sui, non secùs ac secans securi utitur: sed *nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?* Isaiæ. 10. v. 15. nunquid securis applicata contemnet aliam æquè aptam, imò ad secandum fortè longè aptiorem? quòdsi ergò in Domino sapis, exspolia te coram DEO omni bono, quòd habes, & ingenuè confitere, nihil esse tuum, Illique soli deberi gloriam: *Soli Deo honor & gloria.* 1. Tim. v. 17.

Quæstio decima.

De charitate proximi, & zelo animarum Exorcistæ necessario.

HEu! exclamat S. Augustinus Serm. 40. ad Fratres in eremo, *Cadit asinus, & omnes eum sublevare festinant, clamat porcus, & cum eo clamare cæteri non cessant: sed clamat inter tormenta fidelis, & non est, qui respondeat.* Clamat energumenus, & non est, qui adjuvet, clamat miser, & nemo miseretur. Tremunt Exorcistæ, quoties energumenus vel à longè apparet. Semper titubant, semper ex qualitatibus personarum confunduntur. *Leo*, ajunt, *est in via, & Leæna in itineribus*, & quis resistendo prævaleat? sed audiant lectionem practicam, quam format S. Gregorius in Job, ubi interpretatur, cur diabolus juxta 70. expositionem appelletur Mirmicoleon, quod est compositum ex formica & Leone, & respondet: *formicis leo est, & leonibus formica; quia sicut contra consentientes leo est, ita contra resistentes debilissima formica.* Quare.

N. 91. Dico 1. Exorcista volens tutò & efficaciter suas adimplere partes, charitate proximi fulgere debet. Licèt enim ad dæmones expellendos simpliciter in Exorcista sufficiat potestas Ordinis, cum fide & fiducia, tamquam necessariò requisitis dispositionibus, ut nihilominùs omnes superet

peret difficultatas, charitas necessaria est: charitas quippe igni comparatur, & sicut parva sæpè scintilla contempta magnum excitavit incendium, ita charitas in corde glisens, totum inflammat hominem, & omnem excludit timorem, S. Id attestante Joanne: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem* Joan. cap. 5. v. 18. Similiter charitas necessaria est ad perfectam fiduciam aquirendam, ùt denuò S. attestatur Joannes c. 5. cit. v. 17. dicens: *in hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus* Et. D. Augustinus lib. 14. de Civitate cap. 9. dicens: *Boni animi motus, atque affectus ex amore, & sancta charitate veniunt.* Confirmant hanc veritatem SS. Patres passim, quorum textus aliquos jam suprà retulimus.

Imò ratio ipsa dictat: nam D. fatente Joanne cap. 4. v. 16. *DEus charitas est, & qui manet in charitate, in DEO manet & DEus in eo.* Qui autem manet in DEO, quodcunque voluerit, à DEO obtinere potest, ùt ipsemet Christus docet Joan. capite 15. *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.*

Denique charitas necessaria est, ut miser etiam energumenus igne charitatis accendatur. Ideo quippe Cant. 8. v. 6 de amore dicitur: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Ezechiel pariter cap. v. 13. vidit *aspectum Cherubinorum quasi carbonum*

bonum ignis ardentium, & quasi lampadarum. Quod exponens S. Gregor. Homil. 5. ita loquitur: *Quia Sancti Viri, dum quosdam juxta se positos, quasi tangendo ad amorem accendunt, carbones sunt.*

N. 92. Dico 2. Exorcistæ pariter necessarius est zelus animarum, ita, ut non tantùm corpus, sed & animam curare satagat. Nam anima plùs est, & incomparabiliter plùs, quàm corpus humanum, illa immortalis, hoc mortale, illa imago Deitatis, hoc pulvis & cinis. Neque corpus ab hospite maligno facilè liberari potest, nisi priùs anima sit à maculis peccatorum liberata.

Quare Exorcista vivaci memoria retineat exemplum sui Principalis Christi Domini, qui *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Act. 10. v. 38. En omnes sanat oppressos! nec divitem, nec pauperem, nec juvenem, nec senem deserit. Pertransiit totam Galilæam & Judæam, ad omnes se effudit, honoratos & abiectos, mares & fœminas, nec ullum suâ gratiâ indignum reputavit. Denique pro omnibus mortuus est, ut opera diaboli dissolveret, & Princeps hujus mundi ejiceretur foras. Ad exemplum ergò sui Principalis potestatem sibi gratis datam applicet; nam ùt benè monet D. Bernardus sermone 18. in Cantica: *Rem profectò proximi retinet, qui metu fortè aut segnitie, aut minùs discreta humilitate verbum bonum, quod*

quod potest prodesse multis, inutili, imò & damnabili ligat silentio: certè maledictus, qui frumenta abscondit in populis.

CAPUT QUARTUM

De Interrogationibus in genere, & in specie formandis, aliisque erroribus vitandis.

Quæstio prima.

Utrum locutio diabolo permitti possit, & qualis ejus sermonibus fides adhibenda?

ADvert. Tum ex Scriptura, tum ab experientia fore certissimum, diabolum sæpè sæpiùs lingua Energumeni ceu instrumento uti ad suos conceptus manifestandos; ordinariè verò loqui linguâ maternâ patientis, ita, ut difficulter compellatur ad idioma peregrinum, & ignotum, prout superiùs jam diximus, cujus ratio est, tum quia, ùt loquitur P. Mengo, lingua ad unum modum habituata est obedientior, & ad motus illi placentes magis disposita. *Tum*, quia Exorcista illâ solùm interrogandi, & jubendi potestate N. 93.

præditus est, quæ vel directè, vel indirectè conducit ad expulsionem dæmonum, sed lingua latina, vel alia ignota energumeno nullatenus conducit, sed potiùs causa est majoris curiositatis; atque ideò dæmoni lingua peregrina sæpè à DEO non conceditur, ut humana curiositas confundatur, quæ potiùs delectatur audire dæmones curiosè loquentes in obsessis corporibus, quàm verba DEI prolata à suo Ministro; *Tum*, quia Exorcista ordinariè tantùm ea præcipere potest, quæ diabolus antè in absentia sua facere consueverat, cùm ea sola à Deo concessa præsumantur; quare si diabolo solum pedem aut aliud corporis membrum vexanti, aut ex voluntate Dei muto loquelam præciperet, actum ageret, cùm ex voluntate DEI obsequendi potestate præditus non esset: ergò, si constet, diabolum nunquam usum fuisse idiomate ignoto, frustrà ad illud compellitur. Quòdsi ergò alia evidentia habeantur obsessionis signa, & frustrà ad idioma ignotum recurritur: & fortè Exorcista multo labore fatigatus vix integrum sensum ignoti idiomatis percipiet; quare directè ad Quæstionem R. &

N. 94. Dico 1. Si dæmon non specialiter interrogatus per os energumeni loqui præsumat, Exorcista illicò ad exemplum Christi Luc. 4. silentium imponat: clamantibus, quippe dæmonibus: *Quid nobis & tibi*

Jesu

JEsu Nazarene, venisti huc perdere nos? Scio te, quis sis Sanctus DEI. Licèt veritatem fateretur, *increpavit illum JEsus dicens: obmutesce, & exi ab eo.* Ratio naturalis est, quia Exorcista personam Judicis, diabolus personam rei agit: atqui reus à Judice non interrogatus loqui non permittitur; imò temerarius habetur, si non quæsitus respondeat, vel in Judicio impertinentia sine ordine effutiat: ergò.

Porrò, si quæras, quo modo illi silentium imponendum? R. ex dictis c. 1. per præceptum tali v. g. modofactum: *In Nomine JEsu tibi præcipio, ut obmutescas,* Vel *in persona mei Principalis tibi præcipio* &c. N. 95.

Si quæras 2dò, an illi permittenda loquela, si dicat, se divinitùs jussum, ut aliqua detegat? R. ordinariè non fore permittendam: ratio est, tum, quia Deus diabolo inimico suo maximo ordinariè non censetur sua revelare secreta: tum, quia ordo juris videtur inverti, si Judex à reo de modo procedendi informetur, & edoceatur; dedecet enim Judicem agere discipulum rei, tum; quia dæmon experientia teste hoc medio plures decipit Exorcistas, ùt non semel mihi relatum est, jam enim docet peregrinationem in hunc locum, jam in alium instituendam, talem orationem persolvendam &c. cui si Exorcistæ inexperti fidem habeant, ceu discipuli à Doctore suo diabolo meritò ridentur N. 96.

tur, sicut modernus quidam Exorcista ob reverentiam reticendus locô sperati effectûs subsannationem & risum reportavit; cùm enim diabolus plurimis horis per Exorcismos adjuratus diceret, opus esse, ut omnes genuflexi tria Pater & Ave persolverent, atque his persolutis denuò ad promissa servanda adjuratus fuisset, respondit dæmon, se interim novas recipisse vires, ut iterum per aliquot horas resisteret: sic & alii dæmones sæpè immoderata suadent jejunia, peregrinationes viribus impares, & similia, quæ jugum Christi non suave, & onus ejus leve, sed durissimum, atque gravissimum faciunt; quare diabolo loqui volenti cordatè ab Exorcista dicendum, se esse Christi Ministrum, se Judicem, & diabolum reum, se nôsse, quid sacra præcipiat Scriptura &c. quòdsi tamen quæstio vel directè, vel indirectè ad expulsionem conducens videatur.

N. 97. Dico. 2. Diabolus legitimè in Nomine JEsu de veritate edicenda adjuratus, etiam contra voluntatem suam veritatem edicere cogitur, atque sic veritatis diabolicæ causa non in diabolum sed immediatè in potestatem Exorcisticam refundenda erit. Ratio est, tum, quia omni jure cautum est, reum legitimè secundùm juris ordinem interrogatum cogi ad veritatem dicendam, sed diabolus est reus; Exorcista verò Judex legitimus: ergò. Tum; quia Exorcista pote-

potestate præditus est ad dæmonem ex corporibus humanis ejiciendum, ita, ut non ipse, sed principaliter Christus ejicere dicatur: Ergò pariter potestate præditus esse debet interrogationes necessarias vel utiles ad eum finem faciendas; frustra enim conceditur finis, si media denegentur: Ergò sicut potestas ejiciendi ex dictis est infallibilis, ita potestas media extorquendi infallibilis erit. Tum, quia Christus ipse interrogando veritatem à diabolo expressit Luc. 8. v. 30. quærens *quod tibi nomen est? at ille dixit: Legio*: ergò idem licebit Exorcistæ vices & personam Christi sustinenti.

Dixi tamen notanter in conclusione: *legitimè in Nomine JESU adjuratus:* Nam si de vanis, inutilibus atque ad expulsionem non conducentibus interrogaret, à patre mendaciorum nil nisi mendacia expectare posset: sicut enim reus illegitimè, & contra jurisdictionem interrogatus contra se veritatem fateri non cogitur, ita diabolus minimè cogetur.

Insuper, si Exorcista suo & non Christi nomine interrogat, contra clarum scripturæ ordinem facit, uti c. 1. q. 2. fuit probatum, neque Christum, sed semetipsum principalem dæmonis judicem constituit: ergò meritò timenda falsitas & deceptio diabolica.

Quæstio secunda.

An adjurare dæmonem modò deprecativò, vel interrogare de inutilibus, vanis, curiosis & nocivis semper sit mortale peccatum?

N. 98. ADvert. quòd adjurare secundùm S. Thomam 2. 2. q. 90. ar. 1. sit, *aliquam personam imperando, aut obsecrando inducere ad aliquid faciendum, omittendúmve, invocatione alicujus rei sacræ.* Unde duplex est adjuratio, videlicet deprecativa, quæ fit deprecando alterum invocatione rei sacræ, qualiter Apostolus ad Rom. c. 12. v. 1. fecit: *obsecro vos per misericordiam DEI.* Altera est imperativa, quæ fit imperando. Differt autem adjuratio etiam deprecativa ab oratione, quia per orationem semper aliquid petitur ab altero, etiam non repræsentando rem aliquam sacram, cujus intuitu effectum postulat; per adjurationem verò petitur aliquid propter rem aliam sacram rogato repræsentatam. H. N.

N. 99. Dico 1. adjurare dæmonem modô deprecativô est semper mortale peccatum. Ita, communis omnium. Ratio breviter est, tum, quia adjurare dæmonem deprecativè, est obsecrare, societatem cum ipso habere, operibúsque ipsius malignis commun-

municare, & quasi se illi subjicere; sed hoc utique est mortale: ergò. Tum, quia dæmon nihil sponte sua facit, quòd non sit in odium DEI, & quod non sit in hominis perniciem cessurum: Ergò.

Unde, ut licitè dæmon adjuretur, tres conditiones requiruntur. 1. ne obsecrando & deprecando, sed objurgando & imperando fiat. 2. ut adjuretur à legitimo Ministro. 3. ut adjuretur ad finem à Christo præordinatum, cujus ultimi ratio est, quia, si ad alium finem adjuretur, finis ille imprimis non posset obtineri virtute & potestate naturali adjurantis, ùt de se constat; neque etiam virtute divina à Christo accepta, qui hanc nullibi concessit: ergò necessariò ab ipso dæmone esset obtinendus, subsumo: atqui non modò imperativò, utpotè; quia solus Minister in persona Christi imperare potest: ergò modò æquivalenter saltem deprecativò. Ex hoc N. 100.

Infertur, te non posse aliquid aliud imperare dæmoni, nisi quod necessarium vel utile est ad expulsionem, ùt docent communiter omnes. Ratio clara est; quia Christus dando potestatem super dæmones, eam semper limitavit ad unicum ejectionis finem, sic Marc. ult. dicitur: *In nomine meo dæmones ejiciunt.* & Matth. 10. v. 1. *dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos:* Ergò. N. 101.

Dices:

Dices: plures sanctissimi Viri exorcizando dæmones in corporibus humanis residentes, plures actiones ab ejectione alienas imperabant, plurèsque interrogationes ad expulsionem non pertinentes faciebant. Sic S. Dominicus, ut refert Bzovius t. 14. Annal. ann. 1213. Energumenum conjurans ex maligno spiritu scisitatus est, cujus statûs & conditionis homines plurimi inter Christianos damnarentur. Sic alii plura interrogabant Mysteria Passionis Dom. &c. Resp. cum. Castro Palao de adjurat. Tr. 14. D. 4. P. 4. n. 5. alios referente, hoc Sanctos feciſſe speciali instinctu Spiritus Sancti ob virtutem supernaturalem, quam habebant à DEO communicatam: si quis ergò per ordinariam Exorcisticam potestatem procedat, id certò non licebit.

N. 102. Dico 2. Interrogare dæmonem de vanis, inutilibus, nocivis, aliisque ad expulsionem non conducentibus est certò peccatum; quia sic Exorcistæ sua abutuntur potestate. An verò semper sit peccatum grave, plurimùm controvertunt Authores, & quidem in aliquibus casibus secundùm Palaum l. c. indubitatum est, grave esse peccatum, 1. si ex interrogatione occultum aliquod peccatum proximi timetur manifestandum: quia absque necessitate dare ansam graviter proximum diffamandi haud dubiè grave est peccatum. 2. si interroga-

rogationes etiam vanarum rerum nimium multiplicentur; quia periculum est, ne dæmon per astutas responsiones decipiat tum Exorcistam, tum alios adstantes. Et præcipuè, quia nimium multiplicare interrogationes videtur signum contractæ cum dæmone amicitiæ. 3. si adsit finis à dæmone addiscendi, quia sic Magister unicus, qui Christus est, deseritur, & dæmon in Magistrum assumitur, quod Christo dedecori, diabolo autem est honori. 4 si diabolo de vanis & inutilibus interrogato certa præstetur fides: Licèt enim dæmoni secundùm dicta fides dari posset in iis, de quibus legitimè adjuratur, in aliis tamen nullam meretur; ratio est, quia unicum credendi motivum esset veracitas diaboli; non enim motivum esset veracitas Dei, quia diabolo non utique creditur fide divina; nec potestas Exorcistica, quæ ad vana data nulla esse supponitur: ergò sola veracitas diaboli: credere autem diabolum certò veracem, est illi magnum deferre honorem, atque ita graviter coinquinari. 5. interrogare modô deprecativô ob dicta superiùs.

Utrum autem ex levitate & curiositate unam vel alteram rem vanam interrogare non deprecando sed imperando, neque certam fidem adhibendo sit peccatum mortale, Doctores plurimum controvertunt, nam Doctores gravissimi plures putant, non excedere veniale, ita Sylvester V. adjuro. N. 103.

juro. q. 5. in fine q. 6. Cajetanus 2. 2. q. 90. art. 1. ad finem. Sotur. l. 8. de Instit. q. 3. a. 3. circa solut. ad 2dum, Navarrus, Suarez, Lessius, Sanchez, Bonac. quid Palaum l. c. relativ. ipse tamen Palaus, quem sequitur Brognolus p. 1. Manual. c. 3. art. 5. n. 300. verius existimat, semper esse peccatum mortale; cujus ratio est, tum, quia similia vana & curiosa peti nequeunt impetrando, cùm non petantur ex potestate sibi commissa: ergò eo ipso, interpretativè saltem deprecando, quod semper esse mortale fatentur omnes, tum; quia dæmon semper in sua voluntate liberè consentiendo respondet, quoties illegitimè interrogatur: nihil autem sponte ob suam in malo obstinatam voluntatem facit, quod non sit ex odio Dei, & ad obscurandam ejus gloriam & nostram perditionem procurandam: ergò pariter in præsenti ita respondere censetur. Subsumo: sed dare occasionem loquendi ex odio Dei, & ad obscurandam ejus gloriam, est peccatum mortale? ergò.

Quæstio tertia.

Quænam sint interrogationes necessariò vel utiliter formandæ?

ADvert. Plures passim ab Authoribus præscribi interrogationes necessariò vel utiliter formandas, quarum præcipuè sunt sequentes. 1. de nomine, ut sciat Exorcista, quem ex illis execrandis spiritibus alloqui debeat. 2. de numero dæmonum, ut sic sciatur, an plures adjurandi, vel unus duntaxat: item, an signa maleficii plura sint, an unum tantùm. 3. de causa invasionis, ut cognoscatur, an maleficium factum sit ad tempus, an in perpetuum. 4. De die & hora discessionis, ut sciatur, quomodo inter dæmones & maleficum conventio facta sit, & pactum. 5. Quo loco dæmon sit egressurus, vel per quem Exorcistam, aut per quem Sanctum expellendus. 6. De signis maleficii, ut ea perquirantur, & destruantur. Hæ sunt potissimum interrogationes, ùt videre est apud Gelasium de Cilia p. 2. c. 1. n. 8. N. 104.

Dico 1. Nulla, per se loquendo, est necessaria interrogatio dæmonibus facienda. Ita laudatus Author Brognolus P. 1. cap. 3. Probat. breviter, tum, quia dantur quandoque Spiritus muti non habentes usum N. 105.

usum linguæ sibi divinitùs permissum, ùt constat Marc. 9. v. 17. dantur quoque spiritus solùm pectus, renes, pedes vel aliam partem corporis possidentes, in quibus casibus vana & inutilis foret interrogatio. Tum, quia Christus nulpiam legitur pro dispositione necessaria requisiviſſe interrogationes prævias, sed solam præscripsit fidem, uti liquet ex Cap. præced. neque ipse Christus, qui tamen omnia ad nostrum exemplum fecit, nec Apostoli, nec Patres Exorcisticum munus feliciter obeuntes ordinariè interrogâsse leguntur. Tum tandem; quia non rarò infantes incapaces loquendi à diabolo vexantur, & omninò possidentur; quis autem dicat necessarias fore interrogationes, quibus diaboli ex infantibus respondeant? certè in nullo Rituali, in nullo Authore me id legisse memini.

Dices. Rituale Romanum de exorcizandis obsessis ait: *Necessaria verò interrogationes sunt: ùt de numero & nomine Spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, aliisque hujusmodi.* Cui consonat Rituale Frisingense, & alia passim. R. fortè hoc commodè intelligi posse de necessitate, non absoluta, sed congruentiali & ubi commode fieri potest, ùt satis (ni fallar) ex rationibus nostris constat.

N. 106. Quinimò sæpè laudatus in arte Exorcistica expertissimus Bognolus hanc interroga-

rogationem de nomine docet esse superfluam, & pernicioſam, cujus rationes potiſſimùm ſunt ſequentes. 1. Quia dæmones non habent nomina ſibi propria, quibus ab invicem ſe dignoſcant, ſed, ſi quæ fortè nomina ſortiuntur, à diverſis officiis deſumpta ſunt; unde ſicut ſæpè ſecundùm imperium Luciferi inferorum Principis mutant officia, ita quoque ſua nomina mutant; hinc, qui hodie eſt Aſmodæus ſeu ſpiritus luxuriæ, cras erit ſathan, ſeu ſpiritus iræ: qui hodie eſt Mamon ſeu ſpiritus avaritiæ, cras erit Beelzebub ſeu ſpiritus gulæ &c. imò; quia unus ſpiritus malignus ſæpè ad diverſa excitat vitia, idem diverſa ſortiretur nomina. 2. Dæmones ſtudioſè abſurdiſſima aſſumunt nomina nec honeſtè uſurpanda, ùt paſſim conſtat ab experientia. Sic 7. diaboli à noſtro P. Luca Veteris Oetingæ adjurati tam abſurda, turpia ac inhoneſta habuerunt nomina, ut tria eorum propter honeſtatem totaliter reticendo ſola priora tam in ipſo Exorcizationis actu, quàm in ratione Theologica ſui Proceſsûs Exorciſtici (prout in Archivo noſtro Monacenſi omnia reſervantur) nominaverit, quæ tamen & ipſa parùm honeſtati congrua videntur; primus enim vocabatur Leib- oder Durchſchuß: alter Pimſenſtein: tertius muſculus: quartus Holtzflegel, qui ſeipſum alio nomine etiam Bernſchneider intitulavit. Ecce! ſi no-

mina quædam habent nec honestè nominada, quomodo honestè interroganda? 3. quia non videtur, quid notitia nominis ad expulsionon conferat. Si dicas, ex nomine nosci, ad quem nominatim dirigenda sint præcepta, nil sane videris dicere; si enim nesciatur, ad quem spiritum dirigantur præcepta, si diabolus sit mutus, aut infantes possidens &c. cur non semper sciatur? vel si nostros sermones ad homines de nomine ignotos dirigimus, cur non etiam ad diabolos de nomine ignotos dirigere valeamus?

Cæterùm: quia ipsemet Christus Marc. 5. dæmonem interrogavit de nomine dicens: *quod est tibi nomen?* cui respondit dæmon: *est mihi nomen legio; quia multi sumus.* Non videtur illicitum ad imitationem Christi de nomine interrogare, non tamen absolutè necessarium, cùm & ipse Christus ordinariè interrogâsse non legatur. Verùm; quia in decursu jam sæpiùs dictum, nullam licere actionem aut interrogationem nec directè nec indirectè ad expulsionem conducentem, commoda & utilitates hujus interrogationis videntur sequentes. 1. Ut significetur per vocabula in operatione, quid valeant, prout loquitur S. Gregor. Hom. 34. in Evang. cùm enim nomina dæmonum ab officiis potissimùm sint desumpta, nomine cognito faciliùs liquet, ad quodnam peccatum diabolus ener-

N. 170.

energumenum frequentiùs inducere satagat, sicque faciliùs remedia præscribuntur; cùm intentato & deprehenso vitio meliùs & tutiùs contraria virtus opponatur. 2. ùt ait Valerius Polidorus in Præfat. c. 11. & seqq. Petrus Antonius Stampa in fuga Sathanæ §. 20. Mengo, & alii, quæstio de nomine utilis est, ut eo cognito scribatur idipsum, & in contemptum superbissimi diaboli comburatur: experientia quippe testis est, dæmones per solum contemptum sæpè in fugam verti, sic cùm anno 1711. domus pupillorum Frisingensis à dæmonibus miserè fuisset divexata, ipsique pupilli quasi phrenetici ac deliri miserè decumberent, per solum diaboli contemptum pristinæ libertati, ac sanitati sunt restituti, ùt ab eorundem Curatore testatum accepi, & fusè in ejusdem domûs Archivo videri potest. Licèt ergò dæmon verum, sive falsum, honestum, vel inhonestum inducet nomen, præfatis finibus opportunum erit.

Dico 2. quærere de numero dæmonum pariter non est absolutè necessarium, quamvis utile esse possit. Prima pars patet ex dictis concl. præced. Secunda verò, quæ est contra nostrum Brognolum l. c. probatur ex eo, quòd cognita unitate vel pluralitate dæmonum adjuratio, & Exorcizatio faciliùs & securiùs in singulari vel plurali proferatur sine omni formidine errandi- N. 108.

quamvis enim conditionatum formari posset præceptum, ut, si plures sunt, omnes pariter exeant, & recedant, revera tamen, sicut aliæ formæ Sacramentales, si fieri posset, absolutè proferendæ sunt, ita forma Exorcismorum absolutè proferenda erit; quod confirmatur tum ex Rituali Romano, tum Frisingensi, aliisque passim volentibus necessariam (necessitate saltem congruitatis) fore quæstionem de numero dæmonum, tum etiam ex Historiis certa fide approbatis, ubi passim legitur, tot dæmones esse ab una persona expulsos: sed id aliunde innotescere vix potuisset, nisi de numero dæmonum quæstio mota fuisset.

Verùm cùm Exorcista numerosam fortè percipit copiam dæmonum corpus unum possidentium, ne quæso, vano percellatur timore; sicut enim una potestate unum non minùs ac omnes ejicit, ita una facilitate, cùm non potestate propria, sed divina expellat, non suo, sed in nomine JEsu Christi, cui omnia subjecta sunt, & cui omne genu flectitur: neque tamen approbandam puto rationem Gelasii di-Cilia suprà n. 104. appositam, scilicet, ut sciatur, an signa maleficii plura siut, vel unum, sive enim centum sint, sive unicum, dæmoniis omnibus alligatus; infinitæ Dei potestati resistere nequit, neque signa illa maleficii perquirenda, vel destruenda sunt, sed absoluti vilipendenda, ùt suo loco dicam.

Dico

Dico 3. Quærere de causa ingressùs quandoque utile, quandoque damnosum esse posset. Ita Brognolus p. 1. c. 3. art. 5. n. 4. utile est, si fiat cum debitis cautelis, videlicet in secreto, ne fortè persona energumena sine ratione diffametur, neque certa fides adhibeatur, si fortè dæmon (ùt plurimùm assolet) causam ingressûs in sagam maleficium ponentem detorqueat; minùs de saga ipsa inquirat, vel omninò ab ea salutem personæ afflictæ restituendam deposcat; si enim cum hisce cautelis fiat, persona afflicta imposterum similem causam securiùs evitabit, & declinabit. Damnosum verò est, si absque prædictis cautelis fiat. N. 109.

Sed displicet rursus ratio citati Gelasii di-Cilia dicentis, talem quæstionem utilem, ut cognoscatur, an maleficium factum sit ad tempus, vel in perpetuum: dato enim, quòd diabolus edicat, illud in perpetuum esse factum, anne mox pusilanimis Exorcista desistet ab opere? anne credet maleficium etiam perpetuum, neque à Deo, vel Ministris Ejus posse tolli? certè nimiûm se credulum prodet, si similibus fidem habeat: dicat, clamet, vociferetur diabolus, se maleficiò ligatum exire non posse, quia perpetuum est, & subrideat Exorcista, dicens, se ex perpetuo facturum temporale, imò nullum. Nam ùt Fostatus q. 90. in c. 19. Matth. Lupus, Brognolus p. 1. c. 20. art. 4. n. 127. docent, maleficium perpetuùm in 110.

hoc à temporali distinctum est, quòd in perpetuo signa posita non sint amplius in potestate sagæ aut maleficii, ut industria humanâ ea tollere, ac destruere possit, sicut potest in temporali: verùm si saga ea tollere nequeat, anne pariter Exorcista nequibit? absit sequela ista: DEus, qui absolutum dedit promissum in suo nomine dæmonia ejiciendi, certum pariter dabit effectum.

N. III. Sed, quidsi diabolus dicat, se voluntate divinâ compulsum exire non posse usque ante mortem naturalem Energumeni? dicat, quod lubet, mendax est, & Pater mendaciorum, neque ullam meretur fidem, nisi in his, quæ potestate exorcistica compulsus fatetur, uti suprà q. 1. dictum est. Scio, diabolum hac arte sæpiùs decipere Exorcistas: sed experti cordatè resistunt, & ipso felici effectu fallaciam detegunt, prout non semel factum vidi.

Que-

Quæstio quarta.

Quænam ulteriores Interrogationes sint faciendæ, vel omittendæ?

DIco 1. Illicitum, Deo injuriosum, & Ordini Exorcistatûs probrosum est, à dæmone quærere, quo die, hora, & loco sit egressurus. Ita sæpè laudatus Brognolus p. 1. c. 3. art. 3. §. q. 8. & 9. licèt alii plerumque repugnent. Prob. tum, quia potestas expellendi dæmones non dependet à voluntate dæmonis, sed à voluntate divina: ergò neque voluntas dæmonis, quo die, hora &c. egressurus sit, exploranda est; tum, quia indignum & probrosum est Judici, se subjicere voluntati rei, vel ex eo quærere, quo die, quâve horâ suppliciô sit afficiendus: sed Exorcista officium agit Judicis, diabolus sustinet locum rei: ergò. Tum, quia nullibi in Scriptura reperitur expressum, potestatem exorcisticam secundùm voluntatem dæmonis esse limitatam, ita, ut secundùm voluntatem dæmonis horam & diem expectare debeat, sed est potestas illimitata Luc. 9. v. 1. *Convocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia*, & c. 20. v. 13. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes, & scorpiones*, N. 112.

& super omnem virtutem inimici. Sic habetur & alibi passim: ergò.

Neque dicas, diabolum voluntate divina cogendum ad veritatem edicendam, an hoc loco, hoc die, vel hora sit egressurus, non, inquam, dicas similia; quia dæmonem miserum & fallacem in hoc puncto Prophetam experientia comprobat: miser est propheta, quia ipsemet diem & horam exitûs, utpote à solo DEO dependentis ignorat, prout sæpiùs mihimet ipsi testatus est. Pariter fallax & fallacissimus est propheta, qui in hoc puncto incautum Exorcistam miserè decipit, ùt suprà jam q. 1. n. 97. dictum est.

N. 113. Si aliud deceptionis diabolicæ exemplum desideras, vide manuale P. Brognoli l. c. ubi sequens apponit. Quidam Exorcista, cùm exorcizando sæpiùs dæmoni præciperet, ut diem, horam, & locum exitûs patefaceret, fallax tandem propheta quasi coactus dixit: *post mensem, tali hora & in illa Ecclesia egrediar.* Qua die, dum Exorcista cum multitudine populi convenisset, dæmon post multos rumores, strepitus, & ululatus, tandem cachinans Exorcistam irridebat, omnésque defectus tum naturales, tum morales ei objiciebat, Exorcista patienter sustinente singula: iterum ergò Exorcista peremptorium faciens præcipiebat, ut veridicè diem & horam, ac locum patefaceret: at dæmon prorogando tempus

pus etiam juravit, se tali die, horâ & loco egressurum, quod promissum nihilominùs in effectum deduxit nunquam, sed more solito bonum Exorcistam risu & ludibrio affecit. Tandem magno ejulatu dixit, se ampliùs non posse prorogare exitum, nec-dum tamen posse exire, nisi Exorcista unâ cum Energumena & Virginum comitatu Brixiam à loco domicilii 20. circiter millia-ribus distantem peteret, & per viam lyta-nias B. Virginis decantaret, ibi verò ante imaginem S. Mariæ gratiarum, & Thau-maturgam egressurum. Bonus Exorcista lætus & hilaris à suo propheta ita instru-ctus, atque omnibus necessariis satis pro-visus cum aliquibus plebeis adolescentibus iter aggreditur: sed ne adolescentulæ tæ-dio afficerentur, amatores & procos suos secum assumunt, & in itinere juxta dia-boli mandatum Matrem gratiarum collau-dant. En! quid Sanctius? sed cum statu-ta die, & hora ante imaginem B. V. compa-ruissent, dæmon primitùs se valdè torque-ri & cruciari ejulans, tandem in risus & cachinos solutus facilitatem credendi ex-probravit Exorcistæ, eúmque locò effe-ctûs sperati variis contumeliis & injuriis af-fecit; quare bonus, sed nimium credulus Exorcista totaliter resignato munere Exor-cistatûs domum ignominia & confusione plenus rediit. En! modò veracem (scili-cet) prophetam, sequere consilia ejus,

qui ignominiam desideras: verùm crede, si cordatè secundùm regulas procedas, dæmon nullùm consilium dabit, sed tuis jussibus, & præceptis ad amussim sese conformare coactus erit.

N. 114. Dices, secundùm superiùs dicta q. 1. n. 93. & 97. licèt dæmonem interrogare de his, quæ directè, vel indirectè ad expulsionem pertinent, isque etiam contra voluntatem suam compellitur veritatem dicere, sed scire locum, diem, & horam expulsionis, pertinet ad ejectionem: ergò. Quinimò & experientia ipsa comprobat, dæmones sæpè virtute haud dubiè divina coactos, clamare, se non aliter, quàm per interceſſionem hujus vel illius Sancti, in tali vel tali loco expellendos, quod verissimum esse subsequens probat effectus. Resp. D. M. Licet interrogare de his, quæ ad expulsionem pertinent, si ea dæmon naturaliter scire possit, neque ullum dæmoni honorem deferant, Con. secùs Neg. At verò dæmon naturaliter nescit locum, diem, & horam expulsionis, summúsque ei defertur honor per similes interrogationes, dum creditur eundem per inspirationem divinam illuminatum scire decreta, quæ DEus posuit in corde suo, vel dum Propheta constituitur, occultissima etiam soli DEO reservata annuntians. Quòd verò quandoque veritatem dixerit, per accidens est, neque ideò dæmon expulsus fuit

fuit, quia dixit, se tali loco expellendum, sed propter dispositionem tum Exorcistæ, tum personæ energumenæ: imò si crederetur, dæmonem vel ideò expellendum, quia ipsemet fassus est se ejiciendum, motivum credendi, vel dæmon ipse, vel ejusdem veracitas foret, quod planè iniquum est; non enim motivum credendi in DEum, ejúsque in revelando veracitatem refundi potest, cùm nulla legatur promissio à DEO facta, dæmonem fatentem se tali loco, die vel hora expellendum certè ejiciendum.

Dico 2. Inutile & pernicioſum est, quærere à dæmone, per quem Exorcistam sit expellendus. Ita Author citatus denuò contra plurimos alios. Rationes id satis efficaciter suadentes adductæ sunt suprà q. prima n. 3. & concl. præc. n. 112. quilibet enim Exorcista authoritate & potestate præditus est fugandi dæmones: ergò quilibet eosdem expellere potest, & expellet, si legitimè dispositus fuerit. N. 115.

Certè dæmon ad fallendum paratissimus, plures incautos Exorcistas hoc remedio suam in nassam pertrahit, prout factum esse narrat P. Brognolus l. c. 272. Cùm enim quidam Exorcista adolescentulam quamdam exorcizaturus sæpiùs dæmonem adjuraret, per quem Sanctum, vel per quem Exorcistam sit expellendus, is fictitiè multo tempore obstinatus N. 116.

tus, tandem coactè (ùt videbatur) veritatem fassus dicebat, se non per alium, quàm per quemdam Clericum adolescentem ob ejus puritatem, & simplicitatem expellendum; quare Exorcista nimium credulus: quoties juvenculam exorcizare vellet, Clericum non tantùm comitem, sed & Exorcistam simul præcepta formantem habere voluit, & felici (ùt opinabatur) cum effectu; quoties enim Clericus tantùm præsens aderat, dæmon magnis clamoribus se puritate ejusdem nimium cruciari simulans omnem obedientiam præstitit, quem felicem procedendi modum admirantes adolescentulæ parentes enixè obsecrant, ut quotidie eandem inviseret, cùm dæmon nulli alteri obtemperare vellet: annuit Clericus, & qualibet die eandem diligenter invisit. Et quis tam felicis initii finis? audiant, horreant, obstupescant omnes; cùm Clericus imaginariè dæmonem sibi obedientissimum compressérat, & in digitum pedis relegaverat, ab ipso spiritu tentatus, modestiæ & continentiæ laxatis habenis quotidie per aliquot menses corpus adolescentulæ detorquens, cum ea carnaliter se commiscuit, dæmone nihilominus in publico semper clamante, se per ejus puritatem & simplicitatem affligi, & cruciari plurimum. Clericus tandem animosior factus etiam condiscipulos suos ad similia excitans, ab

iis proditus, pœnas sceleri suo debitas dare coactus fuit. En, quære modò, per quem Exorcistam sit dæmon expellendus. Quare, ut Exorcista securè contra dæmonem dimicet, nunquam solus cum sola alterius sexûs persona, ne quidem intuitu Confessionis Sacramentalis deponendæ conversationem habeat, ne quidquam curiosum aut ridiculum proponat, sed ceu Judex severè contra dæmonem procedat.

Dico 3. Inutile est quærere à dæmone, an Energumenus sit aliquo maleficio ligatus: illicitum & peccaminosum, quomodo hujusmodi maleficium possit destrui. Ita quoad primam partem P. Brognolus p. 1. c. 3. art. 5. q. 10. Prob. quia utilitas unica foret, ut signa maleficii perquirantur, & destruantur, hoc inutile & minimè necessarium est, ùt parte 2da infrà latè deducam: ergò. Secunda pars defenditur à Valentia 2. 2. d. 6. q. 8. punct. 2. §. atque ut ordiamur, Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. de adjurat c. 2. n. 8. & 9. Brognolo l. c. Prob. non licet in quocunque genere scisciteri ariolos aut pythones, ut nobis opem ferant. Deut. 28. *Abominatur enim Dominus hæc omnia.* & Levit. 19. *non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid scitemini:* sed pythones sunt diaboli: ergò. 2. Patres constanter detestantur, nos esse au-

N. 117.

auditores diaboli, vel quidquam ab eo discere: sic Origenes Homil. 16. in Numer. *Non vult DEus auditores nos fieri, & discipulos dæmonum, neque vult, ut, si quid volumus discere, discamus à dæmonibus; melius est enim ignorare, quàm à dæmonibus discere.* Similia habent Greg. Naz. Aug. & alii à Valentia l. c. relati. 3. Prob. ratione, interrogare dæmonem, quomodo maleficium possit destrui, idem est, ac ei præcipere, ut nos modum doceat, quo destrui possit maleficium, sicque uti ejus ministerio & obsequio: sed hoc pertinet ad quoddam pactum & societatem saltem implicitam cum ipso, quam detestatur Apostolus 1. Cor. 10. *nolo vos fieri socios dæmoniorum*: ergò. Confirm. non licet petere à malefico vel saga, ut mediante diabolo tollat maleficium: hoc quippe esset tollere maleficium per aliud maleficium, quod omnes detestantur: ergò neque licebit immediatè ad dæmonem recurrere, ut nos modum maleficia tollendi edoceat: absurdum quippe merito censetur & abominabile, ut Exorcista, cui dæmonia subjiciuntur Luc. 10. se diabolo subjiciat, ejúsque discipulum agat; nil enim dæmoni gratius foret, quàm Exorcistam judicem suum, ejus magisterio se totum committere, seque coram eo imperium, ac suæ potestatis Exorcisticæ ignarum fateri.

N. 118. Dico 4. Inutile pariter est, quærere à dæmone, per cujus Sancti patrocinium sit ex-

expellendus. Ita denuò P. Brognolus, & apertè deducitur ex rationibus in decursu hujus cap. adductis, quod confirmatur ex eo, quòd electio SS. Patronorum maximè ex devotione propria tam Energumeni, quàm Exorcistæ dependeat, non autem ex voluntate diaboli. Dein SS. Historiæ, revelationes item Sanctorum abundanter xræ-dicant, quinam Sanctorum specialem efficaciam contrà infernales hostes obtinuerint; tales ergò magis quàm diaboli consulendi. Denique non semel certa relatione factum scio, dæmones plurimis in locis clamâsse, sé non in hoc loco, sed in aliis per hujus vel illius Sancti patrocinium expellendos, cujus falsitatem effectus minimè secutus demonstravit: meliùs ergò & prudentiùs consulatur persona energumena, si conformiter ejusdem devotioni & fiduciæ ab Exorcista Sanctus certus Patronus denominetur, quales potissimùm sunt B. V. Maria S. Michael, S. Antonius Abbas, S. P. N. Franciscus, S. Antonius Paduanus, S. Joan. Capistr. B. Andreas de Comitibus, S. Ignatius, Franciscus Xav. aliique.

Quæstio quinta.

An licitum, vel utile sit, quærere à dæmone, quis sit eorum Princeps, atque huic præcipere, ut inferiores dæmones inobedientes excruciet, eosdémque secum educat?

ADvert. Licèt in inferno sempiternus horror sine ordine inhabitet, nihilominùs inter dæmones est quædam prælatio, ita, ut unus imperet, alter obediat, ùt docent Mag. Sentent. l. 2. d. 6. D. Bonav. in 2. d. 6. art. 3. q. 1. ficque passim legitur tum in Chronicis nostris, tum in aliis authenticis Historicis, Luciferum Principem tenebrarum maligna celebrâsse conciliabula ut malitiam disseminando bonos everteret. Unde plures Authores deducunt cum nostro Hieronymo Mengo in Fuste dæmonum c. 6. Sylvestro Prieras & aliis, licitum & utile fore, Exorcistam interrogare, quisnam ex pluribus dæmonibus corpus possidentibus sit princeps, vel, si nullus sit principatum tenens, ut ipsemet aliquem Principem constituat ad reliquos secum educendos, & ejiciendos; stante enim, ait Mengo, inter eos discordia & ambitione, quis audet asserere, illos respuere principatum sibi datum ab Exorcistis?

stis? quinimò ipsum affectant maximô desideriô. Hoc ut profundiùs examinetur.

Dico 1. Inutile est quærere à dæmone: quis sit eorum Princeps, pessimum verò & superstitiosum, Exorcistam aliquem dæmonem constituere Principem reliquorum. Ita deducitur ex Palao de Adjurat. tr. 14. d. 4. p. 4. n. 9. Soto l. 8. de just. q. 3. art. 2. Brognolo, Suarez, &c. Pars prima ex eo suadetur, quòd ad nullum finem ejusmodi quæstio deserviat: nam, ùt mox concl. seq. dicam, non licet imperare Principi dæmonum, ut eosdem secum educat. Altera pars ex eo prob. quia facere, quod dæmon maximô desideriô affectat, est cum illo societatem inire, eique præ cæteris aliquem honorem deferre, quod omnes detestantur Scripturæ. Deinde, licèt Exorcista aliquem ùt principem constituat, re ipsa tamen erit inferior & imbecillior: ergò eo ipso non poterit etiam volens alios secum educere. N. 119.

Dico 2. Sive Princeps dæmonum existat extra sive intra corpus, nunquam licet petere, ut inferiores secum educat. Ita docet Palao cit. Suarez, Sotus, Lessius, Sanchez, Brognolus. Prima pars prob. *tum* quia semper illicitum est à dæmone beneficium petere; beneficium enim gratiarum actionem exposcit, sed, quòd dæmon superior inferiores pellat, est manifestum beneficium: ergò, *tum* quia hac petitione arguitur, Exorcistam indigere auxilio dæmonis superioris N. 120.

ad inferiorum expulsionem, Exorcismos, adjurationésque insufficientes esse ad illum dæmonem inferiorem expellendum, quod DEO sine ulla ambiguitate injuriosum est. Secunda pars prob. pariter tum rationibus præcedentibus, tum ulteriùs ex eo, quòd Exorcista non habeat potestatem majorem præcipiendi superioribus, quàm inferioribus: si ergó superiorem per præcepta ejicit, poterit sine auxilio ejusdem etiam inferiorem ejicere: inferior enim non est pejor, perversior, & in malo obstinatior superiore & Principe suo, tum, quia dæmon jussu Exorcistæ vel expellit dæmones inferiores virtute divina, vel dæmoniaca, & naturali? non primum, quia DEus nullibi promisit, se velle virtutem suam dæmonibus communicare ad alios expellendos; non dæmoniaca & naturali, quia inprimis constitutus ab Exorcista Princeps non est superior nec fortior aliis, vel si etiam fortior sit & superior, revera tamen illicitè ad ejus ministerium recurritur, cùm dæmon naturali sua virtute nihil agat, quod non sit in perniciem hominis, ùt eruditè insinuat S. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 24. dicens: *Quod possunt dæmones, tanquam dæmones possunt; vel quasi beneficia præstantes magis nocentes, quia magis decipientes vel aperte malefaciendo.*

Dices: hæc petitio conducit expulsioni; ergò licet. R. N. Conseq. quia, ùt bene notat

notat Palao l.c. cum aliis, ea solummodo licent, quæ expulsioni conducunt ex potestate à Christo accepta, non ea, quæ ex voluntate dæmonis conducunt, qualis est hæc petitio, & ita apud cit. Palao tenet Suarez tom. 1. de Relig. l. 2. de Superst. c. 18. n. 8. Sotus, Lessius, Sanchez.

Quare, licèt quandoque dæmones Superiores ad præcepta magorum è corporibus obsessis inferiores dæmones expellant, id pessimo fine faciunt, ut suas recipiant adorationes, oblationes, vel ut maleficium minus in aliud majus transferant. Id tamen non faciunt ad præceptum Exorcistæ; nam, ùt ait Christus Luc. 3. v. 24. *Quomodo potest Satbanas Satbanam ejicere? & si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare - - & si Satbanas consurrexerit in semetipsum, dispersitus est, & non poterit stare, sed finem habet.* Plures similes interrogationes forent examinandæ, quas passim coacervant Authores, & videri possunt apud Hilarium Nicuesum, Gelasium di-Cilia; qui integrum Exorcismum nil præter solas interrogationes continentem, & ad expellendos dæmones potentissimum & efficacem dictum conscripserunt.

Verùm ista mihi videntur parùm utilia, unde ad alia properandum.

Quæstio sexta.

An Exorcista possit dæmonem excommunicare, in desertum relegare, vel in stagnum ignis, & sulphuris mittere?

ADvert. Exorcismaria esse passim referta gravissimis pœnis, & Excommunicationibus, quas dæmonibus inobedientibus, & resistentibus intentant, intentatas repetunt, repetitas semper augent, & multiplicant. Lege Exorcismos Hieron. Mengo, Gelasii di-Cilia, aliorúmque, ubi hæc formalia reperies: *Audi maledicte coluber DEI mandatum, cui tu & socii tui contumaces eritis, interminatæ maledictionis excommunicationem illico incurratis. Cedite hinc, & exite, alioquin mittam vos in profundum abyssi. Conjuro te, ut dicas, quis est ille, qui debet te hinc expellere; alioquin mittam te in profundum inferni &c.* Denique præscribunt formam juramenti extorquendi à dæmone manibus obsessi super altare, vel librum Evangeliorum, aut supra dextram Exorcistæ, vel Crucifixum positis; de obedientia scilicet præstanda, de veritate dicenda, de signo dando discessus sui &c. quæ theologicè perscrutando.

N. 121. Dico 1. dæmon nequit ullo modo excommunicari ab Exorcista. Ita Brognolus

lus,& alii. Ratio breviter est; quia excommunicatio juxta nominis ethymologiam idem est, ac extra communionem separatio: sed diabolus separari nequit, cùm semper sit separatus, nihilque de corpore Christi participet: ergò. Si dicas cùm Mengo in fuste dæmonum cap. 7. ante finem: Excommunicationem fortè coincidere cum Exorcismo, tunc sensum similium conjurationum planè nugatorium facis; nugari siquidem meritò censeris dicendo: *Interminatæ maledictionis Exorcismum incurras.* Si dicas fortè per excommunicationem intelligi pœnam gravissimam dæmonibus infligendam, sicut excommunicatio fidelibus pœna est gravissima. Tunc contra est, tum, quod Exorcistæ non legatur à Christo collata potestas dæmonibus gravissimam illam infligendi pœnam, ùt mox latiùs dicam; tum, quòd sic excommunicationis nomen ad sensum impropriissimum detorqueas.

Dico 2. Neque Exorcista potest relegare dæmonem in locum desertum, vel in stagnum ignis & sulphuris. Ita Castropalao de adjurat. tr. 14. d. 4. punct. 4. n. 12. Thyræus de dæmoniac. c. 46. n. 23. Brognolus p. 1. c. 3. art. 5. q. 14. & 15. ratio est; quia Exorcistis solummodo data est potestas dæmones ejiciendi, non autem terminum ejectionis designandi, ùt clarè videtur desumi ex verbis Christi Domini, N. 122.

Matth. 10. Marc. 3. & Luc. 9. *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos.* Quòdsi enim Exorcistis omnis potestas in dæmones competeret, ipsos in desertum relegandi, in infernum mittendi, frustrà terminus restrictivus: *ut ejicerent eos*, additus fuisset, tum, quia si competeret Exorcistis potestas dæmones in infernum mittendi, consequenter terminum ejectionis præscribendi, pariter eis competeret potestas dæmones ejectos & expulsos cogendi, ne imposterùm personam liberatam tentarent, vel omninò redirent: sed hoc est falsum, ùt relato Abulensi 1. Reg. 16. q. 41. docet Sanchez l. 2. c. 42. n. 28. & nos infrà c. 6. ergò. Tum, quia id satis clarè desumitur ex verbis Apocal. c. 1. ubi Christus ceu Judex supremus ait: *Fui mortuus, & ecce sum vivens, & habeo claves mortis & inferni.* Ubi Christus claves inferni sibi soli reservâsse videtur, ùt explicat Corn. à Lapide in locum præf. unde optimè Tostatus q. 66. in c. 10. Matth. *potestas*, ait, *data Apostolis super dæmones non fuit absoluta, ita, ut possent quidquid vellent, super dæmones, sed solum, ut possent eos ejicere.*

Denique minæ illæ conditionatæ omninò frivolæ & irrationabiles videntur; si enim dæmon non obediat exeundo, quomodo obediet in infernum, vel in locum desertum descendendo? si rebellis est & obsti-

obstinatus contra præcepta ex manifesta Christi promissione facta, quis ita levis corde dabitur, ut credat eundem illis præceptis obedientiam præstiturum, quæ nulla divina promissione fulciuntur? certe irrationabilia sunt, & sine ulla ratione practicantur. Sed

Dices 1. Potestas Exorcistica non est minor potestate maleficorum, sed hi sæpè alligant dæmones, imò frequenter in vitris asservant: ergò. 2. Legitur de certo converso celeberrimi Monasterii Cæsarienſis, quòd diabolum ex corpore certæ personæ expulsum vitro incluserit, atque in publica Ecclesia suspenderit, & sic de aliis pluribus: ergò. R. ad 1. N. A. nam ùt eruditè docet Delrio Disquisit. Mag. l. 2. q. 30. sect. 2. nullus magus immediatè per se ipsum dæmonem alligare, vel vitro includere potest. Quòdsi similia quandoque contingant, id ex fœdere cum dæmonibus inito pendet, & oritur; si enim magus pactum habeat cum dæmone superiore, potest eo adjuvante ligare inferiores, sic ob fœdus & pactum initum semetipsos quasi ligare, ac rei alicui præsentes constituunt, ut sic magis benevolentiam capiant magi, sicut apertè habetur apud D. Aug. l. 2. super Gentes ad literam, ubi de Cynope mago scribit sequentia. *Cùm D. Joannes dæmones interrogaret, cur Cynopi parerent; unus eorum respondit; quia omnis virtus Sathanæ in*

N. 123.

eo habita, & fœdus ac pactum habet cum universis principibus nostris, & nos cum eo pariter pactum habemus: nam & nobis obsequitur Cynops & nos illi. Ad 2. dico: id Sanctos vel saltem specialibus virtutibus ornatos quandoque fecisse ex singulari illustratione divina, atque potestate non ordinaria Exorcistica, sed speciali sibi ob peculiarium virtutum actus concessa.

N. 124. Dico 3. Vanum est, & prodigendo duntaxat inutiliter tempori accommodum, juramentum à dæmonibus exigere, vel processum quasi judiciarium formare. Prob. breviter, tum quòd juramentum eum in finem duntaxat assumatur, ut, quem non movet simplex veritas, saltem moveat invocatio divini nominis tanquam primæ & infallibilis veritatis, sed dæmonem, qui summo flagrat odio erga divinum nomen, hoc certò movere nequit: ergò. Tum, quia speratur diabolus juramentum servaturus vel voluntate propria, vel coacta voluntate divina? non primum, quia, quidquid diabolus voluntate propria facit, ex odio Dei facit, nec quidquam curat nomen divinum interpositum, sed illud malitiosè blasphemat, & inhonorat. Non secundum; quia si ex mente adversariorum Deus non cogit diabolum ad exeundum juxta præcepta ab Exorcista in nomine suo facta, licet id passim in Scriptura promiserit, minùs coget eundem ad servandum juramentum, quod nus-

nuspiam promisisse legitur. Tum, quia ex mente D. Aug. tom. 10. serm. 2. de decollat. S. Joan. Bapt. prout verba ejus formalia exhibet R. P. Felix posteà tom. 1. p. 3. c. 2. P. Heno & alii, non licet exigere juramentum ab eo, quem scit certò pejuraturum, sed diabolus certissimò scitur pejuraturus: nam si propria voluntate censeatur servaturus juramentum, illud ex odio divini nominis certò non servabit: si voluntate divina censeatur cogendus, saltem jurabit cum voluntate non servandi, tum denique, quia servare juramentum dependet à voluntate jurantis: sed exitus diaboli à corpore obsessi dependet à voluntate DEI sua virtute dæmonem expellentis: ergò.

Quæstio septima.

An, & quomodo liceat Exorcista medicinas præbere energumenis, & maleficiatis, vel chirurgi munere fungi?

ADvert. Medicinas esse in triplicem classem dividendas, aliæ quippe sunt purè corporales seu naturales, quæ ex sua natura sibi à natura naturante indita producunt effectum. Aliæ purè spirituales, seu veriùs, benedictæ, quæ nullum effectum naturalem producere natæ sunt, N. 125.

sed quidquid habent, ex benedictione sacerdotali communicatum accipiunt. Aliæ mixtæ, quæ licèt naturalem habeant effectum, tamen simul propter benedictionem alium spiritualem connexum acquirunt. H. N.

N. 126. Dico 1. Licet Exorcistis medicinas præbere energumenis & maleficiatis purè benedictas, quæ naturaliter obesse nequeunt, v. g. oleum benedictum, ceram papalem, schedulas Conceptionis &c. ita certa sententia ex communissima praxi. Et infrà de remediis contra maleficia parte 2da latiùs dicam.

N. 127. Ubi tamen aliqui per Oleum benedictum intelligi nolunt Chrysma ab Episcopo benedictum, neque Oleum infirmorum, neque Catechumenorum, ob Concilium Moguntinum, quod sub Carolo Magno C. 37. ita statuit: *Presbyteri sub sigillo custodiant Chrysma, & nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii dare inde præsumant, quòdsi fecerint, honore priventur.* De cujus Concilii obligatione, utpotè non Generalis, sed Provincialis duntaxat, recurret adhuc mentio infrà N. 161.

Interea notandum, quòd Quintanad. apud Gobat Tr. 2. n. 191. usum Chrysmatis gravis reatûs non damnet, imò is licitus probetur ex Epistola Innocentii I. ad Decent. dum sic ait: *Oleo ab Episcopo con-*

consecrato non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate. Quamvis huic sententiæ contradicat Bellarm. l. 1. de extre. unct. Diana. V. oleum. Gobat tr. 8. de extr. unct. n. 933. Palao Bauny : sed

Dices 1. Ab experientia constat chrysma, oleúmque ab Episcopo confectum sæpe mirabiles habuisse effectus contra dæmones, & contra maleficia. 2. Synodales constitutiones Constantienses p. 1. tit. 6. n. 4. referente P. Gobat. Tract. 2. Theol. Experim. n. 41. permittunt, ut Laici utantur aqua baptismali ad asperfionem corporum & domorum, duntaxat ad depellendas diabolicas nequitias, sed aqua baptismalis est permixta oleo sacro: ergò. Respond. ad 1. ab experientia mihi nil certi constare; cùm nunquam adhibuerim, quamvis ab aliis non sine effectu non semel adhibitum fuisse inaudierim. Quare si longus usus docuit (ait P. Gobat. tract. 2. de Bapt. n. 191.) secutos fuisse illos effectus, nolim damnare continuationem illius, ut sic loquar, pharmaci planè extraordinarii, sed potiùs supponere, tribui cœlitùs illos effectus ob piam fiduciam precésque usurpantium, nisi fortè Reverendissimi Ordinarii prohibeant: quare cùm in Diœcesi Constantiensi usus aquæ Baptismalis contra dæmones non prohibitus sed concessus legatur,

tur, ibi haud dubiè damnandus non erit. Vide de hoc fusiùs N. 161.

N. 128. Dico 2. Non licet Exorcistis energumenis & maleficiatis præbere medicinas purè naturales & corporeas, neque mixtas, nisi de consilio Medici, vel alterius in arte medica experti. Ita P. Brognolus p. 1. c. 3. art. 5. q. 19. post communem, licèt quandoque ex errore, quem præfatus Author gravissimum vocat, contrarium practicetur. Ratio clara est, quia Exorcista ut talis neque novit virtutem herbarum, nec corporis constitutionem, nec varietatem morborum, aliáque soli scientiæ medicæ reservata: ergò sine lethalis culpæ noxa (si periculum sit grave) tales medicinas præbere nequit; licèt enim malum inde secuturum directè non intendat, certè tamen intendit indirectè, quia officium assumit, cujus qualitates non habet. Unde benè monet Alexander Albertinus in suo maleo dæmonum: *Te hortor, si quis Religiosus tibi vellet corpoream exhibere medicinam, quòd eam omninò respuas, nec ullo modo sumas: quia propriis oculis vidi nonnullos juvenes vespere à quodam Religioso aliqua sumpsisse medicamenta, qui post 6. vel 7. horas ultimum obiêre diem, quod mihi maximum fuit scandalum.*

Ne-

Neque juvat, quòd exorcista tales medicinas in libris præscriptas invenerit, aut quandoque cum effectu usurpaverit; etenim, quod uni prodest, alteri obest, cùm constitutiones corporum sint diversissimæ; quare universaliter inhibetur Exorcistis tam in Rituali Romano, quàm Frisingensi; *Caveat Exorcista, ne ullam medicinam infirmo vel obsesso præbeat, aut suadeat, sed hanc curam medicis relinquat.*

Dico 3. Neque licitum est Exorcistis Chyrurgi munere fungi; passim præparando diversa balnea, unctiones, emblastra, aut alia diversa suffumigia &c. Ita ait Brognolus; ratio est, quia sic denno mitteret falcem suam in alienam messem practicando, cujus praxis plùs fortè obesse, qnàm prodesse potest. N. 129.

Cæterùm praxin hîc communem omnium fermè peritorum damnare nolo; constat enim balnea benedicta, unctiones, aliaque suffumigia præsertim contra maleficia esse summè proficua, quod innumeris exemplis comprobari posset, & infrà de maleficiis parte 2da latè dicam; solam ergò praxin passim similia adhibendi damno, & rejicio; nam balnea non omnibus esse proficua, sed pluribus nociva, experientia probat, & Medicorum tam cautè circa balneationes procedentinm cura demonstrat. Suffumigia pariter præsertim fœtida caput & Phantasiam perturbant, deli-

deliquia, utinam non etiam apoplexiam & epilepsiam causant, ita, ut energumenus ad fidem & fiduciam ex Scriptura unicè necessariam ineptus reddatur. Quare si similia profutura speras, judicium prudentis Medici, aut Chyrurgi, si fieri possit, adhibeas; nam *erit salus, ubi multa consilia sunt*, ait Sapiens Prov. 24. & *qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia*, Prov. 13.

Quæstio octava,

An possit Exorcista fictionibus uti, energumenum flagellis vexare, opprobriis dehonestare?

ADvertend. Plures Exorcistas probam veræ vexationis dæmoniacæ ex eo ab imaginaria & fictitia discernere; fingunt enim, se capiti energumeni, nescio quæ sacratissima, superimponere; cùm non nisi profana superimponant; quòd si energumenus torqueatur, eùndem ut fictitiè, vel imaginariè possessum indicant; si verò fictionem advertens subrideat, verè possessum declarant. Quare

N. 130. Dico 1. Illicitum est Exorcistis similibus uti fictionibus. Ratio est, tum, quia planè

planè indignum est Ministro Ecclesiæ in persona Christi fictiones & simulationes adhibere: tum, quia dæmon astutissimus, qui nîl magis quàm se occultare satagit, facili negotio easdem eludit, ut personam miseram ulteriùs detineat captivam; nullo quippe præcepto, nulláve promissione divinitùs facta ad se prodendum adstringitur.

Quod ut manifestiùs pateat, audiatur, quòd in simili negetio plures doctissimi & clarissimi Viri circa personam energumenam attentaverunt. Erat illa persona miserrimè cruciata, ita, ut Sacerdotibus etiam præsèntibus crines aliáque ad ciborum benedictorum sumptionem evomuerit, se pugnis propriis tremendum in modum percusserit, parieti ita allíserit, ut non lapides duntaxat sed magnam partem trabis muro inclusæ excusserit, corpore cæteroquin imbellis & debilis, atque multo tempore, nec ambulare potens, cùm tamen ad exorcizandum ducta fuisset, tam subitò fortis evaserit, ut ab aliquot viris teneri, & coërceri nequiverit. Hæc & alia plura videntes Viri illi clarissimi concilio convocato novam veræ possessionis probam elicere tentant. Et quid consilii? secundùm Evangelicam haud dubiè normam procedent? nil minùs: fictionibus sibi ceu primariis Ecclesiæ Ministris agendum putant: superimponunt N. 131.

ponunt ergò primitus capiti energumeni profana chartifolia, dein calceorum ligula, quasi sacratissimas Sanctorum Reliquias, & en astutiam diabolicam! clamat, ejulat, vociferatur energumena, seque nimis cruciari inclamat, rogat proin, ut illa Sacratissima tollantur. Subridentes ergo tollunt profana, sed nondum statim finis. Novô consiliô habitô statuunt, quòd non profanis duntaxat, sed & rebus ab Ecclesia benedictis cum diabolo agendum. Cùm ergò á domesticis inaudirent, energumenam nullum cibum sumere posse, nisi priùs per 3. circiter horæ quadrantes à Sacerdote exorcizatum, duos gallinarum pullos in aqua benedicta decoctos ei submittunt, concludentes firmiter, quòdsi eosdem sine horrore comederit, fictitiè tantùm fore possessam, quòdsi verò eosdem ceu benedictos rejicerit, arcanúmque detexerit, verè & realiter esse obsessam. Verùm ecce cum simulatè procedentibus Ecclesiæ Ministris, simulate procedit versipellis hostis, imò non procedit, sed tosaliter suam præsentiam d ssimulat, personam inedia multùm afflictam utrumque comedere pullum, quin & offam cum summo gustu ebibere permittit liberrimè. Et quid ulteriùs consilii? deficiunt, & attoniti hærent omnes, atque ex simulato & fictitio suo processu contra regulas summulisticas conclusionem veram, ut putant, inferunt, personam esse pessi-

pessimam, fictitiè & imaginariè tantùm possessam, atque adeò ulteriori favore omninò indignam. DEus tamen, qui neminem in se sperantem deserit, veritatem tandem detexit, hospitémque ingratissimum per alium supervenientem Exorcistam expulit, atque ita manifestè docuit; non fictionibus & vanis simulationibus, sed veritate Evangelica diabolum vincendum & ejiciendum; *nam simulatores & candi provocant iram DEI.* Job. 36. v. 13.

Dico 2. Licet moderatè & prudenter energumenum vexare flagellis benedictis, N. intentendo præcisè contemptum diaboli. 132.
Ita Castropalao l.c. Bonac. Thyræus, Brogn. Ratio est, quia diaboli superbia non magis, quàm per opprobrium & contemptum reprimitur; contraria quippe contrariis curantur.

Quia nihilominus similia plerúmque magis cedunt in afflictionem energumeni, quàm immundi spiritûs, qui sentire nequit, satiùs est ab iis abstinere, ùt benè monet sæpè laudatus Brognolus n. 321. & eorum locò adhibere objurgationes, aliáque diaboli contemptiva juxta ea, quæ infrà c. 6. q. 6. præscribentur.

Quæstio nona.

An liceat Exorcistæ, annuere dæmoni offerenti egressum ex homine, si ipsi permittatur in alium ingredi?

N. 133. ADvert. Non videri ullum inconveniens, si Exorcista objurgando dæmonibus objiciat, cur non potiùs maleficos & fagas sibi subjectas, quàm homines pios & justos juxta voluntatem Dei ingrediantur & vexent: Licèt enim id centies ipsis objiciat, dæmon antiquam pulsando lyram, respondebit, se prædam semel captam nequaquam dimissurum; quòd si enim vexarentur, tyrannidem agnoscentes, resipiscerent, & ad DEum per pœnitentiam reverterentur. Sic, cùm ad S. Hilarionem (ùt refert S. Hieron. in vita ejus) adducta est puella energumena, vir ille sanctus irridens dæmonem dixit: *Grandis fortitudo tua, qui licio & lamina strictus teneris: Dic quare ausus es ingredi puellam Dei?* respondit dæmon: *ut servarem eam virginem. Cui Sanctus: tu servares, proditor castitatis? cur non potiùs in eum, qui te mittebat, es ingressus? ut quid,* respondit dæmon, *intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem?* Pariformiter haud dubiè respondebunt etiam aliis exorcistis.

Simi-

Similiter Episcopis, aliisque habentibus potestatem neutiquam illicitum est aliquem excommunicando tradere Satanæ, ita, ut corporaliter etiam ab illo possideatur: sic enim ipsemet D. Paulus 1. Corinth. 5. v. 5. hominem illum fornicarium Satanæ tradidit in interitum carnis, id est, ut apud Cornelium à Lapide explicant Theodor. Chrysost. Theophyl. Oecumenicus & Anselmus, ut ægritudine corporis, vulneribus & plagis ipsum maceret diabolus, ut caro ejus atteratur, carnisque vigor intereat, ut ita humiliatus resipiscat. Unde excommunicatos olim verè à dæmone fuisse possessos, tradit idem Cornelius ex Patribus in versum ciratum: Si ergò tunc licuit excommunicatos tradere Satanæ, corporaliter possidendos, etiamnum licebit.

Denique nulla ratione illicitum videtur conditionatè annuere dæmoni, ut in alium hominem pessimum ingrediatur, si DEus ita voluerit, & permiserit: sic etenim causa obsessionis alterius non est Exorcista, sed DEUs permittens ad majorem suam gloriam, & salutem hominis illius pessimi.

Quare, cardo difficultatis in eo tantùm versatur, an liceat dæmoni offerenti egressum ex corpore humano, si ipsi liceat in aliud ingredi, annuere & absolutè concedere ingressum. Affirmativam tuetur Sanchez in Decal. cap. 42. n. 36. Thyræus de dæmoniacis cap. ultimo à n. 8. & se-

quentibus, si quatuor sequentes adsunt conditiones. *Prima*, ut is, quem dæmon possessurus est, sit pessimus, & eo supplicio dignus. *Secunda*, ut adjurans habeat imperium in eum, quem dæmoni traditurus est, atque potestatem in ipsum dæmonem, summúmque jus ad ipsum expellendum, quandocunque libuerit. *Tertia*, ut adsit boni majoris spes: quia scilicet speratur fore, ut hac ratione proximus juvetur, alia ratione non juvandus. *Quarta*, ut absit voluntas placendi dæmoni, sed id tantùm fiat ad utendum ipso tanquam lictore & carnifice. Ulteriùs procedit Castropalao de adjuratione Disp. 4. punct. 4. n. 15. putans, id quoque licere secluſis istis quatuor conditionibus. H. N.

Dico. Nunquam videtur esse licitum absolutè annuere dæmoni coditionatè offe-
N. 143. renti egressum, si ipsi permittatur in alium ingredi. Ita P. Candidus Brognol. l. sæpè citato. *Prob. 1.* Talis petitio diabolica est summè deceptoria; nam vel exit diabolus virtute divina coactus, vel voluntate propria, & annutu Exorcistæ stimulatus? Si virtute divina: ad quid annutus ille? si enim DEus velit eundem in alium ingredi, consensus Exorcistæ necessarius non est. Si voluntate propria: certò falleris, expulsio enim dæmonis non est effectus voluntatis diabolicæ, sed virturis divinæ. Quinimò, quia dæmon in malo obstinatus, nihil

hil voluntate propria fecit, quod non sit in odium Dei, & in hominis perniciem, annutus ille, & concessio cederet in odium Dei, & in hominis perniciem, quod grande nefas est.

Probatur 2. Secundùm dicta superiùs: Potestas Exorcistæ se dùntaxat extendit ad dæmonem ejiciendum, non verò licentiandum: ergò non licet ei annuere, ut in alium ingrediatur: hoc enim solius Dei est, qui solus est Dominus vitæ & mortis. *Confirm.* talis conditio videtur omnino frivola: vel enim Exorcismus est efficax independenter ab illa conditione, vel non est efficax. Si *primum*; ad quid ergò consentiat Exorcista petitioni? si non est efficax, tunc plures absurdissimæ inferuntur sequelæ, ùt *primò*, quòd efficacia Exorcismi à voluntate diabolica dependeat. *Secundò*, quòd promissio divina de absoluta ejectione non sit infallibilis, sed dependenter à fallacissimo dæmone suum consequatur effectum. *Tertiò*, quòd Exorcismi non habeant effectum ex opere operato, sed ex consensu diaboli. *Quartò*, quòd non sola fides & fiducia, sed consensus insuper diabolo præstitus sit conditio & dispositio prærequisita ad expulsionem dæmonis. *Quintò*, quòd Sacramentum Exorcistatûs sit institutum in damnum & nocumentum proximi, scilicet illius alterius, cujus ingressum dæmon exigit pro conditione, ut ex isto egrediatur,

Probatur 3. Conditiones illæ à P. Sanchez appositæ nullius sunt roboris: nam *prima* quoad secundam partem cuilibet Exorcistæ est prorsus ignota: scire enim sine revelatione non potest, an ille homo sit pessimus. *Secunda* nunquam adesse potest: nullus enim purus homo tale habet imperium in alium hominem. *Tertia* est nulla: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Quarta* ex eo non subsistit; quia consentiens diabolo ex odio DEI operanti, opere ipso placet diabolo, licèt protestetur. Sed.

N. 135. Ob. 1. Christus ipse Luc. 8. petenti diabolo annuit, ut in porcos intrare possit; ergò ad exemplum ipsius licet ex rationabili causa annuere, ut in porcos intret, porci autem metaphoricè sunt homines pessimi: ergò *Confir.* S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap 21. narrat, Monialem quandam, cùm dæmonem ex energumeno ejiceret, ad petitionem dæmonis permisisse, ut in porcum intraret: ergò ruunt omnes probationes nostræ. Vel enim Monialis illa dæmonem expulit virtute divina, vel voluntate dæmonis? quidquid dicatur, allata sequuntur absurda: ergò. Similiter etiam altera probatio ob omnimodam paritatis rationem nulla est.

℟. Ad argumentum neg. conſ. Nam quòd Christus diabolo petenti annuerit, ut in porcos intrare possit, ceu absolutus & supre-

supremus Dominus fecit ob plures, & singulares rationes aliis Exorcistis minimè competentes, videlicet *primò*, ut ostenderet se absolutè dominari dæmonibus, eósque sine sua licentia nihil posse, ne quidem in porcos intrare. *Secundò*, ut Saducæorum negantium dari dæmones Act. 13. v. 8. errorem hoc facto convinceret, & confutaret, ùt ait S. Hilarion in cap. 8. Matth. *Tertiò*, hoc fecit, ut mysticè innueret, dæmonem habere à Deo permissionem possidendi homines porcorum more viventes. Has & plures alias rationes allegat Cornelius à Lapide in locum præfatum. Ad *Conf.* dico, Monialem id fecisse speciali instinctu Spiritûs Sancti, & potestate non ordinaria; sed speciali.

Ob. 2. Consensus ille Exorcistæ tantùm est ad faciliorem dæmonis expulsionem: aliàs enim diabolus non recederet: ergò licet &c. Conf. 1. consensus ille tantùm est permissivus: ergò non cooperatur damno alterius, in quem dæmon ingredi permittitur. *Conf.* 2. homo ille, in quem dæmon ingredi permittitur, censetur esse pessimus, eóque supplicio dignissimus: speratur insuper tali remedio curandus: ergò.

℟. Neg. ant. non enim est facilior ejectio diabolica, quæ fit voluntate diabolica, quàm quæ fit virtute divina. Deinde, dato, non concesso, quòd sit facilior, cùm fiat voluntate diabolica, licita esse non potest.

Ad *Conf. 1.* dico, nunquam licere consentire etiam permissivè diabolo malum machinanti, & ex odio DEI dependenter à meo consensu operanti: minùs licere efficaciam Exorcismorum refundere in voluntatem diabolicam, quod fieret secundùm dicta in probationibus nostris. Ad *Conf. 1.* neg. con. cujus ratio est, quia imprimis non constat esse pessimum. Deinde licèt pessimus sit, non constat de potestate Exorcistæ à Deo data ad dæmonem licentiandum, ut in alium intrare possit.

Quæstio decima.

An expulso uno dæmone omnes expellantur?

N. 136. Dico 1. Frequenter, & ùt plurimùm uno dæmone expulso, expelluntur omnes. Ita Castropalao de adjuratione Tract. 14. Disp. 4. punct. 4. Brognolus, aliique communiter. *Ratio* breviter est, quia Exorcismi Ecclesiæ & invocatio SS. Nominis omnibus æque molesta sunt: neque potestas divina minor est respectu unius, quàm respectu alterius, sed omnibus æqualis, habens infallibilem effectum: ergò sicut unum, ita simul alterum, simul omnes expellit.

Dixi notanter: *frequenter, &, ùt plurimùm.* Ex Historiis siquidem fide dignissimis

mis certa relatione constat, plures quandoque fuisse expulsos, aliquibus nihilominus in corpore remanentibus. Sed unde illa divisio? si enim Exorcismus infallibilem habet effectum, infallibiliter simul omnes expellit: si dæmones expelluntur potestate divina, nullus resistere poterit. R. &

Dico 2. Causa potissima, cur uno dæmone expulso non expellantur simul omnes, est modicitas fidei & fiduciæ tum Exercistæ, tum energumeni. Ita deduco ex dictis suprà c. 3. Et *probo* breviter. Etenim, si quæram, cur Christus Marc. 8. v. 22. & seq. non simul visum perfectum restituerit cœco, sed successivè? primò enim expuens in oculos ejus, impositis manibus suis interrogavit eum, si quid videret. Et aspiciens ait: video homines sicut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cæpit videre &c. Sed unde successiva ista visûs restitutio? nonne potestas Christi est infallibilis? nonne eadem facilitate restituit visum clarum, quàm obscurum? Ita est, inficias ire nemo potest. Unica ergò ratio est modicitas fidei & fiduciæ cæci petentis visum: Christus enim conformiter fidei & fiduciæ gratiam per semetipsum elargiri dignatus est, & Exorcistis simili modo elargiendi gratiam curationis diabolicæ potestatem contulit. Plures probationes brevitatis gratiâ viden- N. 137.

dis relinquo cap. 3. ubi de fide & fiducia dictum.

Quæstio undecima.

Per quot horas Exorcismi continuandi, & quale signum exitûs diaboli potendum?

ADvert. utramque quæstionis partem esse controversam: nam quoad primam aliqui cum nostro P. Candido Brognolo in arte exorcistica celeberrimo volunt Exorcismos juxta formam Christi & Apostolorum esse breves, & fermè nihil aliud, quàm formam essentialem continentes. Econtra Rituala Romanum, Frisingense, aliáque passim longos præscribunt Exorcismos, quibus si viderit Exorcista se proficere, per duas, tres, quatuor horas & ampliùs perseveret, donec victoriam consequatur. Utrobique ergò magna authoritas: ibi Christi & Apostolorum, hic ipsius Christi Sponsæ Ecclesiæ. Verùm cùm Sponsa individuo amore copuletur Sponso, Ecclesia sancta DEI Christo Domino, non est credendum Ecclesiam Christo vel in minimo esse contrariam. Quare

N. 138. Dico 1. Si persona energumena perfectè juxta dicta cap. 2. & juxta dicenda c. 5. sequenti, sit in fide & fiducia disposita, unicum præceptum in Nomine JEsu brevibus verbis factum, sufficit ad expulsionem, ita,

ita, ut nulla sit necessitas Exorcismum per plures continuandi horas. *Ratio* breviter est *tum*, quia hæc fuit praxis, hic modus Christi & Apostolorum, aliorúmque Sanctorum. *Tum* quia præceptum in nomine JEsu factum in S. Scriptura infallibilem habet promissionem divinam, ut multis in hoc nostro Armamentario deduximus & probavimus. *Tum* denique quia ipsamet experientia optima rerum Magistra suffragatur: sic enim plurimos expulit dæmones noster P. Brognolus, ut plurimis testatur & confirmat historiis in suo Alexiacon & in Manuali Exorcistarum; sic & ego non semel, sed sæpiùs practicatum vidi quòd personæ miserrimæ ad unicum præceptum in SS. Nomine JESU factum salvæ & incolumes surrexerint.

Dico 2. Si persona energumena sit in fide & fiducia tepida, quandoque Deo disponente per Exorcismos per plures horas continuatos liberatur. Ita intelligo Ritualia, ita Authores contrarios. *Ratio* est, quia licèt ab initio sit fides tepida, successivè tamen augeri potest: videns quippe tum energumenus, tum Exorcista ipsemet, dæmones per Exorcismos cruciari, & ad exeundum compelli, majorem facilè concipit fidem & fiduciam, eosdem successivè totaliter expellendi. *Conf.* secundùm dicta sufferiùs cap. 1. & cap. 3. Deus omnia operatur conformiter fidei & fiduciæ nostræ: *secundùm* N. 139.

cundùm fidem vestram fiat vobis, ait Christus Matth. 9. 29. si ergò quis credat, se non nisi per longos Exorcismos liberandum, aliter cetè vix liberabitur. Sic ergò Ecclesia ceu pia Mater imperfectioribus condescendit, Christus perfectioribus consulit, ut omnes consolarentur.

N. 140. Est nihilominus lata disparitas inter Exorcismos brevibus verbis prolatos, & inter alios per plures horas continuatos: nam si diabolus ex persona perfectè dispositа expellatur, ordinarè sine ulla ipsius læsione & vexatione exire compellitur, ita, ut quasi plumbum ex corde decidat, vel saltem energumenus priùs constrictus & quasi ligatus, subitò ab omni constrictione se liberum sentiat. Econtra in Exorcismis longioribus ordinariè dæmones dirè corpus divexant, voces terribiles & mugitus emittunt, os latissime aperiunt, oculos quasi extra caput educunt &c. Porrò cur DEus Optimus Maximus has dæmoni torsiones permittat, duæ potissimùm rationes dari possunt, videlicet *primò*, ut sic adstantibus crudelitatem dæmonum domonstret, eósque deterreat, ne tanto tyranno deserviant. *Secundò*, hoc permittit in pœnam diffidentiæ ipsius energumeni: *supplicium enim est pœna peccati.*

Circa alteram quæstionis partem pariter Authores duas in partes abeunt: aliqui enim plùs, quàm D. Thomas increduli, putant, dæ-

dæmonem nunquam verè expulsum, nisi materialia edideris signa v. g. murum, vel vitrum confregerit, lampades extinxerit &c. Alii nullum exposcunt signum materiale. Quare.

Dico: vanum & inutile est dæmoni præcipere, ut sui exitûs det signum materiale. N. 141. Ita noster Brognolus p. 3. c. 4. a. 5. n. 736. Ratio est, quia sicut dæmon sine signo materiali corpus intravit, ita sine tali signo exire potest, & debet. Addit P. Brognolus, dæmon multoties talia petita dat signa, quin egrediatur. Sic Anno 1649. cùm quidam Exorcista tale signum quæsivisset, dæmon nedum lampadis lumen extinxit, sed & ipsam lampadem, licèt argentea esset, confregit, nec tamen è corpore est egressus. Ita citatus Brognolus: cujus ratio naturalis est, quia secundùm communem Theologorum sententiam non est ita cerro loco alligatus, sicut corporalia, sed conformiter virtuti suæ se potest jam contrahere usque ad punctum, jam dilatare per magnum spatium: nulla ergò implicantia, quòd signa det extrinseca, & simul in corpore remaneat.

Signum ergò exitûs dæmonii certum est, cùm persona priùs possessa, aut maleficiata post ultimum expulsivum præceptum se veluti à quodam pondere exoneratam, à quodam ligamine solutam, & ab omni dolore liberam senserit. N. 142. Interim, si dæmon energumeni linguam possideat, poterit

Exor-

Exorcista in majorem pœnam dæmoni præcipere, ut in exitu suo SS. Nomen JESU, non invocando, sed pertimescendo inclamet, aut laudem det B. Virgini, eidem victoriam & triumphum adscribendo.

CAPUT QUINTUM

De Remediis generalibus Energumeno necessariis, vel summè proficuis.

INfallibilis, & certus est Exorcismorum effectus, atque ita infallibilis paritet & certa expulsio dæmonis ex homine benè dispositio, utì hucusque satis dictum; verùm difficillima sæpè dispositio: titubant, & fluctuant plerumque miseri energumeni, licèt ad pedes Exorcistæ pro voluti auxilium implorent: timent, malignum hospitem secundùm Christi promissum non expellendum, licèt hæsitabundi simul sperent. Quare, ut fides & fiducia augeatur, & metus expellatur, de remediis & dispositionibus prævijs agendum, ut energumenus meliùs dispositus ab hoste maligno liberari valeat. Sunt autem remedia alia generalia, alia specialia: *generalia* sunt, & dicuntur ea, quæ omnibus non solùm obsessionibus & maleficiis, sed etiam omnibus spiritualibus infirmitatibus curandis proficua sunt, qualia censentur Sacramenta & Sa-

Sacramentalia. *Specialia* verò, quæ particularibus morbis curandis prosunt. Quare sit

Quæstio prima.

Quantæ efficaciæ sint septem Ecclesiæ Sacramenta contra dæmones?

OMnia septem Ecclesiæ Sacramenta divina & supernaturali virtute sore efficacissima tum ad fidem & fiduciam aquirendam, tum ad dæmonem ipsum pellendum, nemo est, qui ambigat. Septem enim Sacramenta septem stellæ perlucidæ sunt intellectum illuminantes, voluntatem inflammantes: uti Christus ipse S. Joanni locutus est Apocal. cap. 1. v. 20. dicens: *Scribe Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea.* Et meritò cohonestavit Sacramenta titulô & nomine stellæ, quia tres proprietates stellarum ipsis conveniunt. *Primò* enim dependent à Christo sole justitiæ, sicut stellæ præsertim mobiles & errantes dependent in participatione lucis à sole planetari. *Secundò*, sicut stellæ lucent ad nostram utilitatem & consolationem de nocte, ita & Sacramenta inter noctes & tenebras hujus sæculi illustrant, & consolantur nostras conscientias, juxta illud S. Matris Ecclesiæ in secreta collecta, de charitate, ubi ait: *DEus qui nos ad imaginem tuam Sacramentis renovas* &c. *Ter-* N. 143.

tio,

tiò, sicut stellæ scintillant, ita & Sacramenta scintillant charitatem in cordibus conscientiæ, unde & l. c. *candelabra aurea*, dicuntur. Quare, si Exorcista miserum energumenum in vera fide & fiducia instruere, dæmonémque expellere velit, his stellis in dextera Christi descriptis illuminet. Ut autem omnium harum septem stellarum mysticarum vim & efficaciam demonstremus, agendum primò

De Baptismo.

N. 144. POssessionis & obsessionis diabolicæ causam potissimam esse diffidentiam de Deo, aliáque hominum peccata, fusè diximus suprà cap. 2. hujus Armamentarii: unde, cùm juxtra tritum & commune proverbium, *contraria contrariis curentur*, possessioni & obsessioni diabolicæ curandæ nullum aptius remedium esse potest, quàm baptismus: in hoc etenim homo accipit infusum omnium theologicarum virtutum comitatum, ùt definivit Clemens V. in Concilio Vienensi, & refertur Clement. *Fidei Theologicæ* §. *ad hoc*. In hoc deletur omne peccatum tam originale, quàm actuale ante commissum, uti rursus definivit Florent. in Decreto Eugenii de Baptismo. Et Trid. Sess. 5. cam. 5. In hoc remittitur omnis omninò pœna peccatis debita sive æterna, sive temporalis, prout tum continua Ecclesiastica traditio, tum Patrum Authoritas con-

confirmat: ex quibus unicum S. Augustinum audire libeat, qui lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 28. ait: *Si continuò consequatur ab hac vita migratio* (post Baptismum) *mox erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant.* Quinimò Trid. Sess. 5. can. 5. loquens de baptizatis ait: *innocentes, immaculati, pueri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt.* Quòd si autem Baptismus tot ac tantos producat effectus diabolo è diametro oppositos, non dubium, quin optimum sit remedium ad dæmones expellendos.

Experientia etiam id plurimis testatur historiis, tum antiquioribus, tum recentioribus, prout fusè videre licet apud P. Delrio Disquisit. mag. lib. 6. cap. 3. q. 3. Ego recentiores tantùm aliquas commemorabo.

N. 154. In Comitatu Tyrolensi, prout casum refert P. Gobat. in Theologia experimentali Tract. 2. de Baptismo n. 457. natus est puerulus, quem ipse Getulium vocat; hic domi ab obstetrice bibula baptizatus, cœpit ab infantia infestari à spectris, & in terrorem propè lethalem conjici, semel verberari à manu occulta; semel audire ambulantem in cubiculo, nihil tamen videndo: conspicere non semel fœminam subitò evanescentem; semel eripi vitæ periculo imminente ex præcipitio in saxum, depulsóque per vim planè occultam, subitóque illum absque ulla læsione erigentem in pedes,

turbari horrendis phantasiis tempore sacræ Communionis, aliàs autem, & frequentissimè nefandis de Deo, ac Beatissima Virgine, cùm tamen sit vir optimæ vitæ ac conscientiæ, interim in percipiendis Sacramentis rarò admodum ac parcè quietem animi, solatiúmque expertus. Et cùm jam esset sexagenarius, nondum tamen liber erat à terriculamentis, spectris, phantasiis illis inexplicabilibus &c. Quare consultus P. Gobat occultissimam suasit repetitionem Baptismi motus quidem præcipuè allegatione & obstetricis, & bibulæ, ferèque quotidie temulentæ, non parùm tamen concurrentibus ad illum motum cæteris considerationibus. Et tandem optati eventûs hujus tenoris recepit litteras ab illo, qui priùs consilium petierat: Tandem aliquando rediit ad me, ille, quem consilio R. V. ad Jordanis scilicet undas reduxi. Incedit homo plenus gaudiis, asserit gravem illam, & semper deteriora, majoráque pericula comminantem tempestatem desæviisse prorsùs; jam amæna, ut nimirum solent boni Numinis filii aurâ se cum magno animi solatio frui. Agit vir optimus R. V. ingentes gratias pro saluberrimo prorsùs consilio: & offert, quia alia media non suppetunt, preces suas, æternum tanti beneficii futurus memor.

Aliud mihi enarravit Lector quidam nostræ provinciæ tum in-tum extra patriam ob doctrinæ suæ profunditatem notissimus, de

de quadam virgine in servitiis cujusdam perillustris familiæ constituta, & etiamnum in vivis existente. Erat virgo præfata ab heterodoxis parentibus in Helvetia progenata, & à Pseudopastore calviniana hæresi infecto baptizata: verùm secundùm Prophetiam patientissimi Jobi c. 14. brevi vivens tempore, repleta est multis miseriis: quasi flos de utero materno egressa, & contrita est, nec unquam in eodem statu permansit: cœpit namque ab infantia terribilibus infestari spectris, ipsi sub diversissimis formis tum de die, tum de nocte repræsentatis: quare miseriæ suæ finem facturа, plures ex omni Religione tum per se, tum per illustrem suam familiam convenit Religiosos, instat, rogatque per Deum vivum, & verum, ut salubre tandem præstent remedium: verùm cùm januam veræ Christi Ecclesiæ per Baptismum nondum fuisset ingressa, omnia, eaque efficacissima remedia cassa fuerunt, & frustranea, ita, ut penè omnes de remedio salubri inveniendo desperarent. Misericors nihilominùs Deus, qui neminem in se sperantem nimiùm affligi permittit, inspiravit virgini, ut à reliquis penè omnibus derelicta præfatum nostræ Religionis consuleret Lectorem, eidem miserabilem suum, quem viveret, statum patefaceret, atque similiter pro remedio supplicaret. Dictum factum: Lector enim profundiùs reliquis causam examinans, cur omnia,

eáque efficaciſſima aliàs remedia caſſa forent, atque irrita, de patria, Baptiſmo, modóque vivendi interrogat: atque cùm eandem & ab hæreticis prognatam, & ab iisdem baptizatam intelligeret, mox anguem in herba latentem deprehendit, atque occultiſſimè ſub conditione rebaptizat: Et ecce! ab illa hora tota hilaris, totàque in Domino conſolata, ab omnibus dæmoniacis terriculamentis libera vitam ducit in hodiernum uſque diem ſummè tranquillam, & quietam.

Simillimum caſum me legiſſe memini Monachii in ſcripturis ex Archivo noſtro juſſu Admodum Reverendi Patris Provincialis Anno 1720. mihi communicatis: ubi certa fæmina Monacenſis non tantùm ſpectris impetita, ſed etiam in corpore plurimùm à dæmonibus vexata, per Baptiſmum à noſtris Patribus ipſi collatum ab omnibus ſpectris, doloribus, & percuſſionibus diabolicis eſt liberata, prout fusè in præfato Archivo deſcribitur.

Alium adhuc in civitate Monacenſi contigiſſe caſum narrat P. Delrio l. 1. de quodam adoleſcente Judæo viginti duos annos nato: hic cùm Baptiſmum petiiſſet, miras dæmonis inſidias eſt perpeſſus, & quo magis urgebat Baptiſmum, eò dæmon impugnabat vehementiùs. Nudum penè de nocte ejecit ex ædibus: interdum etiam fauces illi premere, nonnunquam eum ſpectris terre-

re,

re, ut à proposito cessaret, consuevit. Vultus dæmonis adeò fœdus erat, ut negaret adolescens parem sibi ullum videri imaginibus cruciatum. Pridie ejus diei, quo Baptismate lustrandus erat, quoniam eo demum die de victoria dæmonis agebatur, multò vehementiùs eum invidus hostis exercuit, ita, ut is ne à pluribus quidem contineri loco posset. Ut autem vi Baptismatis Christi membrum effectus est, continuò fractus, & debilitatus dæmon fuit.

Refert etiam Navarrus in Consiliis lib. 3. de Baptismo Consil. 5. Patres nostros impertiri Baptismum filiis Turcarum à malo genio infestatis, parentibus eorum id etiam cum minis exigentibus, & subitò curari.

Alium planè mirabilem casum enarrare possem, ubi omnia alia remedia à pluribus Exorcistis adhibita sine effectu fuerunt, donec tandem Sacramentum Baptismi non omnem duntaxat vexationem diabolicam, sed ipsum dæmonem possidentem expulit: verùm aliæ rationes silentium suadent.

Videas ergò, quàm efficax remedium contra spiritus malignos sit Sacramentum Baptismi.

Interim, leves duntaxat conjecturæ non sufficiunt, ne ad conditionale quidem lavacrum repetendum, sed fundatæ rationes adesse, illúdque urgere debent; non enim soli non baptizati, sed & baptizati possidentur, diversisque maleficiis afficiuntur. Rationes

autem satis, nî fallor, fundatas, repetitionem suadentes, suprà cap. 1. q. 5. videre poteris. Licèt autem rebaptizes aliquem irrationabiliter dubitans, non tamen idcircò incurris irregularitatem, cùm hæc sit lata solùm in rebaptizantes scienter. Ita Gobat in Theol. experiment. n. 412.

N. *De Confirmatione.*

146. SEcundam stellam suprà Apocalypsi S. Joannis descriptam esse Sacramentum Chrysmatis seu Confirmationis, facilè liquet, si effectus ejusdem perpendantur. Nam præter characterem, de quo plura Theologi passim, confert speciale robur animi ad profitendam fidem; qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modò geniti teneritatem adhuc, & molitiem quamdam habent, ac deinde Chrysmatis Sacramento adversùs omnes carnis, mundi, & diaboli impetus robustiores fiunt, & eorum animus in fide omninò confirmatur, ait Catechismus Romanus ex Decreto Concilii Tridentini & Pii V. Pontificis Maximi jussu editus p. 2. de Confirmationis Sacramento cap. 3. n. 16. Confert insuper speciale auxilium, quod Deus intuitu characteris, Gratiæque sanctificantis impertitæ per Confirmationem, seu Chrysmationem largitur homini consignato, ad superandas tentationes adversantes habitui Fidei, vel hujus animosæ professionis, ùt ex S. Thoma tradit P. Gobat. Cujus ratio petitur

titur *tum* ex ipso nomine Confirmationis confirmare etenim aliud non est, quàm roborare. *Tum* ex Epistola Melchiadis Papæ ad Episcopos Hispaniæ, ubi ait: *In Baptismo generamur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo alimur, post Baptismum roboramur; at si continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia. Tum* ex D. Th. q. 7. a. 7. *in Confirmatione datur baptizato Spiritus S.* ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes. Quantum autem roboris illo die acceperint Apostoli, inde perspicuum est, quòd Princeps eorum priùs ad unius mulierculæ vocem contremiscens Christum Magistrum suum negaverit, omnes Discipuli Christum deseruerint, & postea ob metum Judæorum clausi latuerint: at Spiritu Sancto roborati & confirmati intrepide Christum prædicaverint etiam ipsis Christi crucifixoribus, ad omne certamen pro fidei confessione & defensione paratissimi. Quòd si ergo baptizatis datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, quantum putas roboris miseri energumeni & maleficiati recipient in Confirmatione? quantum fidei & fiduciæ recipient ad resistendum immanissimo tyranno? Certè nec exempla hanc veritatem ad oculum quasi demonstrantia deficiunt, prout ea legere poteris apud Delrio Disquisit. mag. l. 6. c. 2. sect. 3.

q.3. Unum recens superaddam ex P. Gobat tract. 2. casu 23. de Zosimo puerulo quadrimo è Silva Brigantina Diœcesis Constantiensis, qui paucis post nativitatem mensibus ita fuit quà febri, quà aliis ægritudinibus debilitatus, ut illam usque ætatem pedibus consistere non posset. Ad hujus parvuli parentem Cauponem divertit Reverendissimus Dominus Joannes Jacobus Mörgel, Episcopus Sebastiensis, Suffraganeus Constantiensis; divertit verò, quia ad eas partes excurrerat Sacri Chrysmatis conferendi gratiâ. Ubi conspexit Zosimum jam grandiusculum residentem in sinu patris, ac vultum exanguem, palidumque, quæsivit ex patre, cur ita palleret filiolus? Cui ille: Gratiose Domine, febris frigida, aliique morbi ita eum afflixerunt penè ab ortu, ut semper gestari debuerit instar semestris infantuli, ingredi nunquam planè potuerit. Tunc Episcopus benè precatus puerulo, sermonem, cogitationésq; divertit ad alia. Die sequenti linit sacrô unguentô ingentem hominum turbam, & inter hos etiam Zosimum sibi pro tunc incognitum. Delibutum Chrysmate reportat pater ad locum, ubi priùs genua flexerat, atque vix cæpit orare Deum, puer exclamat: Pater fine me ambulare, puto me benè posse incedere; atque à patre dimissus cunctis stupentibus non ambulare duntaxat, sed saltitare cœpit. Quamvis autem certò non constiterit fuisse maleficiô affe-

affectum, continuæ tamen, eæque diversæ ac incognitæ ægritudines, aliis remediis incurabiles, id satis probabiliter suaserunt.

Quare si Exorcista ad curandum puerum maleficiatum, aut omninò energumenum evocatus, deprehenderit eum hoc fortissimo clypeo contra dæmones non esse armatum, hoc Sacramento roborari faciat, & diaboli vires debilitatas, imò devictas videbit.

De SS. Eucharistia. N. 147.

Circa SS. Eucharistiæ Sacramentum energumenis distribuendum variant Authores Scholastici; aliqui enim post Alensem p. 4. q. 11. n. 2. a 3. D. Thomam in 4. d. 9. q. un. a. 3. quæstiun. 5. ad 2. Armilla, Sylvest. distingunt inter eos, qui ob delicta possidentur à dæmone, & eos, qui ad majorem purgationem ex Dei permissione possidentur. Prioribus judicant esse denegandum, præsertim si frequenter in blasphemias, aliàque peccata incidant. Posterioribus verò concedendam putant. Econtra verò noster Doctor subtilis in 4. d. 8. q. 3. Hiquæus, Bosco Theolgiæ Sacramentalis p. 2. disp. 4. sect. 8. concluf. 5. n. 60. aliique putant, omnes energumenos priùs dispositos frequenter sacra Synaxi reficiendos. Quæ posterior sententia, utpote & pietati, Authoritati & rationi longè conformior.

Probat. 1. Authoritate Consilii Arausi. 1. c. 14. ubi ait: *Energumeni jam baptizati, si*

de purgatione sua curent, & se solicitudini Clericorum tradant, monitisq; obtemperent, omnimodè cõmunicent, sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior. Item Authoritate Abbatis Sereni apud Cassianum collat. 7. c. 30. ubi de arreptitiis loquens ait: *Cõmunionem eis SS. à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam: quinimò, si possibile esset, etiam quotidie eis impertire eam debere, censebant, quæ ab hoste percepta, eum, qui in membris ejus insidet, spiritum, seu eis corpore latitare cognoscitur velut quoddam exurens fugat incendium. Hoc enim modo curatum Abbatem Andronicum nuper aspeximus insultabat offenso, cùm eum à cœlesti medicina viderat segregatum.* Sic & alii passim.

Probatur 2. Ex uberrimis fructibus & effectibus hujus SS. Sacramenti, dæmonibus è diametro oppositis. Etenim, ùt optimè discurrit Catechismus Romanus jussu Concilii Trit. editus p. 2. c. 4. q. 39. Si bonorum omnium copiam & affluentiam aliqua ex parte assequi velimus, id fiet, si Eucharistiam fonti, cætera Sacramenta rivulis comparaverimus; verè enim, ac necessariò fons omnium gratiarum dicenda est, cùm fontem ipsum cælestium charismatum, & donorum, omnium Sacramentorum Authorem Christum Dominum admirabili modo in se contineat, à quo tanquam à fonte ad alia Sacramenta, quidquid boni, & perfectio-

fectionis habent, derivatur. Hæc Catechismus.

N. 148.

Primus ergo & præcipuus Eucharistiæ effectus est nutritio & confortatio animæ, & augmentatio in vita spirituali, ut ita confortati omnibus inimicis resistere valeant, ùt constat ex Florent. & Trid. sess. 13. c. 2. ubi dicitur: *sumi hoc Sacramentum tanquam spiritualem animarum cibum, quo aluntur, & confortantur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Non autem mirum, si energumenus ita nutritus & confortatus faciliter diabolicis resistat suggestionibus, eisque terribilis fiat. Unde S. Chrysost. Hom. 61. ad populum Antioch. *tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles.*

Secundus effectus est liberatio à venialibus & præservatio à mortalibus, velut iterum declarat Trident. l. c. ubi hoc Sacramentum vocat *antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservamur.* Non aliter autem à mortalibus præservat, quàm roborando vires spirituales, extinguendo fomitem, & præbendo auxilia adversùs hostes diabolicos juxta illud Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos, qui tribulant me.*

Tertius effectus est remissio pœnæ peccatis debitæ ex D. Thoma art. 5. & communi Theologorum; quòd licèt non præstet directè, cùm non sit instituta ad satisfaciendum

dum pro peccatis, præstat nihilominus indirectè, in quantùm excitat fervorem charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum: Porrò remissâ pœnâ etiam supplicium à Deo remitti, in confesso est.

Denique ut plures alios taceam effectus uberrimos à Patribus & Theologis passim fusè explicatos, solius Cyrilli 4. in Joan. 17. verba sufficiant: *non mortem solùm*, ait, *sed & morbos omnes depellit, sedat sævientem membrorum nostrorum legẽ, pietatem corroborat, perturbationes omnes extingit.* Quis autem magis perturbatus, quàm miser energumenus? quis plures sentit dolores? quis magis sævientem memborum legẽ experitur? indiget ergò hoc SS. Antidoto, quòd omnia curat, omnia tollit. Et fateor me certâ & longâ experientia doctum advertisse, quòd si dæmon sæviens omnem suprà miseram personam quasi dominatum habuit, ita, ut miserrimè illam divexaret, mox ad sumptionem hujus SS. Sacramenti omne perdidisse dominium, amisisse vires, & non tantùm Exorcistæ, sed etiam ipsi personæ mi-
N. seræ fuisse subjectum. Sed
149. Dices: qui vult dignè SS. hoc recipere Sacramentum, debet se ipsum probare, ut dignè ex illo pane manducet, sed hoc non possunt facere energumeni, utpote ordinariè non habentes usum rationis: ergò. *Secundò* est ordinariè morale periculum, ne hostia irreverenter tractetur lacerando, spuen-

spuendo, prolabendo ergo &c. *Tertiò* sunt energumeni sæpè ita obstinati, ut nec fidem profiteri, nec os aperire, aut SS. Sacramentum aspicere velint, imò blasphemant illud: ergo sunt indigni.

℟. *ad* 1. Licèt enim energumeni sæpè careant usu rationis, nec spiritualia possint percipere: hoc nihilominus ex sola provenit negligentia Exorcistarum non disponentium ejusmodi personas, nec præceptô lenitivo compescentium dæmonem: quòd si enim verâ fiduciâ præciperent dæmoni, ne phantasiam perturbando à digna susceptione hjus SS. Sacramenti impediat, usus rationis nunquam foret sublatus. Quinimò licèt debilem habeant rationis usum; quia nihilominus eodem non sunt plenè privati, sufficienter se disponere possunt. *Ad* 2. negatur ant. licèt enim id quandoq; apud personam omnimodè indispositam contigerit, reverà tamen casus est rarus, imò rarissimus: nec credendum diabolos ullam habere potestatem Christum immediatè & per se inhonorandi, aut species Eucharisticas dilacerandi; quamvis personam ad id faciendum instigare, ac tentare queant. *Ad* 3. neg. Cons. hoc enim ex odio diaboli metuentis judicem suum Christum Dominum provenit: constat autem ex regula 22. juris in 6. quòd *non debeat aliquis alterius odio prægravari.* N. 150.

Quòd si autem coram Sacerdote SS. Sacramentum in manibus tenente dæmon

per

personæ energumenæ collum intorqueat, nec os aperire sinat, is non debet Sanctissimum super caput ejus tenere, aut aliter ejus corpori admovere, ob irreverentiæ periculum, ùt loquitur Rituale Frisingense de exorcizandis obsessis à dæmonio, sed in SS. Nomine JEsu sub silentio præcipere, ut mox nocere desinat. Sed

N.

151. Quæres 1. An nunquam liceat SS. Eucharistiæ Sacramentum in Monstrantia v.g. repositum tenere super caput personæ exorcizandæ? R. id fecisse D. Bernardum, ùt legere est lib. 2. ejus vitæ cap. 3. Et habet P. Delrio disquisit. mag. lib. 6. c. 3. q. 3. Similiter Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii adducta fuit ad S. Bernardum mulier multis annis obsessa, sicque deformata, ut monstrum, non fœmina videretur: conversus ille ad populum, jussit omnes devotiùs orare, Missámq; fœminâ juxta Altare retentâ est auspicatus. Quoties verò de more sacram hostiam signabat, toties ad mulierem quoque conversus eodem signo crucis spiritum nequam Athleta fortis impugnabat. Expleta autẽ oratione dominica efficaciùs hostem aggreditur; Patenæ siquidem Calicis Sacrum Domini Corpus imponens talia loquebatur: *Adest ille, qui pro nostra salute passus: nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras. Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite Crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte*

morte surrexit, quod videntibus Discipulis ascendit in cælum In hujus ergò majestatis terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio, ut ab hac ancilla Dei egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Cúmque eam invitus deserens, & manere ultrà non valens attrociùs afflictaret, tam magnam curam, quàm modicum tempus habens, rediens Pater sanctus ad Altare, fractione Hostiæ salutaris ritè complevit, diffundendámque populo pacem Ministro dedit, & confestim pax & salus integra est reddita mulieri. Hæc P. Delrio l. c. Ex quo videas S. Patrem SS. Eucharistiam usurpâsse, imò super caput energumeni tenuisse, ut hospitem malignum expelleret: nemo enim fortior, nemo dæmoni terribilior, quàm ipse Christus Dominus, qui moriens in Cruce principem hujus mundi ejecit foras; nemo potentior illo, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, in cujus nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Neque obstat Rituale Frisingense prohibens, ne SS. Eucharistiæ Sacramentum super caput energumeni teneatur, aut aliter ejus corpori admoveatur: solum enim allegat irreverentiæ periculum: si ergo ita sollicitè admoveatur, ut periculum præcaveatur, tota videtur cessare prohibitio. Vel dic, si Exorcismus ob indispositionem energumeni fiat longior cum magnis motibus, clamoribus & tumultibus fore decentius SS.

Eucha-

Eucharistiam non tenere super caput energumeni, licèt optimè fiat; si priùs cum Sanctissimo illi Sacra impertiatur benedictio. Econtra si omnia fiant quietè, atque respectivè sine omni commotione draconis infernalis, & consequenter absit omne periculum irreverentiæ, posse ad exemplum D. Bernardi reverenter teneri super caput obsessi.

N. 152. Quæres 2. An liceat energumeno præsertim in articulo mortis constituto, & nolenti profiteri fidem, præbere SS. Eucharistiam? R. Casum istum à P. Gobat tract 4. Theol. experim. n. 146. proponi & affirmativè resolvi, ex ratione, quia *non debet aliquis alterius odio prægravari*, ut habet Reg. 22. in 6. suprà citata; quòd verò talis fidem profiteri nolit, ex odio diaboli provenit: ergò. Quamvis autem tum resolutio, tum ratio data displicere nequeat, longè tamen meliùs, & decentiùs Pastorem talem acturum credo, si prævie sua potestate usus gladiò præcepti in nomine JEsu facti dæmonem compescat, ut liberè sinat personam energumenam profiteri fidem, atque judicem suum adorare præsentem. Neque de effectu dubitet: dæmon enim ad præsentiam Christi tremebundus facillimè compesci poterit.

Denique si exempla desideras vim & efficaciam hujus Sacramenti contra dæmones demonstrantia, P. Delrio loco citato, Brognolum, aliósque consule.

De

De Sarificio Missæ.

SIcut Eucharistia quà Sacramentum à vero Sacrificio quoad rem separari non potest, ita nec quoad effectus uberrimos separari debet; etenim incruentum Missæ Sacrificium maximæ contra dæmones esse efficaciæ, & authoritas, & ratio suadet. Vir tribunitius (inquit D. Aug. lib. 22. de civit. cap. 8.) Hesperius; qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum: ubi cùm afflictione animalium, & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbiteros, ut aliquis illorum eò pergeret, cujus orationibus cederent; perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessavit. Hæc Sanctus. N. 153.

Nec ratio deficit; nam, ut optimè agnoscit Catechismus Romanus p. 2. q. 60. unum & idem Sacrificium est, & haberi debet, quod in Missa peragitur, & quod in cruce oblatum est: quemadmodum una est, & eadem hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui se ipsum in Ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit, neque enim cruenta, & incruenta hostia, duæ sunt hostiæ, sed una tantùm. Similiter unus & idem Sacerdos est, Christus Dominus;

nam Ministri, qui Sacrificium faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, cùm ejus Corpus, & Sanguinem conficiunt. Quodsi ergò dæmon in Sacrificio Crucis victus, ligatus, & foras ejectus fuit, ejicietur pariter per Sacrificium incruentum: nam eadem causa eundem producit effectum. Quare non immeritò Angelici Doctoris in cap. 6. Joannis sect. 6. fert sententia; *Quidquid est effectus Dominicæ Passionis, est effectus hujus sacrificii: continet enim in se Christum passum.* Quidquid meritorum Redemptor noster universô Sanguinis sui pretiô comparavit, id omne Sacrificii ejusdem beneficiô applicari nobis voluit, atque impendi; comparavit autem nobis pretiô Sanguinis sui, ut victores & triumphatores dæmonum eos ex corporibus humanis ejiciamus: ergo meritò dicendum hunc nobis effectum Sacrificii ejusdem beneficio applicari.

Si quis autem triumphum, & victoriam Servatoris nostri in cruce adversùs diabolum reportatam desiderat, Mysticam Civitatem Dei Mariæ de JEsu p. 2. lib. 6. cap. 33. à num. 1412. consulat, ubi tam energicè descriptam videbit, ut mecum totum illud Caput omnibus personis energumenis ad majorem earum consolationem, & fiduciam aquirendam, prælegi exoptet.

De Pœnitentia.

AD quartam Stellam mysticam energumenos illuminantem, & mirè confortantem pervenimus diluciandam, scilicet ad Pœnitentiam, cujus virtute & efficacia, quantùm infernalis hostis terreatur, quantúmque vires ejus debilitentur, nemo satis explicare potest. Nam dæmonis super hominem potestas ex dictis c. 2. potissimùm ex diffidentia, luxuria, iracundia, cæterisque vitiis ortum trahit: sublatis ergò vitiis non dubium, quin & potestas dæmonica sit sublata: destructô enim fundamentô, totum destrui ædificium necesse est. Neque facilè dæmon ex corpore expellitur, nisi priùs ab anima sit expulsus; licèt enim ex dictis cap. 3. absolutè non requiratur status gratiæ ad dæmonem expellendum, reverà tamen difficillimum est ad veram, & roboratam pervenire fiduciam, si anima priùs non sit à vitiis expurgata: *Fiducia enim in Deum de conscientiæ puritate creditur emanare*, ùt optimè loquitur Cassianus Lib. collat. cap. 33. collat. 6. N. 154.

Suffragantur pariter exempla luce meridiana clariùs hujus Stellæ influxum, vim, & efficaciam contra dæmones demonstrantia, de quibus videatur P. Delrio lib. 6. disq. mag. cap. 2. q. 3. sect. 3. nos recentiora consideremus. Primum habet P. Brognolus in arte exorcistica omnium facilè primus, in N. 155.

manuali Exorcistarum p. 3. cap. 1. a. 3. n. 574. annô reparatæ salutis 1649. ad se accessisse hominem annos natum 45. duplici maleficio amoris scilicet, & odii affectum; amoris erga mulierem meretricem, odii erga propriam uxorem, quàm ita ægrè ferebat, ut cum illa familiariter conversari nequiret. Sentiebat pariter quemdam, quasi bolum in stomacho, à quo mirè afflictabatur. Accessit ergo P. Brognolum, eique totam suam miseriam fideliter aperuit. Jubet ille conscientia per Sacramentalem expurgare confessionem, formátque præceptum expulsivum, & una cum bolo ex stomacho etiam odium uxoris propriæ, & amor mulieris meretricis evanuit. En! quam facilè remedium.

Aliud refert idem laudatissimus Author p. 2. manual. cap. 4. a. 1. n. 534. de quodam Sacerdote Theologo; qui à dæmone ob sceleratam vitam possessus, & miserè secundùm propria demerita vexatus est; dæmon enim velut mus per corporis membra, nunc adhanc, nunc ad illam partem discurrebat; modò in toto corpore tremorem magnum, modò sudorem irriguum, & aliquando in ventre efficiendo rumorem, sæpè quasi loquendo in auribus ejus, sæpe capitis temperamenta ita constringendo, ut dolores intensissimos sustinere cogeretur. Jubet Author laudatus probatione facta, ut Confessione generali peccatorum suorum depo-

depoſita, ipſemet reatum pœnæ per orationes, jejunia, aliáque opera ſatisfactoria deleret: Et ecce! Sacerdos ita in fide,& fiducia per pœnitentiam eſt roboratus, ut dæmonem per præceptum in SS. Nomine JEſu factum compeſceret, atque omni fere dæmoniaca vexatione extincta absque ulteriori adhibito remedio, ad proprios lares lætus, & hilaris reverteretur.

Quare, ſi Exorciſta ex corpore energumeni dæmonem expellere velit, eundem priùs ad veram pœnitentiam diſponat, atque frequentem conſulat confeſſionem, & deteſtationem peccatorum ſuorum. Et ſi fortè in Confeſſionali guttur adſtringatur, vel aliàs à loquela impediatur, præceptô lenitivô adjuvetur. N. 156.

Cæterum, licet pariter tria reliqua Sacramenta, videlicet Ordo, Extrema Unctio, & Matrimonium, ceu tres Stellæ prælucidæ energumenos illuminare, ac in fiducia roborare valeant, quia nihilominus generaliter omnibus applicabilia non ſunt, ſtudiosè intermittuntur.

Quæſtio ſecunda.

Quantæ efficaciæ ſint Sacramentalia ab Eccleſia inſtituta contra dæmones;

ADvert. Sacramentalia ſtrictè ſumpta eſſe ritus, ſive actiones Religioſas ad decentem ac devotam Sacramentorum N. 157.

torum administrationem ab Ecclesia institutas: quales sunt trina affusio aquæ in Baptismo, formatio Crucis super Pœnitentem absolvendum, Benedictio nuptialis in Matrimonio &c. Econtra latiùs & communiter sumpta sunt Ceremoniæ Ecclesiasticæ, seu actus externi Religionis ad colendum DEum accomodati, & communiter à Theologis hoc versiculo contenta explicantur:

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Etsi autem Sacramentalium cum Sacramentis non sit eadem dignitas, par usus, & similis efficacia, in tribus nihilominus ad illa suô modô accedere videntur, videlicet, *primò*, quòd omnia sint sacra, & ad Sanctificationem ordinata. *Secundò*, quòd sint remedia contra peccata, saltem indirectè, in quantum pium motum excitant, quo remittuntur venialia. *Tertiò*, sicut Sacramenta non administrantur in persona propria, sed in persona Christi, ita Sacramentalia administrantur nomine Ecclesiæ instituentis Sacramentalia. Differunt etiam plurimum à Sacramentis: non enim causant suum effectum ex opere operato, & ita infallibiliter, sicut Sacramenta, sed duntaxat ex opere operantis, ùt docet communis fermè Theologorum contra Ledesmam, Sotum, Valent. & paucos alios. Ratio est, quia talia non sunt instituta à Deo, sed ab Ecclesia, quæ non habet potestatem ejusmodi actioni dandi vim infal-

infallibilem causandi talem effectum. Unde firmiter & certò credentes, aliquam herbam, oleum &c. Benedictum, infallibiliter, etiam sine omni motu pio, & opere operantis, dæmonem expulsurum, plurimùm aberrant, & ab aliquibus inter superstitiosos reputantur. Ratio est, quia infallibilis effectus non potest sperari à Deo, utpote nuspiam promittente. Neque ab Ecclesia, utpote non habente potestatem dandi effectum infallibilem: Ergò cum non supersit alia causa, infallibilem dans effectum, quàm dæmon ipse, ab illo infallibilis speratur effectus, quod certò superstitiosum est.

Cæterùm, licèt Sacramentalia infallibilem non habeant effectum, magnam tamen contra dæmones habere vim, & efficaciam, ratio tum in-tum extrinseca suadet, prout in sequentibus declarabitur. Quare agendo seorsum de singulis sit divisio prima

De Cruce.

SAnctam crucem tum manu formatam, tum sculptam, vel pictam, & apud se gestatam magnam habere vim contra omnes diaboli machinationes, ex ratione intrinseca, simul & extrinseca luculenter constat. Ordiamur à ratione intrinseca. 1. Signum crucis tacitam continet invocationem totius SS. Trinit. per meritum Passionis Christi: sicut enim voce, sic gestu DEum invocare, & mentem nostram exprimere N. 185.

possumus. 2. Continet totius Christianæ Religionis compendiariam professionem: Significatur enim Unitas Essentiæ, & Trinitas Personarum: item processio Filii à Patre, & processio Spiritus S. ab utroque; item Filium pro nobis in cruce mortuum redemisse nos à servitute peccati: promittit autem veritas æterna Matth. 10. v. 32. *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* 3. Crux est instrumentum, quo Christus diabolum vicit, & triumphavit, *delens*, ùt ait Apostolus ad Col. c 2. *Quod adversus nos erat, Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci: Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* 4. Denique signum crucis diabolo memoriam ingerit probri, & ignominiæ, quam per crucem accepit, & timorem virtutis Christi: non ergò mirum, crucem esse omnibus diabolicis spectris terribilem, hominibus autem, præsertim à diabolo vexatis, summè salutarem.

Ratio pariter extrinseca efficacia. S. Crucis contrà diabolos demonstrans, est maxima. De ea quippe scribunt, suaque dicta exemplis confirmant D. Chrysost. hom. 8. in Ep. ad Col. Lactant. lib. 4. c. 47. S. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 7. aliique passim. De S. Eligio Noviomense refert S. Audoënus ejus æqualis, dictum Sanctum suos edocere fuisse solitum his verbis: *Christianis nec auguria, nec alia*

alia figmenta possunt efficere: quia ubi signum Crucis cum timore, & fide Dei præcesserit, nihil ibi inimicus nocere poterit. S. Antonius Abbas hîsce dæmonibus sibi sub diversis formis apparentibus insultabat verbis: *Si quid potestis, cur me non offenditis? Si unus ex vobis me offendere potest, cur innumerabiles concurritis? Signum crucis, & fides pariter formidabilis & horribilis vobis est.*

Quinimò non Patres duntaxat, sed dæmones ipsi hanc veritatem fatentur: Sic enim à S. Patapio expulsi clamabant: *Verè terribilis es, ô Nazarene, verè terribilis es, & ubique in omnes obtines imperium. Quò ergo proficiscar? si in desertum, si in Civitatem, si ubicunque duxerit aliquis, tu illic prævenis, solâ Crucis figurâ, solo tuo Nomine expellens.* Sic Cypriano prius mago, postea Martyri Christi, respondet dæmon, se Justinam Virginem ad amorem cujusdam Juvenis allicere non potuisse, quia terribile Nazareni signum vidit, ùt refert S. Gregorius Naz. Oratione in Cyprianum.

Sed audiamus totam Historiam de S. Justina & Cypriano ab ipso S. Gregorio l. c. Metaphraste, Lacharia Lipeloo ad 26. diem Septembris, & aliis passim conscriptam; plurimum enim ad fidem & fiduciam, & ad cultum S. Crucis promovendum conducit. Erat Antiochiæ, litterarum Candidatus quidam, Aglaidas nomine, patritio genere natus, & opibû præstans, qui visa Justinæ pulchritudine tanto illius amore accẽsus est, ut N. 159.

nihil non moliretur, quo cupitis ejus amplexibus frui posset: cúmque constantem Virginis animum neque promissis, neque effæminatis blanditiis expugnare posset, tandem Cyprianum in arte magica instructissimum convenit, cum ingentibus promissis, si Virginis animus impuri amoris facibus inflammaret. Is verò supercilio eruditionis, & scientiæ suæ elatus, spopondit, se mox, quidquid vellet, effecturum, Virginémque eâ amoris vehementiâ incensurum, ut ultrò etiam amplexus concupisceret. Nec mora: Cyprianus evocatô ex malignis spiritibus unô, quem promptè & alacriter ad hæc flagitia opem ferre noverat, exponit, quid fieri velit. Ille eum sine cura esse jubet; tradit vasculum pestiferô succô plenum; mandat, ut eo Virginis aspergat domum; & nisi omnia secundùm vota succedant, se de cætero diſpiciendum, & pro nullo habendum, pronuntiat. Paret Cyprianus, facitque singula ex mandato Magistri; aspergit domum, adhibet nefanda carmina. Quid Justina? sentit insultum, præter voluntatem miratur insolitam libidinis vehementiam, sed non desperat, quin plena verâ fiduciâ precibus, aliisque spiritualibus undique cincta, signô S. Crucis diabolum in fugam convertit. Ille ad Cyprianum reversus, cùm se victum erubesceret, variis anfractibus se circumagebat. Verùm, cùm à Cypriano urgeretur, *Vidi*, inquit, *quoddam signum, quod vehementer*

ter horrui, neque ullô modô vires illius sustinere potui. Priori ergò ceu debili sic fugato, mox alius priore ad agendum longè peritior accersitur dæmon: qui tamen similibus armis se cum dedecore victum, & triumphatum coram Cypriano ingemuit. Demum ipsemet dæmonum Princeps, acre suis minitans supplicium, accessit, Cyprianúmque solatus, haud dubiam ei de Virgine spopondit victoriam. Is ergò nova fraude, novaque calliditate instructus, sumptô muliebrî habitu, magno sub prætextu pietatis Virginem adiit: simulans se eodem virginitatis desiderio inflammatam, scire cupere, qua ratione hostiles insidias evitare posset. Cúmque Virgo multa eximiæ pietatis documenta proferret, dæmon humana specie tectus, inter verba simulatam pietatem redolentia ad Matrimonii dignitatem tanquam tutiorem salutis viam sermonem convertit, ac validô argumentô, carnalem copulam Deo magis, quàm virginitatis votum, gratam esse contendit. Horret Virgo, & dæmonis insidias pertimescens, surgit, ac Crucis trophæô se de more consignans, mox dæmonem, Virginem sibi similem existimatam, evanuisse conspicit.

Quare victus etiam orci Princeps, ne victus videretur, formam Virginis assumit, eámque Juveni apud Cyprianum præsentiam ejusdem præstolanti, præsentat: inflammatus ergo Juvenis nimiô amoris incen-

cendiô Virginis in amplexum ruit: sed ecce! nescio quo Numine perterrefactus dæmon evanescit subitò, & ita suam fallaciam prodit. Sed adjuratus denuò per Cyprianum, cur Virginem ipsam non adduxisset? *Jura*, inquit dæmon Cyprianо, *per thronum meum, quodsi veritatem fassus, me derelinquere nolis*: Cui cùm juraſſet, respondendo dixit: *Scito me vidisse terribile Nazareni signum, cujus virtute illicò in fugam conversus sum. Ergo fortior te*, replicat Cyprianus, *est Nazarenus? fortius te unicum ejus signum?* Quanta ergo dementia tam debilem sequi Dominum: sequar ergó te relicto Nazarenum, ejúsque me servitiis mancipabo. Quod & factum; nam postea etiam herolcum pro Christo subivit Martyrium.

En modò, quam terribile dæmonibus sit crucis signum! sæpè ergò illud Exorcistæ in maleficiis solvendis, & dæmonibus expellendis efforment, prout in Rituali Romano, & SS. ordinatur Canonibus: imò ipsasmet personas maleficiô infectas edoceant: *Hoc enim signô conspectô*, ait S. Ephrem Syrus in sermone de sancta & vivifica cruce, *adversariæ potestates conterritæ, trementésque recedunt*. Præsertim autem, si quæ persona actualiter in aliqua corporis parte vexetur, hoc signum crucis in parte illa formatum, & cum præcepto lenitivo, vel expulsivo conjunctum, certissimum habet effectum, ùt experientia multiplex comprobavit, & ego pluribus exemplis comprobare

De

possem.

De aqua Benedicta.

AQuam ab Episcopo, vel alio sacerdote benedictam, miram contra dæmones habere vim, & efficaciam communissima est Doctorum omnium sententia, atque luculenter constat ex Can. *Aquam sale conspersam* de consecrat. dist. 3. ubi Alexander V. ad finem ait: *Insidias diaboli avertit, & à phantasmatum versutiis homines defendit.* Provenit autem effectus ille potissimum ex duplici ratione, videlicet *primò* ex precibus Ecclesiæ, cujus nomine sacerdos aquam benedicens precatur, *ut effugiat, atque discedat à loco, in quo aspersum fuerit sal, omnis phantasia, & nequitia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus imundus, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici &c. ad abigendos dæmones, morbósque pellendos.* *Secundò* etiam provenit ex ipsa ratione significandi; quia per aquam, ut ait Glossa in Can. cit. confessio, per salem amaritudo signatur, & morsio; unde hæc est mistura, ex qua geminus procedit partus, divisio scilicet delictorum, & ortus virtutum, atque bonorum operum. Similiter aqua benedicta sanctificat, & confortat hominem ad resistendum diabolo: *Si enim,* ait Pontifex l. c. *cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, quantò magis aqua sale aspersa, Divinisque precibus sacrata populum sanctificat, & mundat - - & insidias diaboli avertit.* N. 160.

Est

N. 161. Est autem aqua benedicta duplex, una baptismalis in Vigilia Paschæ, & Pentecostes consecrari solita: altera lustralis, singulis Dominicis initiô primi sacri consecrata, specialiter ad dæmonis impetum reprimendum, & alia pericula avertenda. De prima testantur Constitutiones Synodales Constantienses p. 1. t. 6. n. 14. eam licitè adhiberi ad depellendas diabolicas nequitias, prout suprà jam dictum est. Atque eam specialiter etiam hunc in finem benedici, satis constat ex Benedictione fontis in Sabbatho Sancto, ubi hæc continentur verba: *Procul ergò hinc, jubente Te Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat, nihil hìc loci habeat contrariæ virtutis admixtio, non insidiando circumvolet, non latendo subrepat, non inficiendo corrumpat.* Quòd si in contrarium objicias Decretum Concilii Moguntini superiùs allegatum: Respondent, illud Concilium non fuisse generale, sed tantùm Provinciale, sicque non omnes, sed tantùm illam Provinciam, suppositô, quòd ibidem adhuc in usu existat, obligare. Ad duo tamen specialiter Parochi advertant, *1mò* ut, ubi etiam est in usu talis applicatio, cautè & circumspectè distribuant, ne forsan talibus largiantur, qui ad superstitiosa abutuntur. *2dò* ut, si Reverendissimi Ordinarii expressè interdicerent, omninò abstineant.

N. 162. De aqua lustrali reverenter applicata procedunt non tantùm dicta numero 160. sed

sed ejusdem vim & efficaciam innumera testantur exempla, fusè apud P. Delrio disq. mag. lib. 6. cap. 2. sect. 3. q. 3. videnda. Sapiens ergò Exorcista hoc remedium sæpiùs usurpabit exemplo S. Gregorii Magni Mònasterium ab infestationibus diabolicis liberantis, B. Macarii, Theodori, aliorúmque à P. Delrio relatorum.

De Formis cereis, seu Agnis Dei.

AGnus Dei est cera alba à Papa benedicta; & nominatur Agnus Dei à figura agni illi impressa: atque magnam habere vim, & efficaciam contra omnia diabolica spectra provenit *tum* ex precibus Romani Pontificis summi in terris Christi Vicarii die S. Paraseeves primô, & septimô sui Pontificatûs annô, cum solemni ritu consecrantis, atque inter alia precantis liberationem ab omnibus periculis, astutiis, ac dæmonum fraudibus, ut crucis virtute in istis formis insculptæ terrore corripiantur, & territi aufugere compellantur. Sicut pleniùs in Pontificali Romano continetur. *Tum* ex ratione sua significandi; etenim cereus ille Agnus Dei significat Agnum illum immaculatum, qui tollit peccata mundi. Cera significat ejus humanitatem, ceræ admixtum oleum, seu Chrisma, significat Dominum esse plenum misericordia: Cùm ergò dæmonis conspectui objicitur cereus ille Agnus Dei pro nobis in ara crucis oblatus, N. 163.

latus, plenus pietate, & misericordia repræsentatur, quem victorem, & triumphatorem suum non ignorat. Sicut ergò diabolus horret, & fugit Agnum illum immaculatum, ceu victorem, & triumphatorem suum, ita horret cereum illum agnum Dei repræsentantem verum Agnum Dei pro nobis in ara crucis oblatum; cujus exempla complura vide apud Delrio l. sæpe citato.

N. 164. Interim praxis illa complurium imperitorum liquefacientium cereos agnos Dei à summo Pontifice consecratos cum alia cera, ut ita illos multiplicare, atque pluribus distribuere valeant, illicita est, ùt docet P. Gobat in Theologia Experiment. Tract. 3. n. 332. La Croix lib. 6. p. 1. de Sacramentis n. 226. Ratio est, quia illa liquefactio ceræ est contra mentem Pontificum, qui consecrationem omnem ejusmodi ceræ sibi videntur reservâsse. Similiter Gregorius XIII. sub pœna excommunicationis prohibuit, ne Agni DEI inaurentur, aut ullo colore pingantur, ut apud La Croix l. c. n. 223. refert Azorius p. 1. lib. 9. cap. 9.

De Reliquiis Sanctorum.

N. 175. DE his saluberrimum dans consilium Rituale Frisingense de exorcizandis obsessis à dæmonio §. 7. n. 5. ait: *Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possunt, decenter, ac tutò colligatæ, & coopertæ, ad pectus*

pectus vel ad caput obsessi reverenter admoveantur: Sed caveatur, ne res sacræ indignè tractentur, aut illis à dæmone ulla fiat injuria. Et optimè, nam ùt ait Trid. sess. 25. de invocat. Sanctor. Reliquiæ illæ, *viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritûs S. & ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda.* Si ergo decenter admoveantur, atque ita cum vera fiducia invocentur, non deserent invocantes, ut sint habitaculum spirituum malignorum, cùm esse deberent habitaculum Spiritûs Sancti.

Certè Sancti in cœlo cum Christo regnantes, Fratres nostri sunt, eundem habentes, & adorantes Patrem æternum: sunt membra Corporis Christi, cujus pariter & nos membra sumus. Frater autem non deserit fratrẽ suum, & *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra,* ait Apostolus 1. ad Corinth. c. 12. v. 26.

Quare meritò præsumendum, quòd si Exorcista decenter Reliquias Sanctorum pectori energumeni admoverit, vel super caput ejus tenuerit, per intercessionem Sanctorum illorum dæmonem expellendum. Sic enim quot annis ad D. Philippi Apostoli sepulchrum in Sicilia plurimos energumenos liberari, adeò, ut anno 1541. plusquam ducentæ fœminæ hujusmodi sint numeratæ, testatur Thomas Fasellus lib. 10. de rebus siculis cap. 2. Sic ad B. Didaci nostri

Corpus ab obsessis corporibus dæmones expelli, testatur Breviarium. Sic etiam dæmones summè horrere Reliquas B. Andreæ de Comitibus, nec cryptam, ubi sanctam ducebat vitam, velle ingredi, testatur Author vitæ ejus novissimè conscriptæ, & in lucem datæ. Sic denique innumera alia testantur exempla, dæmones ad devotam Reliquiarum Sanctarum admotionem fugisse, prout plura refert P. Delrio l. c.

166. Notanter nihilominus addit Rituale Fabingense, *ut caveatur, ne res sacræ indigne tractentur.* Quare, ùt notat La Croix l. 3. p. 1. n. 22. Loth. in resolut. Theol. Tract. 14. a. 3. ex Gavanto, S. Congregatio Episcoporum, & Regularium declaravit, Reliquias Sanctorum non posse radi, ut rasæ dentur infirmis in potum. Ratio hujus prohibitionis forsan esse potest periculum irreverentiæ, ne nimirum tanquam ossa non transeant in substantiam aliti, sed potiùs iterum *s. v.* per secessum emittantur. Porrò propter allegatum decretum nec approbare possum praxin eorum, qui reliquias Sanctorum priùs in cineres redactas pani S. Nicolai Tolentini impinsunt, aut aliàs rebus comestibilibus commiscent: si enim nunquam liceat easdem infirmis in potum dare, neque licebit, licèt sint comixtæ pani, aut alteri rei. Dixi, tamen notanter: *Rebus comestibilibus*: nam si per accidens ob vetustatem suam quasi in cineres redigantur, non erit indecens, si ex illis

illis compactis quasi Agnus DEI conficiatur, velut sæpiùs confectum vidi; sic etenim cineres Sanctorum compacti commodiori modo cultui Fidelium exponuntur.

De Imaginibus Sanctorum. N.

SI Regis honoretur imago, honor Regi censetur exhibitus: si vilipendatur, omnis vilipensio in Regem ipsum redundat: Sic pariformiter, Si imago Sancti cujusdam reverenter super caput energumeni teneatur, aut pectori admoveatur, ipsemet Sanctus novo decoratur honore, eò quòd cultus imaginibus redditus ad Prototypon transeat: quinimò, quia Deus honoratur in Sanctis suis, honor Sancto exhibitus, etiam ultimariè in Deum transit: tantâ ergo dæmon ignominia afficitur, quantùm Deus in Sanctis suis honoratur, & glorificatur. Sunt præterea Sancti in cœlis cum Deo regnantes nostræ salutis soliciti, atque reverenter invocati suô patrociniô non desunt invocanti: fremit infernus, atque exitium minatur: intercedunt Sancti, atque sua intercessione omne bonum impetrant, de quibus illud, ùt in cœlis, sic in terris verissimum: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Fortes sunt, potentes sunt, dæmonibus adeò terribiles sunt, ut eorum imaginum aspectus sustinere non valentes, contremiscant ad præsentiam earum, prout certâ experientiâ compertum habetur. 167.

Sed non minùs Fidelibus summè profi-
cuus est cultus sacrarum imaginum; dum
enim Sanctos honorant, & Deum per me-
rita eorum deprecantur, illorum heroicos
actus imitantes, dæmonibus insultant, vili-
tatem, impotentiam exprobrant, atque ita
N. sibi penè subditos reddent.

168. Posset veritas ista innumeris confirmari
exemplis, quæ tamen ùt plurimùm nota
studiosè prætermitto, illo solò contentus,
quod oculis vidi, & auribus audivi. Sub
annum 1724. evocatus ad certam perso-
nam ita miseram, ut gravissimis doloribus
decumbens nec ambulare, nec comedere,
nec orare, verbô nihil fermè persolvere
posset; sed quasi delirans lecto affixa con-
tinuò jaceret. Probavi, an dolor esset ve-
rè naturalis, vel præternaturalis, & diabo-
licus; & formatô præceptô lenitivo cum
signo S. Crucis in parte vexata, mox dia-
bolum reperi eô usque incognitum laten-
tem, quamvis magna ejusdem suspicio ali-
quot jam annos fuerit concepta: subitò
enim dolor in parte illa vexata evanuit, li-
cèt ob diffidentiam, & pusillanimitatem
personæ tam miseræ post aliquot temporis
spatium denuò redierit: quare ut fidem
& fiduciam implantarem, & implantatam
adaugere possem, SS. Nomen JEsu in char-
ta prius benedicta conscripsi (meliùs feci-
sem, si totum conscripsissem præceptum se-
cundùm dicta superiùs cap. 1. q. 3.) atque
capi-

capiti superimposui: capite enim successivè serenato tantam concepit fiduciam, ut omne dominium super diabolum obtinuerit, sæpè Crucifixi imaginem arripiens diabolo vilitatem exprobraverit, & triumphum de eo in cruce reportatum objecerit. Nondum satis: Cruce manibus apprehensa conjuravit dæmonem, ut illicò se in infimam pedis plantam conferret, quo ibi animadverso, eundem in honorem Christi pro nobis crucifixi, & in contemptum diaboli, pedibus conculcavit, aliisq; affecit opprobriis. Tandem, quia revera optimè probata & in fide, ac fiducia instructa, dæmon per præceptum expulsivum facillimô negotiô expulsus fuit, ita, ut persona in hodiernum usque diem, DEI misericordiam, quam maximam experta fuerat, salva, & incolumis laudet, & magnificet.

Aliam novi personam, quæ arrepta imagine Beatissimæ Mariæ Virginis Oettinganæ, quam non aliter, quàm Matrem suam compellavit, dæmonem sibi ad amussim subjectum reddidit, & tandem feliciter curata est.

Plura in medium producere possem exempla, quæ nihilominus ea potissimum de causa prætermitto, quòd spe certa fretus vivam, quemlibet Exorcistam cordatè, & fiducialiter procedentem similima propriis oculis visurum, & re ipsa experturum.

N. 169. Unde autem oriatur, quòd dæmones quandoque piùs sacras imagines, vel Reliquias Sanctorum horreant, & timeant, quàm SS. Eucharistiæ Sacramentum, nullóque modo ad eas accedere velint, ratio unica esse videtur ipsa patientium fides, & fiducia: nam habita fide res etiam minima miros habet effectus, ubi res sacratissima in defectu fidei nihil operatur.

De Pane & Oleo Benedicto.

N. 170. PAnem & oleum Ecclesiastica Benedictione consecratum ob preces Ecclesiæ, atque Signum S. Crucis sæpè formatum, magnam contra dæmones habere vim, & efficaciam, nemo est, qui legens Ecclesticas historias ignorare possit: hoc enim usi sunt S. Parthenius, S. Theodosius Cœnobiarcha: B. Auxentius Archimandrita, aliique, quos fusè refert Delrio, Brognolus, & alii.

N. 171. Cavendi nihilominus sunt certi errores circa oleum benedictum. *Primò*, ne applicetur S. Chrysma, ubi id Ordinarii positivè prohibent. *Secundò*. ne Exorcista propriis manibus inungat mulieres, præsertim juvenculas, imò nec alias personas alterius sexûs, neque viros in partibus occultioribus, prout optimè notat P. Brognolus p. 1. c. 3. a. 5. q. 20. n. 318. tali enim modo astutissimus dæmon laqueos tendit Exorcistæ, ut incautum suam in nassam trahat. *De*

De Suffumigio Benedicto.

NIl moderno tempore usitatius, nil frequentius, quàm diversi generis suffumigia ex diversissimis herbis, lapidibus, & ossibus confecta, ita, ut quandoque ultra septuaginta diversi generis herbæ congregentur, & ex illis certus suffitus conficiatur.

Alii præter dictas herbas assumunt particulas ex ossibus Agni Paschalis, item putamina ovorum paschalium, denique ex omnibus per totum annum ab Ecclesia benedictis. Alii insuper assumunt particulas ex diversis cryptis SS. item Agnos Dei à S. Pontifice benedictos: quinimò assumunt quandoque etiam Reliquas SS. Si quæras, quid in tanta varietate sentiam? R. & N. 172.

Dico, suffumigia benè atque legitimè confecta bona sunt, habéntque mirabilem vim, & efficaciam contra dæmones, fagas, & maleficos, si ritè applicentur. Ita certa, & quotidiana experientiâ: sæpissime etiam per similia suffumigia à nostris PP. distributa tum homines, tum etiam bruta animalia maleficiata sunt pristinæ sanitati restituta, prout non tantùm nostri PP. Collectores, nostrique Janitores, sed & DD. Parochi certâ experientiâ edocti mihi retulerunt.

N. 173. Dixi tamen notanter 1. *Benè atque legitimè confecta.* Imprimis enim non video, cur tot diversi generis herbæ congregentur? & quidem sæpè sine verè gravi causa: vel enim tribuitur effectus expulsionis diabolicæ herbis ipsis, vel Benedictioni Sacerdotali? si herbis ipsis, prout plures autumnant, ipsis naturalem inesse vim contrariam dæmonibus, resistit noster Lyranus super lib. 1. Reg. cap. 16. resistit pariter noster Brognolus in suo Alexicon Disp. 2. de curatione naturali art 2. §. 4. n. 30. nam quòd directam non habeant vim fatentur omnes: quòd verò nec indirectam habeant, ex eo satis perspicuè colligitur, quòd dæmon à dispositionibus, quæ fortè tolluntur per similia suffumigia, neutiquam dependeat: consequenter sublatis etiam dispositionibus non sequitur expelli dæmonem: dæmon enim est causa libera possidens hominem non ob indispositiones naturales, sed ex permissione divina; quinimò, sicut dæmon similes excitavit humores, ita sublatos faciliter iterum excitare potest. Vide de hoc celeberrimum in hac arte Exorcistica Authorem l. c. Si dicas, illum effectum tribui Benedictioni Sacerdotali: mox subinferam: atqui herbæ paucæ collectæ eandem recipiunt benedictionem, quam plures coagulatæ: ergo eundem assequuntur effectum.

Insta-

Instabis adhuc, eandem virtutem completam nec tribui solis herbis, nec soli Benedictioni, sed utrisque simul: Et quidem herbis, partim ut dispositiones quasdam naturales malas, aut etiam aliquos effectus naturales malos post se relictos, occulta sua virtute naturali removeant: partim ut per easdem solvatur pactum forsan hisce ex justa Dei permissione alligatum, cujus solutio etiam per naturalia à Doctore subtili, & multis aliis Theologis approbatur: partim etiam, ut diabolus per has herbas, quarum aliquæ magna divina significant mysteria (uti Ruta vel myrrha Passionem Domini &c.) exinde à nocumentis cessare cogatur. Eô fermè modô, quo antecedenter in hoc ipso Armamentario N. 160. aquæ benedictæ commixtæ sali ex parte contra dæmones tribuebatur aliqua virtus propter mysticam significationem: quia nempe exinde divisio delictorum, & ortus virtutum, atque bonorum operum denotatur. Pariformiter sub N. 163. discurritur de ceris Papalibus vulgò Agnus DEI. Ipsi verò Benedictioni adscribitur vis aliqua moralis, ut diabolus exinde compulsus nocere desistat, & præterea coërceatur, ne ulteriores malas dispositiones, aut effectus malos etiam naturaliter introducat. 174.

Fateor, hanc esse satis prudentem excusationem, si omnia hic allegata verificentur. Ast hoc meritò displicet, quòd non rarò applicentur ad similem suffitum, quæ nec ex gravibus Authoribus, nec ex solidis rationibus sciuntur esse ordinata ad solvendum pactum, nec habere aliquam vim naturalem, seu mysticam contra dæmones, vel causatos ab ipsis malos effectus.

Quinimò adhibentur sæpiùs ad dictum suffitum herbæ non satis à Medicis, seu peritioribus examinatæ, num non sint nocivæ: Item alia, simul sordida, & fœtida, quibus nares obsessi, seu etiam maleficiati adimplentur, quæ potiùs sanitati obsunt, quàm prosunt; similes enim vapores in caput ascendunt, in eo gravitatem efficiunt, ac cum maximo ipsius patientis detrimento sua caliditate quandoque inflammationem progignunt, & humores frigidos confundendo epilepsiam, apoplexiam, convulsionem, & alios graves dolores possunt excitare, ùt docent Codrinus lib. 4. de morb. venefic. c. 6. Brognolus p. 1. Manual. c. 3. n. 320. & in suo Alexicon l. c. Et ego ipsemet aliorum instinctu similem suffitum ab ipsis maximè deprædicatum aliquando applicans experientiâ doctus fui.

Dices

Dices 1. Fumus Tobiaci piscis dæmonem expulit, ùt habetur Tobiæ cap. 6. ergo similiter etiam alius fumus virtute naturali dæmones expellere potest. 2. Si dæmones possunt agere in sensibilia, ea transmutando, sive per motum localem, sive per alterationé, applicando activa passivis, vel aliô modó? quidni etiam res sensibiles valeant saltem indirectè agere in dæmones, secundùm axioma Aristotelis 1. de generat. & corrupt. quòd agens in agendo repetitur: ergo. Respondet. ad 1. Lyranus noster in cap. Tobiæ v. 9. sequentibus verbis: *Circa quod sciendum, quòd si dæmones haberent corpora sibi naturaliter unita, sicut dixit Appuleius, quòd dæmones sint animalia corpora aërea, tempore æterna, animô passiva; non esset impossibile, quód res corporales in eis facerent impressionem ratione corporum: sed quia secundùm fidē nostram, & etiam Philosophorum doctrinam sunt substantiæ simpliciter intellectuales, jam nulla corporalis creatura potest in eis facere aliquam impressionem: propter quod fumus iste non expulit dæmonem, sed figuravit ejus expulsionem: quia, sicut dictum est. facta Angeli circa Tobiam fuerunt in multis figuralia: ideò fumus ille ex igne procedens significavit virtutem orationis Tobiæ junioris, & Saræ, cujus merito Angelus Raphael expulit dæmonem à Sara.* Suffragatur pariter Authoritas doctissimi Tostati quæst. 42. super 1. Reg. cap. 16. ubi ait: *De rebus naturalibus dicendum,* N. 175.

dum, quòd nulla res habeat efficaciam ad excludendum dæmonem, sive sit animal, sive res animata, herba, vel arbor, vel fumus alicujus rei, vel odor bonus, vel malus: quia in omnibus rebus naturalibus virtus agendi est ipsa qualitas - - istæ enim qualitates sunt accidentia corporum, nec quidem omnium, sed solùm elementorum: ideóque non possunt agere res per istas qualitates, nisi in elementa.

N. 176. Ad 2*dum* nego illatum: non enim omne agens in agendo repatitur, sed illud duntaxat, quod conditiones habet ad patiendum requisitas; atque ideò superaddit Toftatus cit. *Nonne vides, corpora cœlestia, quamquam corpora sunt, quia tamen non habent conditionem elementarem, non posse pati ab aliquo agente naturali? quomodo ergo dæmones, qui incorporei sunt, poterunt pati ab hujusmodi corporeis qualitatibus?* Ex quo

Inferes, curationes naturales morborum dæmoniacorum per certas herbas, vel certas reliquias hominum extremò supplicio affectarum frequenter à carnificibus, lictoribus, vel aliis similibus personis porrectas, aliquoties esse superstitiosas, cùm nullam habeant vim naturalem ad dæmones expellendos. Nec relevat communis excusatio, quòd similia antidota ab ipsis primæ classis maleficis, & sagis in tortura sint prodita: nam discipuli non censentur rece-

recedere à doctrina Magistri: cùm ergo Magister eorum ob inveteratum creaturarum odium non quærat aliud, quàm per nova maleficia creaturas pretioso Christi Domini sanguine redemptas seducere, suamque in nassam pertrahere, hac arte faciliter ceu licita persuadet, quæ mala, imo pessima sunt. Dixi, *aliquoties*, quia quandoque naturaliter possunt per certas herbas; aliáque solvere pacta maleficii, de quo vide partem secundam de solutione maleficiorum.

De Amuletis.

N. 177. AMuletum usum esse licitum, sanctúmque communis testatur opinio doctorum non minùs, quàm indoctorum: scribit enim Emanuel Costa apud P. Delrio lib. 6. disq. mag. cap. 2. sect. 3. q. 3. Hormutii hoc pacto dæmonem ex energumena expulsum. Cujus ratio est, quia Amuleta non sunt aliud, quàm congeries plurium publicè ab Ecclesia, vel privatim à Sacerdotibus benedictorum, quæ magnam habere vim contra dæmones, patet ex præcedentibus: Continent pariter Evangelium S. Joannis, quod maximam habere vim contra dæmones, patet ex facto S. Barnabæ, qui teste D. Thoma in cap. 1. Epist. ad Rom. infirmos supponendo Evangelium, sanabat. Pariter S. Antonius infestantem dæmo-

dæmonem verbis evangelicis membranulæ inscriptis, & in cubiculo ante B. Virginis imaginem affixis, depulit, apud Surium. Et antiquorum Christianorum mos fuit, Evangelium S. Joannis initium quasi totius Evangelii compendium collô suspensum gestare. Continent etiam præceptum S. Antonii de Padua: *Ecce crucem Domini &c.* Cujus mirabile, & prodigiosum initium refertur in Chron. Ord. Min. p. 1. in vita S. Antonii: nam Santarenæ in Portugaliæ Regno, quædam mulier energumena à dæmone gravissimè torquebatur, qui variis subformis ei apparens, illam ad mortem sibi inferendam hortabatur; quam S. Antonius Paduanus ab ea invocatus, apparens his verbis allocutus est: *Aspice in sinu tuo, ac lege eam scripturam, quam ibi invenies, qua lecta, non amplius vexaberis à dæmone.* Quibûs auditîs à somno expergefacta, scripturam hæc verba continentem invenit:

Ecce † crucem Domini fugite partes adversæ:
Vicit Leo de tribu Juda, radix David:
Alleluja, Alleluja.

Quibûs devotissimè lectîs, illico dæmon in fugam conversus est. Non ergo mirum, similia Amuleta dæmonibus esse plurimùm contraria.

Ve-

Verùm, ut hoc remedium sit licitum, N.
D. Thomas 2. 2. q. 96. a. 4. duas requirit 178.
conditiones: *Prima* est, ut Sanctis verbis
nihil superstitiosum admisceatur, v. g. si
quis fideret soli figuræ, colori ve litterarum,
vel modo scripturæ, vel materiæ membra-
næ, sive attramenti, vel litteris, & figu-
ris totaliter incognitis &c. *Secunda*, ut re-
cta sit intentio gerentis, veluti si pius ver-
borum sensus observetur, spes verò figa-
tur in Deum, idque fiat vel ad professio-
nem veræ fidei, vel ob alium pium, & san-
ctum finem, effectúsque à divina potentia
sub ejus beneplacito expectetur.

De Schedulis Marianis. N.

Quod Schedulas Marianas, seu Conce- 179.
ptionis, vulgò schedulas Patris Lucæ
intitulatas concernit, earum vim, & ef-
ficaciam contra omnia diabolica præstigia
tum origo earundem, tum Benedictiones
efficacissimæ, tum quotidiana testatur ex-
perientia. Nam cùm sæculò proximè e-
lapsò, ante annos circiter 50. adolescen-
tula quædam novemdecim annos nata ab
integra legione, seu 6666. dæmonibus pos-
sessa, nullò remediò ab hospitibus malignis
liberari posset, tandem Veteris Oettin-
gam ad Tavmaturgæ Virginis antiquissi-
mam statuam adducta fuit, ubi pluribus
Exorcismis dæmones frustrato labore ex-
orcizati, unus eorundem haud dubiè

divi-

divinâ coactus potentiâ subitò exclamavit, nullum præsentium habere potestatem se expellendi ab adolescentula illa: Monachil nihilominus apud PP. Franciscanos unum stare supra Cathedram, & habentem potestatem, & gratiam, ut omnes expellat. Quare cùm Concionator Conventûs Monacensis nomine P. Lucas Glabsperger, à legitimis Superioribus citatus Oettingam, ceu Exorcista, dæmones per legitimos Ecclesiæ Exorcismos expulsurus, appulisset, nihilque post diutinam corporis macerationem, Exorcismôsque Ecclesiæ in S. Capella habitos efficere posset, contigit, ut post studia in finem expulsionis diabolicæ suscepta, puellam possessam transiret, & dæmonem ex insperato ita clamantem audiret: *Diu, noctúque te mortificas, omnique nisu nos expellere cogitas, & nihil proficis: porrò si hodie benè attendisses, atque circa nostram expulsionem lecta considerasses, acrius more solito nobis obviares.* Obstupescit Concionator, & mox lecta meliùs consideraturus cellam repetit, modúmque conficiendi, benedicendiq; , atque applicandi has schedulas Marianas adinvenit. Et ecce! dum post earumdem consectionem iterum dæmones etiamnum in adolescentula latentes exorcizaret, denuò unus dæmonum exclamat: *Væ nobis, quia modum conficiendi calles*: Et alter priùs modum conficiendi prodens: *Væ mihi, quia arcanum prodidi.* Quare Exorcista in fi-

de

de & fiducia roboratus compulit dæmones, ut puellam similem schedulam deglutire sinerent; quo facto absque ulteriori Exorcismo omnes evanuerunt, ita, ut in tam mirabili facto DEum, Deiparámque Virginem omnes laudarent, & magnificarent.

Quare cùm factum adeò mirabile latere nequiret, mox inter Franciscanos præsertim provinciæ Antoniano - Bavaricæ divulgatum est, & à pluribus similes schedulæ confici cæperunt, ac revera mirabili cum effectu: experientia siquidem certissima testatur, easdé & hominibus, & pecoribus profuisse sæpissimè, omnémque diabolicum avertisse conatum, prout plurimis possem confirmare exemplis. Unum, loco omnium sufficiat, quod anno 1717. ab aliqua rustica propè Ardingam testatum accepi: cùm enim lanam more solito collecturus illa pertransirem loca, ad præfatam perveni rusticam, quæ magnis precibus schedulas Conceptionis postulavit: cui, cùm meam declarâssem penuriam, & me non nisi pauculis esse provisum ex pixide demonstrâssem, respondit, se omninò plurimùm æstimare prætatas schedulas, ob maximum sibi perillas præstitum beneficium: cùm enim plures per annos maximis esset affecta doloribus, nec ulla quidquam vellet proficere medicina, conceptâ fiduciâ similem sumpsit in aqua benedicta schedulam:

quâ sumptâ omnibus artubus, imò toto corpore contremuit, ut in phreneſin incidere videretur. Reaſſumptis viribus exploratura, undenam effectus ille mirabilis proveniret, ſimilem ſchedulam uni ex prolibus ſuis in aqua benedicta propinat, quæ tamen ſumptâ etiam ſchedulâ ſana & incolumis nullum ſentire dolorem, nec alium experiri effectum reſpondit. Quare mulier dæmonem in ſe latentem ſuſpicata quodlibet die ſimilem ſumpſit ſchedulam, & re verâ omni prorſus infirmitate curata, DEum in Beatiſſima Virgine, cujus Patrocinio tantam recepit gratiam, magnificavit, & glorificavit.

N. 180 Interim, ſi quis felici cum effectu vim & efficaciam harum ſchedularum experiri deſiderat, priùs in honorem Nativitatis Dominicæ, nec non in honorem Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ tria *Pater* & *Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* & Symbolo Apoſtolorum recitet.

Neque mirum videri debet, prætactas ſchedulas tantam habere vim, tantámque efficaciam contra omnia diabolica præſtigia; ſiquidem omnia ad illas conficiendas pertinentia efficaciſſimis, totique inferno terribilibus donantur Benedictionibus, quas plerique Reformatæ noſtræ Provinciæ Alumni conſcriptas habent: continent inſuper ex una parte ſcriptum in cruce Titulum I†N†R†I omnibus dæmonibus tremendum: ſunt etiam addi-

addita verba: *Verbum Caro factum est*, in signum: quòd Verbum pro nobis Caro factum dæmonem vicerit, eique omnem nocendi hominibus in se confidentibus ademerit potestatem. Ex altera verò parte scriptum continent: † MARIA † *in Conceptione tua Virgo Immaculata fuisti* † in signum, Beatissimam Virginem jam in prima, eáque imaculata Conceptione omnem obtinuisse principatum suprà dæmones, primáque vice caput contrivisse serpentis antiqui.

Porrò, cùm de schedulis Conceptionis ago, quæstio extra vagans incidit, an videlicet magici homines earundem, imò aliarum etiam rerum sacrarum vim & virtutem ita infringere valeant, ut nihil amplùs prodesse possint, si aliquam ex illis aquisierint? hæc enim opinio satis videtur communis. Respondeo tamen eamdem esse omninò vanam, frivolam, imò superstitiosam; nam si quæram, undenam suum habeant effectum, unica Responsio est, & esse debet, habere ex opere operantis dependenter à Benedictione recepta: Sed nequit dæmon impedire opus operantis, neque ab aliquo benedicto tollere Benedictionem: hæc enim aliud non est, quàm denominatio extrinseca, qua res ob Benedictionem semel receptam, adhuc denominatur benedicta: ergò neque effectum impedire potest. Præterea credere, dæmonem posse irritare, & frustrare preces Eccle- N. 181.

ſtæ ceu Sponſæ Chriſti unicè dilectæ, eſt dæmonem præponere & præferre ipſimet Eccleſiæ, & illi attribuere poteſtatem ſuper Eccleſiam; ſed dæmonem præferre ipſimet Eccleſiæ, illique attribuere poteſtatem ſuper eam, manifeſta eſt ſuperſtitio: ergò &c. Inſuper, ſi dæmon poteſt impedire & infringere vim & virtutem rerum ab Eccleſia benedictarum, ut nihil ampliùs prodeſſe queant, poterit pariter infringere vim & virtutem S. Crucis, SS. Nominis JEſu, omniúmque Sacramentalium; omnia enim pariformiter ex opere operantis ſuum producunt effectum. Quinimò poſſet pariformiter infringere virtutem Sacramentorum: quemadmodum enim virtus Sacramentorum ex Deo eſt, ita virtus Sacramentalium: ſi ergò ſemel permittatur virtutem divinam à diabolo poſſe infringi, id ſemper concedendum erit. Non quidem diffiteor magnam eſſe diſparitatem inter Sacramenta, & Sacramentalia: illa enim effectum ex opere operato producunt, hæc verò ex opere operantis: illa à DEO, hæc ab Eccleſia ſunt inſtituta: illa infallibiliter, hæc non ita infallibiliter ſuum producunt effectum: verumtamen in hoc nullam reperio diſparitatem, quòd utraque ex virtute divina ſibi aſſiſtente ſuum producant effectum: quis autem dæmonum divinæ virtuti reſiſtat? Sed

Dices

Dices: experientia ceu optima rerum magistra communem illam persuasionem confirmat. Quinimò solent malefici res benedictas non profanare duntaxat, sed iis etiam ad maleficia continuanda abuti: ergò non videtur, quòd quà profanatæ, & maleficis artibus applicatæ intentum producant effectum.

℟. Cùm Sacramentalia propter Ecclesiæ Benedictionem ex opere duntaxat operantis suum producant effectum, in quantum videlicet hominem excitant ad finem & fiduciam, aliósque virtutum actus eliciendos, planum esse, quòd stante illa communi persuasione in defectu fidei & fidúciæ nullum producant effectum. Quod profanationem, atque ad maleficia concinnanda abusum concernit, puto certissimum esse homines maleficos sæpiùs abuti Sacratissimâ Hostiâ, quin Sanctitatem, vim & virtutem suam deperdat: ergò nec propter abusum Sacramentalia suam deperdent vim & virtutem. Sed N. 182.

Alia adhuc extravagans recurrit quæstio mihi sæpiùs proposita, quisnam hominibus præsertim maleficiatis, aut à dæmone possessis Amuleta, Scapularia, aliáque benedicta tempore nocturno ex collo detrahat? ℟. Salvo semper judicio meliori hoc posse fieri tum per sagas atque maleficos, tum per ipsosmet dæmones: *Primum* ex eo claret, quòd homines malefici sæpè dæmonis ope loca intrent 183.

trent secretissima, ubi mira operantur; consequenter etiam Amuleta detrahere possunt. *Secundum* quamvis communi opinioni contrarium, ex eo nihilominus satis, ni fallor, convinci potest, quòd dæmon ex permissione divina ipsummet Christum Dominum, quo nihil sanctius esse potest, jam super pinnaculum templi, jam in montem altum sustulerit: item vexat dæmon homines non semel benedictos, imò Sacerdotes ipsos in digitis canonicis, quibus quotidie SS. Christi Corpus tangunt: ergò non videtur, cur non pariformiter ex permissione divina res benedictas tangere, & quandoque auferre possit.

De Cultu Beatissimæ Virginis MARIÆ.

N. 184. NUllus est, *qui salvus fiat, nisi per te, ó Virgo Sanctissima*, exclamat Germanus de Zona Beatiss. Virg. Addo ego: nullus est, qui ab insidiis diaboli liber sit, nisi per Te, ó Virgo Sacratissima: Et quid mirum, Maria Domina est, Maria Princeps est super diabolum, quo titulo ipsemet Unigenitus ejus Filius lib. 1. Revel. S. Birgittæ cap. 16. mihi fol. 28. Matrem suam decoravit: Maria omnem super dæmonem obtinuit Principatum, ita, ut vel Nomine ejus audito contremiscant, & fugiant. *Omnes dæmones* dicebat eadem B. Virgo ad S. Birgittam lib. 1. Re-

1. Revel. cap. 9. *Verentur hoc Nomen. Qui audicentes hoc Nomen MARIA, statim relinquunt animam de unguibus, quibus tenebant eam: sicut enim avis, quæ in prædam ungues, & rostrum habent, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam, & cùm nihil operis sequi videt, statim revertitur ad eam Sic dæmones audito Nomine meo, statim relinquunt animam, quasi territi, sed iterum advolant, & revertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit damnatus, si invocaverit hoc Nomen bac intentione, ut nunquam reverti velit ad opus solitum, quod non discedat ab eo statim diabolus, & nunquam amplius revertatur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi moraliter.*

Idem luce clarioribus testatur verbis D. Bernard. serm. in Missus est. *Dæmones*, ait, *non solùm Virginem pertimescunt, sed audita hac voce* (MARIA) *contremiscunt.* Et super Cant. *Ubi Nomen MARIÆ invocatur, dæmonum nocumentum effugatur, quid MARIA terribilis, ut castrorum acies ordinata.*

Si quis ergò à dæmone tentatus, vexatus & possessus fuerit, Mariam invocet. Mariam inclamet, illa etenim perpetuam habet inimicitiam cum serpente illo antiquo, illa nunquam cessat, nec cessabit conterere caput ejus, nam ùt habetur Genes. 3. *Inimicitiam ponam inter te, & mulierem, & ipsa con-*

conteret caput tuum. Inimicitia hæc perpetua est, sed certa ex parte mulieris victoria.

Nec timendum Mulierem illam fortissimam suos deserturum Clientes: velut enim est Mater Dei, ita Mater rei, Mater Christi, & Mater Christianorum, Mater Judicis, & Mater exulis, Mater misericordiarum, & Mater miserorum: Matris autem proprium est amare, juvare, & sublevare prolem suam. Certè, ùt Author est noster Bernardinus de Bustis p. 12. ser. 2. licèt omnes Angeli & Sancti ardentissimè nos diligant, attamen Maria sola incomparabiliter nos plùs diligit, quàm omnes Angeli simul: ex eodem quippe habitu procedit tam amor Dei, quàm proximi, ùt post S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 1. docet communis Theologorum: cùm ergò DEum ardentius amet omnibus reliquis sanctis, etiam & nos miseros plus diligit, quàm omnes Sancti simul: non autem diligit duntaxat ore, sed re, & veritate.

Neque exempla deficerent evidentissima, & luce meridiana clariùs intentum nostrum demonstrantia, quæ tamen omnibus notissima prætereo, sola mihi D. Anselmi verba lib. de excellentia Virginis c. 6. sufficiunt: *Velocius*, ait, *est nonnunquam salus memorato Nomine MARIÆ, quàm invocato Nomine Domini JESU unici Filii. Et id quidem non ideò fit, quòd ipsa major & potentior eo sit; nec enim ipse magnus & potens per eam, sed illa per ipsum.*

Qua-

Quare ergo propitior salus in recordatione ejus, quàm Filii sui sæpè præcipitur? dicam, quod sentio: Filius ejus Dominus est, & Judex omnium discernens merita singulorum: dum igitur ipse à quovis suo nomine invocato non statim exaudit, profectò id justè facit. Invocato autem nomine Matris, etsi non merita invocantis mereantur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur, quia eam decrevit sic honorare, ut sciant homines, omnia per ipsam obtineri posse à DEO,

De Cultu SS. Angelorum, aliorumque Sanctorum.

N. 185. CAdit turba militaris bono Duce destituta, submergitur navis peritô Nauclerô carens: perit homo diabolicis victus fraudibus, nisi SS. Angelorum protegatur custodia: sed non timendum: *Non enim accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tui,*: testatur Psalmista Psal. 90. quasi diceret, quem Angelus sibi à DEO Custos datus, custodit, nullum ad eum malum accedet, neque flagellum præsertim diabolicum appropinquabit tabernaculo ejus.

Pergit ulteriùs Psalmista: *Super aspidem & basilicum ambulabit, & conculabit leonem & draconem*: Per aspitem autem, basiliscum,

leonem, & draconem, intelligi dæmonem infernalem, testatur Doctissimus le Blanc in locum præfatum: consequenter proprius sensus à Psalmista intentus est, quòd vivens sub Custodia SS. Angelorum, super draconem infernalem ambulabit, ejúsque caput superbiâ tumidum conculabit: Angeli enim Custodes pugnant pro nobis, imò vincunt pro nobis, ùt agnovit Petrus Dam. Serm. de S. Michaële dicens: *Angeli vincunt pro nobis.* Et D. Chrysost. Hom. 3. de ascensum Angelorum pro nobis pugnantium his declarat verbis: *Quoniam,* inquit *barbara & agresti mente, rabidi dæmones ad pacis eversionem ubique versantur, ad tutellam nostram constituit exercitus Angelorum, ut eorum dæmonum frangatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur.*

Certè Angeli ad custodiam hominum deputati fidelissimi sunt, simul & potentissimi, volentes simul, & potentes resistere diabolicis spectris, eáque arcere ab hominum consortio, dummodo fiducialiter invocentur: Angeli siquidem longè promptiores sunt ad beneficia nobis exhibenda, quàm dæmones ad mala inferenda, ùt testatur noster Alexander Alensis de Angelis q. 41. memb. 6. a. 2. S. Thom. 3. p. q. 113. a. 7. S. Bonav. in 2. d. 11. a. 2. q. 2. Et ratio naturalis convincit; nam Angeli, sicut ardentissimo amore DEO conjuncti sunt, ita ex eodem habitu ardentissimo amore prosequuntur & ho-

hominem, ita, ut non tantùm defendant, sed & in manibus portent hominem, ne fortè offendat ad lapidem pedem suum; dæmon écontra licèt intenso odio Deum, & ex eodem habitu etiam hominem persequatur: hoc nihilominus odium adeò intensum non est, sicut amor Angelorum. Sunt pariter Angeli Spiritus potentissimi, ita, ut non tantùm virtute naturali superiores Angeli in natura coërcere possint naturâ inferiores dæmones, ùt communiter docent Theologi, sed etiam virtute supernaturali, ita, ut minimus etiam Angelorum totam dæmonum catervam in fugam vertere possit: pugnant enim divina sibi assistente virtute, quæ infinities major est, omni virtute finita.

Neque exempla deficiunt, sic enim Mariæ Ragensi dæmon apparuit horrenda maximè speciè: illa non territa in faciem ejus spuit, signóque se crucis munivit. Tum Angelus Gustos strictò armatus gladiò apparuit, ad cujus aspectum larva illa disparuit, ùt referunt Joan. Saragossa, & Ribera apud Le Blanc in loc. cit. Similiter, ùt legitur in vitis SS. Patrum, cùm Abbas Moyses à diabolo vexatus, ad Abbatem Isidorum remedium petiturus advenisset, nec post longos de rebus spiritualibus sermones quiesceret, Isidoro jubente cellulæ superiora conscendit, oculos suos primò ad occidentem vertit; ubi innumerabilem dæmo- N. 186.

monum multitudinem, qui cum furore præparabantur ad prælium, inspexit: tum vultum ad orientem convertens Angelorum splendentem sine numero turbam, tamquam cœlestium virtutum exercitum vidit: *Ecce*, inquit Isidorus, *qui ad occidentem, ipsi sunt qui nos impugnant, qui verò ad orientem, hi sunt, quos in adjutorium nostrum mittit Dominus.* Quibus visis & auditis, turbatus Moyses est confortatus.

Meritò ergò concludendùm cum Rodulpho Ardente serm. de Evangelio apud citat. Le Blanc: quoniam SS. Angeli tantam erga nos habent charitatem, quia sic sunt solliciti nos defendere, nobis bona suggerere, pro nobis orare, post nostra salute lætari, & Dominum laudare: diligamus & nos, veneremur, deprecemur, & memoriam eorum frequentemus, quatenus precibus & auxiliis eorum mereamur diabolicas insidias deprehendere, & eludere.

N. 187. Sed nedum Angeli boni, sed & Sancti gloriosè cum Christo regnantes, atque sedes damnatorum spirituum replentes, pugnant, & dimicant pro nobis contra dracones infernales, ùt testatur David Psal. 149. dicens: *Gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis.* Alligant ergò Sancti manicis ferreis dæmones, ne nobis nocere possint,

sint, quinimò, velut optimè S. Basilius Hom. 2. de SS. Martyribus ait, *quasi quædam turres contra adversariorum incursum refugium nobis exhibent.*

Præsertim autem illi invocandi sunt Sancti, qui in terris existentes potentiùs contra dæmones dimicârunt, velut sunt S. Antonius Abbas, S. Hilarion, S. P. Franciscus S. Antonius Paduanus, B. Andreas de Comitibus, S. Dominicus, S. Ignatius, S. Xaverius, Ubaldus, allíque plures: per horum enim, aliorúmque Sanctorum Patrocinium sæpiùs dæmones fuisse fugatos, plures fide dignissimæ testantur historiæ hinc inde ab Authoribus relatæ, quas brevitatis gratiâ prætereo.

Quæstio tertia.

De remediis particularium personarum, quæ sunt difficilioris liberationis.

QUamvis in discursu satis, nî fallor, sit probatum, Exorcismos cum debita dispositione personæ tum agentis, tum patientis factos infallibilem habere effectum, Deúmque voluntate signi velle, ut omnes liberentur energumeni, dum in eo fiduciam collocaverint; quinque nihilominus genera personarum jam suprà

cap. 1.

cap. 1. q. 6. recensuimus, ad quarum liberationem Deus difficillimè concurrit: si enim citò in principio concurreret, illa liberatio eis salutaris non esses, prout l. c. jam dictum. Cæterùm, quia neque horum est desperata salus, etiam pro hisce accommoda remedia præscribenda.

Remedia pro energumeno in peccatis inveterato.

N. 188. PRimò, si Exorcista gravem, & in peccatis inveteratum peccatorem, qui fortè Deo non tantùm permittente, sed jubente, sit possessus, prout plura refert exempla P. Delrio lib. 3. disq. mag. p. 1. q. 7. sect. 2. si talem inquam, nanciscatur, non sit velox ad præceptum expulsivum formandum, sed jubeat, ut ex totis præcordiis ad DEum ceu Patrem misericordiarum convertatur: ùt ipsemet Deus jubet Joël c. 2. dicens: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu.* Disponat pariter, ut Confessionem generalem suorum peccatorum sibimet, si fieri possit, deponat, ut hoc medio clariùs ulcus detegatur, atque aptiora remedia præscribantur.

Secundò jubeat, ut jejuniis, disciplinis aliisque corporis macerationibus Deo justissimo peccatorum vindici satisfacere satagat. Cùm enim supplicium sit pœna peccati, hoc tam

tam quoad reatum culpæ, quàm pœnæ sublato, facillimè miseric ordiam consequetur: item jubeat, ut, si dives sit, juxta consilium Danielis cap. 4. v. 24. peccata sua eleemosynis redimat, Sacrificia Missæ celebrari faciat, vel saltem ipsemet frequenter Sacratissimum Hostiam in satisfactionem peccatorum suorum Deo Patri offerat; nam ùt refert S. Irenæus, DEus quondam apparens animæ ardentissima habenti desideria multa pro amore Dei faciendi, dixit, *Filia, æquo animo esto: unum solum Sacrificium Missæ omnem mihi honorem, cultúmque exhibet, quemcunque mihi optas. Imò absque comparatione plus mihi defert, quàm tu votis tuis assequi possis.* Denique etiam, ut indulgentias pro possibili lucrari non omittat.

Tertiò jubeat, imò ipsemet, si fieri potest, certa exercitia spiritualia per totam vitam diligenter secundùm conditionem personæ observanda ipsi præscribat: nihil autem magis conducens videtur, quàm quotidiana oratio mentalis de passione Domini: hac enim diabolus in cruce victus & prostratus, iteratò faciliter vincetur, & expelletur. Item frequens humiliter, devotè, ac contrito corde peracta Confessio. Item frequens SS. Corporis Christi Communio, qua in Domino confortatus peccata, ceu occasionem novæ possessionis præcaveat.

Quar-

Quartò attentè consideret, an ipsemet energumenus faciliter dæmonem expugnet, eidem omni sepositò timore præcepta formet. Item, an præceptum à se in SS. Nomine JEsu factum confestim diabolicam vexationem reprimat: an energumenus non sit cogitabundus, sed vultu & aspectu sereno expulsionem petat &c. Si enim energumenus etiamnum timidus, diabolus prævie non benè subjectus, certum est signum indispositionis.

Quintò tandem conformiter dicendis cap. sequenti præceptum expulsivum formet. Quod, si præter omnem spem & expectationem, frustratum videret, præscripta exercitia ulteriùs continuanda forent.

Remedia pro possessis vel vexatis à Spiritu incubo vel succubo.

N. 189. *Primò* ad dæmoniacum, ac difficillimè curandum hoc pessimum vitium, Exorcista cum magna cautella, ac circumspectione interroget vexatam personam de principio, modo, & ordine vexationis: nam quod principium concernit, solent aliquæ, haud dubiè non nisi pessimæ personæ ipsemet invocare dæmonem ad libidinem cum eo expellendam. Aliis dæmon in forma amasii apparet, prout factum Annæ Elisabethæ, postea ob itera-

iteratum Straubingæ Baptismum à RR. Patribus Societatis Jesu, Mariæ Franciscæ de La Haye dictæ, prout Historiam fusè refert libellus germanicus super ipsius liberatione editus Straubingæ cum Authoritate Episcopali an. 1665. Aliæ peccato molitiei deditæ demerentur, ut dæmon in forma quandoque visibili, quandoque & frequentiùs invisibili tam de die, quàm de nocte, tam in domibus, quam in Ecclesiis cum eis libidinosè agat. Aliæ fidem abnegant. Aliæ pactum cum dæmone ceu amasio ineunt, sumque nomen subscribunt &c.

Quod modum & ordinem attinet, hic pariter diversus est: nam aliquæ personæ suam explent libidinem cum dæmone sub forma amasii vel amasiæ: aliæ sub forma monstrosa viri nigri sibi apparentis &c. Aliæ continuum quasi coitum sentiunt, licèt nihil videant: aliæ id certis duntaxat temporibus sentiunt: aliæ frequenter se necessitatas judicant, ut secumet ipsis libidinem expleant &c.

Secundò admoneat, quòd dæmon in illis sine consensu saltem implicitè, tacitè, & interpretativè præstito, tales fœditates explere nequeat: nam ut suprà c. 1. q. 6. dictum est, dæmon hasce fœditates explere solet sub schemate necessitatis, cùm revera adsit potentia divino favente Numine resistendi, & dæmonis potentiam infringendi. Sic docet noster expertissimus in arte exorcistica

cistica P. Brognolus, sic experientia, sic dæmon ipse per præceptum in SS. Nomine JEsu à me factum coactus, confessus est.

Tertio ostendatur ei enormitas hujus revera gravissimi sceleris, atque ita ad contritionem, propositum, & Confessionem Sacramentalem disponatur: imò utilissimum foret, ut quolibet die vel confiteatur, vel saltem diabolicas tentationes, & suggestiones Exorcistæ fideliter & sincerè patefaciat; nam diabolicas fraudes detectas nullum, vel vix ullum ampliùs habere effectum, in comperto est.

Quarto suadeat, ut sæpissimè ex totis præcordiis actus amoris Dei super omnia eliceat, atque contra omnes diabolicas suggestiones & agitationes protestetur.

Quinto moneat, ut sæpissimè SS. Nomen JEsu ac Mariæ invocet, dicendo v. g. O mein HErr JEsu Christe, du mein HErr, mein Erlöser, und mein Beschützer: Erlöse, und hilffe mir überwinden diesen unreinen, abscheulichen Teuffel, der mich so offt überwunden hat, und lasse nit zu, daß er habe einigen Gewalt meinen Leib zu beunreinigen. Durch dein H. Jungfrauschafft, und unbefleckte Empfängnuß, O reiniste Jungfrau Maria, reinige mein Hertz und Leib, im Namen GOtt des Vatters, und des Sohns, und des H. Geists, Amen.

Sexto moneat, ne, si fieri possit, sola maneat, vel ad solitaria loca se recipiat, sed ordi-

ordinarie aliquam personam sui sexus, piam & devotam secum habeat; quotiescunque autem à dæmone ad hoc vitium allicitur, plena fide & fiducia SS. Nomen JEsu & Mariæ invocet, atque diabolo præcipiat, ut ab omni vexatione desistat. Nec unquam in corpore ullas patiatur commotiones, quibus non illicò corde & animo, imo & ore contradicat; dicendo v. g. Ich, obschon die allerschlechtiste Creatur, unwürdig zu nennen den Allerheiligsten Namen JEsus; doch getröstet durch die Grösse seiner Güte und Barmhertzigkeit, durch den Gewalt, der mir von Christo JEsu mit dem Glauben gegeben worden, komme ich wider dich du vermaledeyter Teuffel, du Widersacher deines, und meines HErrn, du Abtrinniger von deinem und meinem Erschaffer, du unreiner Geist, der du mich durch die Unreinigkeit in die ewige Verdammnuß zu stürtzen begehrest, und befihle dir in Krafft des Allerheiligisten Namen JEsus, daß du dich unverzüglich hinweg machest von meinem Leib, von meinem Hertzen, von allen meinen Sinnen, und hinfüran keinen Gewalt mehr habest wider mich: inmassen ich lebe unter dem Schutz des allerheiligsten Namen JEsus.

Quia nihilominus verba longiora sunt, fortè non à qualibet persona faciliter memoriæ imprimenda, substantiam eorum servare sufficit, dummodo præceptum non intermittatur.

Septimò moneat, ut in pœnalibus operibus, scilicet jejuniis, vigiliis, disciplinis, aliisque mortificationibus, se plùs cæteris exerceat: cùm enim corporis delectatione Deum gravissimè offenderit, necesse est, ut denuò corporis maceratione satisfaciat.

Octavo disponat eam, ut omnem dæmonis timorem excutiat, neque ullatenus ejus suggestionibus, blanditiisque attendat: sed cùm dæmon aliquid simile suggerit, mox SS. Nomen JEsu invocet, laudet, & extollat dicendo:

Sey gelobt und gebenedeyt der allerheiligiste Namen JEsus.

Nono jubeat, ut dæmonem sæpissime corde, ore, & opere contemnat, vilipendat, & opprobriis afficiat: atque si fortè molestias inferat, eidem certam pœnam dicat, v. g. ut se prosternat coram crucifixo, vel ad pedes Statuæ B. Virginis, aut terram osculetur. Hæc enim superbia inflatis spiritibus intollerabilis pœna est.

Decimo moneat, ut sæpissimè renovet actus fidei, & confidentiæ in Deum v. g. dicendo:

Ich glaube, O mein GOTT und alles! ich glaube, daß du seyest ein Allmächtiger GOtt, der mir augenblicklich helffen kan, ein barmhertziger Vatter, der mir helffen will, ein getreuer GOtt, der mir zu helffen versprochen: in dich, O HErr, hab ich gehofft, und wird in Ewigkeit nit zu Schan-

den

den werden: wann GOtt für mich, wer soll seyn wider mich, was für ein Teuffels-Gewalt soll mich überwinden? ꝛc.

Undecimo provideatur persona etiam Reliquiis Sanctorum, Agnis Dei, Amuletis benedictis, schedulis, in quibus præceptum scriptum contineatur, ne dæmon hanc Dei creaturam molestare, vel vexare præsumat. Insuper benedicantur etiam vestes ejus, lectus, domus, aliáque ad eam pertinentia.

Duodecimo, si dæmonem viderit plenè subjectum, & personam in fide & fiducia secundùm inferiùs c. sequenti dicenda, dispositam, præceptum expulsivum efformet.

Remedia pro possessis ab infantia, vel à pluribus Exorcistis frustra exorcizatis.

Primo, cùm tota fermè ratio difficilioris liberationis proveniat ex contracto habitu diabolo in omnibus assentiendi, allaboret Exorcista, ut habitum contractum per actus contrarios fidei & fiduciæ tollat, & eradicet: in quem finem motiva fidei & fiduciæ suprà cap. 3. tradita eidem clarius explicet, & explicata inculcet, moneátque, ut sæpiùs actus fidei eliceat. N. 190.

Secundo moneat, ne vel in minimo dæmoni attentas præbeat aures, nec cum eo contendat: sed eum pro possibili contemnat,

vilipendat, atque opprobriis afficiat, atque si fortè more solito denuò lapsum, ululatum, aliámque vexationem futuram prædiceret, parùm, imò nihili ejus vanum timorem faciat, sed ad Deum toto corde se convertens SS. Nomen JEsu laudet dicendo v. g. Gelobt und gebenedeyt sey der allerheiligste Namen JEsus, und vermaledeyt alle höllische Gespenster.

Tertiò, si actualiter dæmon aliquam corporis partem vexare incipiat, illicò per præceptum fugetur. Vidi ego personam adeò in Deo confortatam, ut diabolum vexationem quandam inchoantem irrisoriè interrogaverit, an cessare potiùs, vel potestatem sibi à DEO traditam experiri velit?

Quarto moneat, ut sæpissimè ante crucifixi vel B. Virginis Mariæ imaginem genuflexa actus fidei & fiduciæ eliciat, atque Deum pro sua deprecetur liberatione. Hæc si persona talis fideliter observaverit, infrà breve temporis spatium disposita per præceptum expulsivum liberabitur.

Remedia pro personis perfectioni Christiani (ùt putant) vacantibus & à diabolo possessis.

N. 191. *Primo*, cùm radice sublata, facilè arescat arbor, studeat Exorcista radicem malæ persuasionis, quasi possessio diabolica viam ad veram Christianam perfectionem sterne-

sterneret, tollere, & facilè totum fundamentum diabolicæ fraudis ruet. Hoc autem facillimè divina favente gratia eveniet, probando, DEum ordinariè semper velle ejectionem diaboli, dummodo persona ex totis præcordiis Ejusdem auxilium invocet, quod ex sequentibus motivis satis perspicuum reddet; 1. Christus ipse nullum deseruit energumenum, nec prætendit unquam, non esse voluntatem Patris, ut ab hospite maligno liberetur, sed ùt testatur D. Petrus c. 10. Actuum Apost. *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes* NB. *oppressos à diabolo.* En! non dicit: sanando multos, aut plurimos, sed *omnes*, neminem deserendo: Ergò erat, & etiamnùm est voluntas Dei, ut homines liberentur. Item Deus impossibilia non jubet, ùt constans est totius Ecclesiæ sensus & consensus contra impios nostri temporis hæreticos; sed jubet & mandat omnibus Exorcistis, ut dæmones expellant, prout fusè suprà c. 3. q. 6. deductum est: ergò hoc non est impossibile. Ex quo subsumo; atqui nisi Deus sua potestate ceu Principalis Exorcista concurrere vellet, hoc evidenter foret impossibile: ergò necessario tenendum, esse voluntatem DEI, ut dæmones expellantur: nam vult DEus, ut homo sit templum & habitaculum Spiritûs Sancti: non ergò habitaculum spiritûs maligni: *Quæ enim conventio Christi ad Belial?* Quare.

Secundo explicet Exorcista tali personæ à dæmone possessæ omnia mala, damna, bonorúmque impedimenta, quæ ordinarie ex possessione diabolica provenire solent, quæ omnia facilè ex dictis ipsiusmet personæ desumere poterit.

Tertio, admoneat eam, non esse conforme regulis prudentiæ, gravissima etiam mala pœnæ secundùm propriam eligere voluntatem: sic enim Isaiæ cap. 38. v. 3. repudiatur jejunium ceu impium, ex hac sola ratione, quia *in die jejunii vestri inventur voluntas vestra*. Quinimò doceat, nihil pejus esse voluntate propria, nihil pejus, quàm voluntatem suam præponere voluntati sui Directoris spiritualis: si ergò ille cognoscat, hanc non fore perfectionis viam, pessimum erit contrario pertinaciter adhærere judicio.

Quarto, licèt non sit necessarium illam admonere, ut sæpiùs actus contritionis perfectæ eliceat, Confessionem suorum peccatorum deponat, Sacramentum Eucharistiæ frequentet, corpus suum in servitutem redigat; cùm his omnibus ceu devotulæ sedulò incumbere supponatur: nihilominus ad frequenter eliciendos veræ fidei & fiduciæ actus admonenda est secundùm superiùs dicta. Et tandem si viderit eam secundum dicenda bene probatam, ad expulsionem progrediatur.

Reme-

Remedia pro personis duræ cervicis à diabolo obsessis.

PErsonis sæpè infirmis, atque secundùm prudentis Exorcistæ judicium certò possessis, si dura nihilominus cervice resistant, jam credentes dolorem, quem patiuntur, esse purè naturalem, jam diabolicum suspicantes, prudens Exorcista melius nequit præscribere remedium, quàm si per præceptum probativum jubeat, ut diabolus easdem in corpore cruciet, & vexet, usque dum gravem sentientes dolorem pro remedio supplicent: poterit quoque Exorcista actualiter vexatas quærere, an benè dolorem sentiant, vel an majorem sentire cupiant, aut, an ab omni dolore liberari velint? quòd si affirmativè respondeant, easdem ad fidem saltem conditionatam excitet, nimirum, quòd si dolor sit dæmoniacus, certò certiùs omnis dolor subitò evanescat; atque ita præceptum lenitivum cum signo Crucis super parte vexata efformato pronuntiet. Quòd si necdum credant dolorem esse dæmoniacum: aut iteratò jubeat, ut dæmon magis vexet, & torqueat, & præcepto lenitivo adjuvet, aut certò ceu duræ cervicis homines omninò deserat, & à functione desistat. Quòdsi verò ad probationem factam firmiter credant dolorem esse dæmoniacum, ulteriùs cum eis secundùm dicenda cap. 6. sequente procedat. Pro complemento N. 192.

Quæres: cur tantopere urgeam, ut personæ tales seipsas verè possessas credant? R. Licèt aliqui in arte inexperti sufficere credant, si ad conditionatam fidem instruantur, videlicet, si dolor sit dæmoniacus, futurum, ut liberentur, quòd si verò non sit dæmoniacus, Exorcismum certò non obfuturum, nec qualecunque nocumentum allaturum: revera tamen, nisi personæ semet ipsas verè possessas aut maleficiatas credant, vix, aut ne vix quidem veræ fiduciæ actus elicere, atque ita liberari poterunt.

CAPUT SEXTUM

De Dispositione proxima personæ energumenæ, nec non de actuali expulsione dæmonis, & præservatione personæ liberatæ.

Quæstio prima.

Quid faciendum Exorcistæ, si quædam persona energumena coram eo compareat.

IMprudenter haud dubiè, atque contra omnes sibi legitimè præscriptas regulas ageret Medicus ille, qui ad ægrotum vocatus absque ulla prævia informatione medi-

medicinam præscriberet, venæ sectionem præciperet, aliáque absque prævie præcognito morbo ordinaret. Imprudenter, imò scelerate procederet Judex quemquam morti adjudicando, qui priùs secundùm allegata & probata non est convictus, vel sponte confessus. Imprudenter pariter procedit Exorcista, si ad energumenum vocatus, vel alias requisitus, prævie de statu morbi non informatus, Exorcismum applicat. Est enim Medicus spiritualis volens mederi infirmo, & miserè à diabolo vexato. Est & Judex à Deo potestate legitima donatus, secundùm jurisdictionem ordinariam vel delegatam contra dæmones procedens. Quare

Dico 1. Si Exorcista ad energumenum vocatur, omnium primò diligenter parentes infirmi, consanguinei, aliique familiares de origine infirmitatis, de tempore, modo, qualitatibus &c. interrogandi sunt: deinde ipsemet infirmus vultu sereno, verbis compassione plenis quærendus de statu & progressu morbi; & interim fixis oculis ejus situs, modus agendi, aliæque dispositiones considerandæ sunt: ex quibus, si nullum habere possit signum possessionis probabile, ad peritum Medicum confugiendum edoceat. Quòdsi verò aliquod signum saltem probabile appareat, liberè & tutè ad instructiones mox proponendas, ac tandem ad actualem N. 194.

expul-

expulsionem procedat. Quod si persona actualiter in præsentia Exorcistæ in phrenesin incidat, vel alio quocunque tandem modo vexetur, mox præceptô lenitivô suprà cap. 1. q. 3. adjuvetur. E contra, si ab omni vexatione sit libera, non subitò præceptum probativum suprà l. c. descriptum formetur, sed vexatæ judicium de sua vexatione priùs requirat, an videlicet eam naturalem, vel præternaturalem, & à dæmone causatam arbitretur: si eam purè naturalem dicat, non est ea stante persuasione ulteriùs procedendum; cùm ex terminis repugnet, fidem posse concipi de tollenda vexatione diabolica, si ea non credatur, vel saltem probabiliter suspicetur adesse: quòd si autem eam præternaturalem & dæmoniacam dicat, vel saltem se suspicari testetur, quærendum erit, an velit, & credat se posse liberari: si enim de sua liberatione non curet, ceu indispósita relinquenda erit. Si verò velit liberari, breviter in fide & fiducia secundùm modum mox qq. sequentibus præscribendum instruatur, ac tandem personâ coram Exorcista genuflexâ (si fieri potest) verbis gravibus, & authoritate plenis præceptum probativum formetur secundùm dicta l. c.

Porrò non est unus idemque procedendi modus, nec æqualis ubique curandi facilitas: aliter quippe est procedendum cum persona diu, & fortè ab infantia possessa, aliter

aliter cum persona modico primùm tempore possessa: Prima etenim difficulter, altera faciliter disponi poterit, ita ut mox fortè post præceptum probativum etiam expulsivum formari queat; quod sæpè contigit, præsertim cum personis maleficiatis, & in certa duntaxat corporis parte vexatis: frequenter enim ad signum Crucis † super parte vexata cum præcepto expulsivo brevibus verbis formato dæmon expellitur, ita, ut quæ priùs præter tremendos diu noctúque dolores habitos, nec pedem levare, nec movere poterant, mox sanæ & incolumes surgant. Aliter cum persona duræ cervicis, aliter cum persona habente spiritum incubum, vel succubum, prout ex cap. præcedenti satis liquet. Quare ut ad proximas deveniamus dispositiones, Sit

Quæstio secunda.

Quomodo practicè energumenus instruendus sit erga DEum, & quibus ex signis dignoscendum, eum esse verè probatum?

QUantumvis c. 3. tam necessitas fidei & fiduciæ, quàm motiva, unde facile aquiri possint, satis, nî fallor, sint tradita, & explicata; verumtamen, quia necessitas hæc absoluta, & ex parte personæ N. 196.

vexatæ

vexatæ dispositio sæpè difficillima est, studiosè praxin, modúmque eam facilè disponendi, atque dispositam dignoscendi tradam: ideóque nisi persona vexata prævie secundùm dicenda perfectè videatur disposita ad præceptum expulsivum producendum non erit. Interim, quia dæmon astutissimus sub actuali instructione sæpiùs personæ cogitatum ad alia divertit, contraria suggerit, intellectum obfuscat, aliisque modis impedit, ne instructionem percipiat, aut perceptam mox è memoria dimittat, necessarium erit, ut Exorcista quandoque præceptis lenitivis adjuvet, dicta repetat, ipsámq; personam vexatam repetere faciat; imò veritatem in praxi ipsa demonstret, mediantibus præceptis instructivis suprà c. 1. q. 3. explicatis. Denique utilissimum erit, personam à tumultu sæcularium hominum seqüestratam cum unasola, aut paucis saltem, in fide & fiducia perfectè instructis conversari, quarum sermo unicè sit de motivis fidei & fiduciæ, de misericordia & fidelitate Dei, de vilitate diaboli, de liberatione omninò certa & infallibiliter futura: Siquidem, ubi pluralitas est hominum sæcularium, necessarias dispositiones ignorantium, frequenter non tantùm sermo de difficili, imò forte omninò impossibili liberatione miseri, sed & curiosæ quæstiones de futuris contingentibus aut alias ignotis diabolo proponi solent, atque dictis firma adhiberi fides: Quod, licèt

cèt propriè idololatria non sit, ùt docet La Croix lib. 3. p. 1. q. 4. n. 24. ad eam tamen reducitur, quia sic mendaciorum pater plùs honoratur, quàm mereatur. Atque in rei veritate, sive quis consulat dæmonem ex idolo loquentem, sive ex homine respondentem, par esse ratio videtur. Interim tales sæpè ex inconsiderantia, levitate, aut curiositate à peccato mortali excusantur. H. N.

Dico 1. Energumenus practicè erga DEum instruendus est in sequentibus. N. 197.

Primò, DEum esse Omnipotentem, cui nullus dæmonum resistere valet: sic enim unico actu voluntatis suæ omnes simul dæmones de loco sublimi cœlorum in infernum præcipitavit, ita nunc absque unica, vel minima etiam difficultate solo & unico actu voluntatis suæ omnes ex corpore energumeni expellere posse, licèt in eo non unicus tantùm sed mille forent legiones dæmonum: finiti enim ad infinitum nulla est proportio.

Secundò doceat, DEum esse sapientissimum, cui nulla fallacia, nullus dolus, nulla machinamenta diabolica possunt esse obscondita: *Omnia enim sunt nuda & aperta oculis ejus.*

Tertio moneat, DEum esse summè bonum; Patrem omnium nostrûm amantissimum, Pastorem summâ solertiâ oviculam deperditam quærentem, prout suprà cap. 3.

q. 3. Motivo 1. fusiùs fuit explicatum; quinimò, si homo verè velit, veréque ad se ceu Patrem misericordiarum convertatur, atque verâ fiduciâ suam liberationem expectat, nunquam possessionem diabolicam, sed omnes velle liberare, prout ex rationibus probavimus suprà cap. 5. q. 3.

Quartò proponat, DEum esse veracissimum in omnibus, qui nec falli, nec fallere, nec plura promittere possit, quàm servare velit & possit: certam autem non semel, sed sæpiùs, si legitimæ adsint dispositiones, adpromisisse liberationem, prout declaravimus suprà cap. 3. q. 3. Motivo 3.

Quintò doceat, DEum esse providentissimum, cui æqualis cura est de omnibus; *divinâ providentiâ suâ ad bonum dirigens cuncta disponit*, ùt loquitur Boëtius l. 4. consol. phil. prosa. 6. in fine prout l. c. motivo 4. discussimus.

Sextò moneat, dæmonem esse hostem DEO infensissimum, qui ex odio erga DEum concepto hominem ad multa & gravia mala perpetranda inducit, puta, ad peccata carnalia, blasphemias, rixas & jurgia, ad odia fovenda, ad submersiones, præcipitia, desperationem, & mortem ipsam, quæ omnia divinæ voluntati contraria sunt. Minimè ergò credendum, DEum velle fovere & juvare partes hostis sibi infensissimi: quin certissimè adjuturum doceat partes

Exor-

Exorcistæ ceu instrumenti & vicarii sui Nomine suo operantis. Quòd si autem Deus cum Exorcista contra diabolum dimicet, quis resistere poterit?

Septimò doceat, licèt energumenus Deum gravibus offenderit peccatis, eum nihilominus misericorditer remissurum singula pro illo statim momento, quo ad illum fuerit conversus, nec ullum peccatum commissum illi amplius nocumentum allaturum teste Scriptura Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quocunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Imò Deum non tantum remissurum peccata, sed summâ benevolentia eundem denuò in amicum, & filium cum gaudio recepturum, prout filius prodigus erat receptus. Denique omnia merita deperdita cum novis beneficiis concessurum, dummodo verâ fiduciâ petantur, ùt egregiè docet D. Chrysost. Hom. 14. in Matt. dicens: *Si cum hoc studio mentis accesseris, & dixeris: nisi accepero, non recedam, prorsùs accipies: si modò talia postulaveris, quæ & illum, qui rogatur, dare deceat, & accipere tibi, qui precaris, expediat.* Expedit autem certè liberari à dæmone, ne toties in nova inducat peccata.

Octavò explicet energumeno virtutem SS. Nominis JEsu secundùm dicta cap. 3. q. 3. motivo 6. nec non virtutem Sacramentorum, & Sacramentalium secundùm dicta cap. 5. præcedenti.

Ultimò tandem certissimam proponat liberationem, dummodo fideliter ad mentem Exorcista jussa ejusdé exequatur, frequéter se in actibus fidei & fiduciæ exerceat, neque unquam credat, Deum velle, dæmonem in suo corpore habitare; hæc enim maxima est tentatio diabolica. Licèt enim Deus permittat vexationes diabolicas, nunquam tamen vult (exceptis maximis peccatoribus in peccatis obstinatis) ne vexatus liberetur.

N. 198. Dico 2. Ut Exorcista dignoscere queat, vexatum erga Deum esse benè dispositum, imprimis videat, an plus more solito Sacramenta frequentando puritatem conscientiæ quærat, vera humilitate præditus se omni gratia indignum reputet, aliorum orationibus se commendet, Deo gratias agat de dæmonis subjectione, & promissione liberationis certa & infallibili in S. Scriptura sæpiùs facta. Denique, quod præcipuum est, an veram erga Deum confidentiam habeat, quod colligere licebit ex eo, si vultu sereno de Bonitate, Fidelitate, Misericordia, Omnipotentia, aliisque divinis attributis sermonem instituat, absque ullo timore vexationis diabolicæ.

N. 199. Ut nihilominus magis ejusdem dispositio agnosci valeat, sequentes pro commodicate quæstiones linguâ maternâ formare poterit:

Glaubt ihr ungezweifflet, daß GOTT durch seine Allmächtigkeit alsobald alle Teuffel von euch könne vertreiben, wann auch die gan-

ch solle verborgen seyn? Re-
va est de fide. Sed addat:
daß GOtt bestermassen be-
und Manier euch zu helffen,
zu vernichten, alle Teuffel,
treiben? Responsio denuò af-
de fide. Sed addat:

Aber, glaubt ihr auch, daß euch GOTT durch sein unendliche Barmhertzigkeit wölle helffen, euch von aller teufflischen Plag wölle erlösen? Si dubius sit, non est probatus: si verò vultu sereno sine cunctatione affirmativè respondeat, bene est probatus. Sed addat:

Aber, wann vermeinet ihr, daß euch GOtt wölle erlösen? villeicht heut, oder über acht Täg ꝛc. Si se nescire respondeat, non est benè probatus: si verò divinâ fretus misericordiâ respondeat: illâ me horâ liberabit, quando Reverentia vestra diabolo locò Dei in nomine JEsu exitum præceperit, tunc est benè probatus. Si denique respondeat: tunc me liberabit, quando suæ placitum fuerit Majestati; tunc ulteriùs quærat:

Und wann vermeint ihr, daß es GOTT werde gefallen euch zu erlösen? Si se nescire respondeat, non est probatus. Si verò dicat: illo momento me liberabit, quo Reverentia vestra diabolo exitum præceperit, benè est probatus. Sed ulteriùs superaddat:

In was für einem Orth glaubt ihr, daß GOtt gefallen wird euch zu erlösen? Si putet

gantze Höll in euch solle verborgen seyn? Responsio affirmativa est de fide. Sed addat:

Glaubt ihr, daß GOtt bestermassen bekannt die Weiß und Manier euch zu helffen, all Zaubereyen zu vernichten, alle Teuffel, von euch zu vertreiben? Responsio denuò affirmativa est de fide. Sed addat:

Aber, glaubt ihr auch, daß euch GOTT durch sein unendliche Barmhertzigkeit wölle helffen, euch von aller teuffliſchen Plag wölle erlösen? Si dubius sit, non est probatus: si verò vultu sereno sine cunctatione affirmativè respondeat, bene est probatus. Sed addat:

Aber, wann vermeinet ihr, daß euch GOtt wölle erlösen? villeicht heut, oder über acht Täg ꝛc. Si se nescire respondeat, non est benè probatus: si verò divinâ fretus misericordiâ respondeat: illâ me horâ liberabit, quando Reverentia vestra diabolo locò Dei in nomine JEsu exitum præceperit, tunc est benè probatus. Si denique respondeat: tunc me liberabit, quando suæ placitum fuerit Majestati; tunc ulteriùs quærat:

Und wann vermeint ihr, daß es GOTT werde gefallen euch zu erlösen? Si se nescire respondeat, non est probatus. Si verò dicat: illo momento me liberabit, quo Reverentia vestra diabolo exitum præceperit, benè est probatus. Sed ulteriùs superaddat:

In was für einem Orth glaubt ihr, daß GOtt gefallen wird euch zu erlösen? Si putet

necessariam esse peregrinationem ad loca miraculis clara, non est benè probatus. Econtra si dicat: Reverentia vestra omnem habet à Deo potestatem, consequenter illo in loco dæmon expelletur, quem ipsamet designaverit, benè est probatus. Sed addat:

Glaubt ihr aber auch, daß GOtt mit mir, als seinem, und seiner Heil. Kirchen Diener werde mitwürcken den Teuffel auszutreiben? Si dubius sit, non est benè probatus, si verò sine hæsitatione affirmativè respondeat: positô, quòd liberatio sit salutaris:

N. 200. verè est probatus.

Verumtamen, quia experientia teste personæ vexatæ optima quæque respondere solent, ne diffidentia & pusillanimitas earum deprehendatur, prudens Exorcista non tantùm verba, sed frontem & vultum, oculos, totiúsque corporis constitutionem attentè consideret. Si enim fidem inhæsitantem, & fiduciam perfectam in corde habuerint, frons erit serena, vultus hilaris, oculi non gravati, totiúsque corporis constitutio benè composita.

Quæ

Quæstio tertia.

Quomodo vexatus instruendus sit erga Exorcistam, & quomodo dignoscendum, eum esse benè probatum?

Dico 1. Energumenus de pertinentibus ad Exorcistam in sequentibus punctis est instruendus. N. 201.

Primò. Exorcistam non agere in persona propria, sed in persona Dei, & nomine JEsu Christi: sicut Confessarius non absolvit, nec Sacerdos consecrat, nec Parochus baptizat ùt propriam repræsentans personam: consequenter principaliter Deum agere per Exorcistam tanquam instrumentum suum animatum, & non obedire Ministro Christi, est non obedire Deo. Quòd si autem energumenus, aut alius vexatus objiciat, dæmonem non semper obedire, prout fortè ab experientia notum habet. Respondendum erit, id ob indispositionem ipsius vexati, & fortè etiam ipsius Exorcistæ fieri: sicut quandoque verba absolutoria non remittunt peccata, licèt aliàs infallibilem habeant effectum.

Secundò moneat, ut in omnibus tum interioribus, tum exterioribus actionibus nutui Exorcistæ se conformet, eique omnes diabolicas tentationes sive ad peccata inducentes, sive ab obedientia revocantes,

sive à monitis distrahentes &c. sincerè & fideliter aperiat: semper enim adversarius generis humani tamquam leo rugiens circuit, ut dispositiones prævias, atque ita actualem expulsionem impediat. Exorcistæ autem munus erit, eundem non duntaxat audire patienter, sed in vera fide & fiducia stabilire & confortare.

Tertiò moneat, ut omni conatu dictis & præceptis Exorcistæ attendat, nec ullo modo ad alia divertatur. Propterea Exorcista ordinariè suam instructionem per modum dialogi instituat, ita ut vexatus ob responsiones desuper dandas magis reddatur attentus: secùs enim, si Exorcista de DEO, ejusque misericordia loquatur, vexatus ad diabolum, aliaque vana & inutilia cogitatum dirigit.

Quartò moneat, ne tempore Exorcismi sive probativi, sive cujuscunque alterius quocunque modo Exorcistæ repugnet, nec diabolo quodcunque tandem suggerenti attentas præbeat aures, sed potiùs & ipse vera fide & fiducia Deum invocet, & simul in corde illud dæmoni præcipiat, quod Exorcista præcipit.

N. 202 Dico 2. Exorcista ex sequentibus signis dignoscere poterit vexatum circa pertinentia ad se ipsum benè esse dispositum. 1. Si de sua liberatione vultu hilari tanquam de re certa loquatur, seque præparet ad ea exequenda, quæ facta expulsione fieri vellet. 2. Si

2. Si ei reverentiam exhibeat, eique gratias de habitis secum laboribus agat: quòd si enim eundem horreat, vilipendat, adhuc diabolus principatum obtinet, sicque certè indispositus erit. 3. Attendat, an obviam sibi factus lætitiæ signa ostendat, quove desiderio liberationem petat. Quippe si remissus sit, tepidus & negligens, de sua liberatione non esse solicitus convincitur. 4. Observet, an dæmones in omnibus sine contradictione sibi sint subjecti: si enim quoad prævias dispositiones inobedientes fuerint, quoad expulsionem ipsam difficiliùs obedientes erunt. Poterit ergo quandoque præcipere dæmoni, ut levem sive in toto corpore, sive in certa duntaxat corporis parte vexationem causet, & iteratò præcipere in SS. Nomine JEsu, ut illicò desinat, secundùm dicta cap. 1. q. 3.

Quare pro commoditate loci & temporis sequentes linguâ maternâ poterit formare quæstiones: N. 203

Glaubt ihr, daß ich sey ein rechtmäßiger Diener GOttes, und seiner Heil. Kirchen, welcher Macht und Gewalt hat alle Teuffel von denen Menschen, und allen seinen Sachen zu vertreiben? Quòd si hæsitaverit, vel se nescire responderit, non est ullatenùs probatus. Si verò affirmativè responderit, addat:

Glaubt ihr ebenfalls, daß mir von GOtt und seiner H. Kirchen ein solcher Gewalt gegeben, daß, was ich im Namen GOttes thue,

GOtt selbsten durch mich würcket. Responsio necessariò est affirmativa. Sed addat:

Aber glaubt ihr auch, daß, wann ich jetzund disen Augenblick dem Teuffel solte befehlen auszufahren, er mir alsobald würde gehorsamen, indem ich an statt GOttes solches verrichte. Si dubius fuerit, non est benè probatus: Econtra, si promptè alacri mente, & vultu hilari affirmativè respondeat, benè probatus erit.

Quæstio quarta.

Quomodo vexatus instruendus sit adversùs dæmones, & quomodo dignoscendum, eum verè esse probatum?

N. 204. Dico 1. Energumenus vel maleficiatus de sequentibus adversùs dæmones instruendus est.

Primò, etsi dæmonum potentia in actu primo sit maxima, cui nullus homo in puris naturalibus constitutus resistere, vel quoad potentiam comparari queat, hanc nihilominus potestatem quoad actum secundum esse ligatum, ùt multis probavimus suprà cap. 2. q. 4.

Secundò moneat Exorcista energumenum, dæmonem non omnia illa posse, quæ sua sibi malitia suggerit, sed illa duntaxat, quæ divina

vina permittit providentia; alias siquidem unus dæmon absque multo labore omnes interficeret homines: imò quandoq; unum dæmonem ex ultima & infima hierarchia majora damna, & acriores torsiones DEO permittente posse producere, quàm plurimi dæmones ordinis superioris.

Tertiò doceat, diabolo omnem esse sublatam potestatem in Dei servos veram in Deû confidentiam habentes, prout pluribus probatum est suprà c. 2. q. 4. Econtra potestatem ejus esse relaxatam in omnes filios diffidentiæ, ita, ut per diffidentiam aliaque peccata ipsi arma vexandi præbeantur, ùt denuò suprà l. c. est clare probatum.

Quartò instruat, dæmonem, licèt per suggestiones suas hominem sæpè seducat, nullam tamen habere potestatem eum necessitandi, vel cogendi ad peccata, ùt denuò. l. c. dictum.

Quintò excitet energumenum ad horrorem & odium diaboli concipiendum: ostendat, quàm turpe sit hominem esse habitaculum spiritûs infernalis, qui creatus est, ut sit habitaculum Spiritûs Sancti: item, quàm suavis & dulcis, quàm utilis & fructuosa sit inspiratio Spiritûs Sancti per gratiam inhabitantis, econtra, quàm gravis & terribilis, quamque noxia continua fermè inspiratio spiritûs maligni, tam frequenter ad diversi generis peccata committenda allicientis.

Dico 2. Exorcista ex sequentibus colligere poterit vexatum adversùs dæmonem esse benè probatum. 1. Si divina protectione fretus dæmonem ampliùs non timet, sed eundem contemnit, variis opprobriis afficit. vilitatem ejus & imbecilitatem in Dei servos exprobrat, benè probatus est. Econtra, si ad minimos terrores contremiscat, solus ambulare timeat &c. non est probatus. Perfecta enim in Deum confidentia omnem expellit timorem. 2. Si dæmonem omninò nihil facit, sed, si de potestate ejus sermo est, tantùm subrideat, atque nullam esse dicat in servos Dei, benè est probatus. Econtra si dæmonis potestatem etiamnum in actu secundo maximam esse credat, de ea cum timore & tremore loquatur, non est probatus. 3. Si tentationi & suggestioni diabolicæ non attendat, nec curet eandem, benè probatus est: secùs, si multùm adhuc attendat, & debiliter ei resistat. 4. Si vexatus tantum suprà dæmones imperium aquisierit, ut per præceptum in SS. Nomine JEsu factum mox vexationem ortam reprimat, vel si aliàs diabolus sibi aliquid præcipienti mox obedit, benè probatus est: Econtra, si dæmon sibi aliquid præcipienti non obedit, aut si ipsemet jussus ab Exorcista dæmoni præcipere metuat, non est benè probatus, præceptum quippe in SS. Nomine JEsu verâ confidentiâ factum tantæ est efficaciæ, ut subitò

bitò omnem diabolicam vexationem reprimat, prout multis in progressu diximus. 5. Si persona multum adhuc à diabolo vexatur & torquetur, non est benè probata: Econtra, si quasi ab hospite maligno liberata, omnia tum spiritualia, tum naturalia liberè persolvit, benè probata: nam, ùt suprà c. 2. q. 4. dictum, dæmon nullam habet potestatem vexandi, vel torquendi Dei servum veram confidentiam habentem.

Quæstio quinta.

Quomodo vexatus instruendus sit erga se ipsum, & quomodo dignoscendum, eum esse benè probatum?

Dico 1. Energumenus vel maleficiatus quàm diligentissimè de pertinentibus ad se ipsum instruendus est in sequentibus. N. 206

Primò, quod, postquam Exorcista probatione facta certum de possessione, vel maleficio judicium tulit, ipse neutiquam repugnare debet, credendo infirmitatem esse puram naturalem, vel à causa naturali procedentem. Hoc enim credendo firmam concipere fiduciam non posset de dæmone ejiciendo, pugnarétque non contra dæmonem, sed contra Exorcistam, cujus judicio resistit.

Secun-

Secundò, cùm ordinariè secundùm dicta superiùs cap. 2. q. 2. homo ob culpam præcedentem possideatur, licèt etiam fieri possit, *ut manifestentur opera Dei in illo* Jo. 9. v. 3. ordinariè vexationē illam justè ob peccata sua eveniſſe, credere, & confiteri debeat, atque imposterum omnia adhibere remedia ad meliorem vitam opportuna & necessaria.

Tertiò, ad præcavendum peccatum odii & vindictæ. nunquam suspicionem habeat, minùs diabolo dicenti credat, operâ hujus, vel illius malefici eveniſſe infirmitatem: cùm enim diabolus non nisi peccatum intendat, hoc medio facillimè personam in fide sibi præstanda facilem, suam in nassam pertrahet. Quinimò, licèt fortè quacunq; ex causa nôsset maleficum seu maleficiantem, eidem non tantùm ex corde ignoscat, sed pro ejusdem conversione constantibus precibus Deum efflagitet, parùm curans, an maleficii sustulerit, an verò nova ponere paratus sit: potest quippe divina, cui plenè confidit, infinities major est omnibus diabolicis machinamentis.

Quartò, studeat plenariè suas refrænare passiones, præsertim iræ, invidiæ, libidinis, tristitiæ, diffidentiæ, desperationis &c. His enim refrænatis pabulum diabolo est subtractum. Specialiter autem studeat omnem ex corde suo excludere melancholiam, hæc enim sedes, hæc fomentum, hæc pabulum est malignorum spirituum.

Quin-

Quintò, certò credat, se, absente etiam Exorcista, non tantùm posse resistere dæmoni, sed facili negotio omnes eliminare diabolicas vexationes per præceptum in SS. Nomine JEsu factum, ùt in dies experientia comprobat: & sæpiùs in progressu dictum est.

Sextò, sæpissimè actus fidei & fiduciæ eliciat, aliaque secundùm dicta superiùs cap. 5. q. 3. faciat.

Septimò, pro certò teneat, quòd in ejiciendis dæmonibus nulla sit difficultas, tam parùm quippe integra legio, quàm unicus divinæ potest resistere potestati. Quòd verò quandoque facillimè, quandoque non nisi magnis adhibitis conatibus ejiciantur, difficultas non est ex parte ejectionis, sed ex parte præviæ dispositionis: illa enim certa est & infallibilis, hæc sæpè pro qualitate personarum difficillima.

N. 207.

Dico 2. Ex sequentibus signis dignosci potest personam vexatam etiam erga se esse benè dispositam. 1. Si sit à passionibus libera, mente tranquilla, conscientia quieta, intellectu non confusa, locutione libera, denique, nisi infirmitate naturali laboret, omnibus potentiis & sensibus benè constituta: sæpè tamen, ubi infirmis as creditur esse naturalis, vexatio est diabolica. 2. Si liberationis suæ maximum habeat desiderium, atque frequenter pro acceleratione ejusdem roget, & insistet. 3. Si sæpiùs actus fidei & fiduciæ eliciat, nec solicitè timeat, difficilem

lem futuram expulsionem: talis enim erit expulsio, qualis confidentia: si ergo confidentia non expellat timorem futuræ difficultatis, certè expulsio difficilis erit. Unde poterit quandoque Exorcista confidentiam ejus exploraturus quærere, quot credat horas insumendas in ejectione diabolica? nam si plures Exorcismos pluribus etiam horis necessariò continuandos putaret, perfectè disposita non esset, neque expulsio facilis, sed difficillima foret: uti sæpiùs dictum.

Quæstio sexta.

Quomodo dæmon Exorcistæ resistens sit coëcendus?

FRequentissimum est, dæmonem omnibus viribus Exorcistæ resistere, magisque torquere personam in præsentia ejusdem, quàm in absentia: quinimò, si Exorcista personam vexatam invisurus ex loco domicilii sui pedem moveat, id dæmon advertens subitò personam torquet & vexat, ita, ut ejusdem adventum facilè conjicere queat, velut frequens experientia docet: hoc autè astutissimus spiritus non alium in finem facere videtur, quàm ut personam in fide & fiducia debilitatam totaliter ab Exorci-

orciſta avertat. Quare, ut Exorciſta reſiſtentem dæmonem coërcere, ſibique ſubjugare queat.

Dico 1. Dæmon Exorciſtæ reſiſtens du- N.208
plici gladio ex utraque parte acutiſſimo compeſci, & coërceri poteſt, & debet. *Primus* aliud non eſt, quàm præceptum lenitivum in SS. Nomine JEſu factum, & ſuperiùs cap. 1. q. 3. deſcriptum; hoc enim ceu fulgur de cœlo veniens eundem proſternit. *Alter* eſt objurgatio coërcens ſuperbiam ejusdem.

Objurgatio autem aliud non eſt, quàm N.209
operationum dæmonis per objectionem veritatis Catholicæ reprehenſio, ejusdem coërcens ſuperbiam & potentiam diminuens. De qua locutus videtur D. Paulus Epheſ. 6. dicens: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritûs, quod eſt verbum DEI.* Quaſi dicenret: licèt dæmon ſceleſtiſſimus ſuggeſtionibus & tormentis ſuis inſtar ignis hominem inflammet, & torqueat, vos Chriſtiani milites veram fiduciam ceu galeam ſalutis aſſumite, quæ caput veſtrum ſervet, & ſalvet. Aſſumite pariter gladium ſpiritûs, ſeu verba veritatis æternæ: hoc enim gladio Chriſtus vicit, & jugulavit dæmonẽ ſe tentantem & oppugnantem Matth. 4. Hoc gladio uſi ſunt Sancti omnes tum Apoſtoli, tum

Mar-

Martyres, tum Confessores, tum denique Virgines & Viduæ.

Potest autem objurgatio ex duplici potissimum fonte desumi, videlicet *primò* objiciendo diabolo veritates de Christo revelatas, & *secundò* objiciendo veritates de B. Virgine revelatas: quibus etiam addi possent veritates de SS. cum Deò regnantibus revelatas, vel alias certò notas.

N. 310. Porrò objurgatio fieri debet ab Exorcista ceu Judice sedente, non legendo, sed voce sonora ac aspera adversùs dæmonem, capite cooperto, vultu minaci, ac Majestate terribili ad dæmonem increpandum ac vilipendendum: atque, nisi dignitas personæ, infirmitas, aut alia ratio legitima obstet, personâ coram se genuflexâ, ac caput in terram usque inclinante, ita, ut Exorcista leviter, breviqúe tempore pede caput ejus, quasi caput diaboli conculcet. Poterit autem voce materna has vel similes ex primo fonte petitas formare objurgationes:

Sihe vermaledeyter Teuffel, der du im Himmel hast wollen auffsteigen, über die Sternen GOttes deinen Thron erhöhen, und gleich seyn GOTT dem Allerhöchsten, jetzt liegst du unter den Füssen eines armen Diener GOttes. So sage heraus du in Ewigkeit vermaledeyter Geist, erkennest du auch GOtt deinen HErrn?

Erken-

Erken[illegible]r GOttes zu
seyn, un[illegible]höchsten Ge-
walt? N[illegible]sten Gaaden
und Gn[illegible]wegen deiner
Hoffart [illegible]mmel verstos-
sen, und i[illegible]nuß in Ewig-
keit verb[illegible]worden?

Sihe abscheulicher Höllen-Drach der Mensch zu dem Ebenbild GOttes erschaffen, durch das kostbariste Blut CHristi JEsu erlöset, kan annoch grosse Gnaden erlangen, und die ewige Glückseeligkeit im Himmel genüssen: du aber bist arm und elend in alle Ewigkeit von dem Angesicht GOttes verstossen und verworffen: Erkenneſt diſes?

Erkenneſt du, daß CHriſtus JEſus unſer Göttlicher Heyland durch ſeine H. Marter und Todt dir allen Gewalt benommen über ſeine Diener, welche alleinig zu Ihm ihr Vertrauen und Zuverſicht haben?

Erkenneſt du auch, daß dem allerheiligſten Namen JEſus ein ſolcher Gewalt gegeben, daß alle Teuffel in Ausſprechung deſſelben ihre Knye müſſen biegen, und ſich neigen, daß du nit vermagſt denenjenigen zu ſchaden, welche denſelbigen mit Andacht anruffen?

Erkenneſt du auch der Kirchen GOttes einen ſolchen Gewalt gegeben zu ſeyn, dem alle Teuffel nit können widerſtreben?

Erkenneſt du auch, daß ob ich ſchon ein ſündiger Menſch, dannoch Macht und Ge-

Erkennest du dich ein Creatur GOttes zu seyn, unterworffen seinem allerhöchsten Gewalt? Bist du nit mit herrlichsten Gaaben und Gnaden erschaffen, von wegen deiner Hoffart aller entraubet von Himmel verstossen, und in die ewige Verdammnuß in Ewigkeit verbannet worden?

Sihe abscheulicher Höllen-Drach der Mensch zu dem Ebenbild GOttes erschaffen, durch das kostbarliste Blut CHristi JEsu erlöset, kan annoch grosse Gnaden erlangen, und die ewige Glückseeligkeit im Himmel genüssen: du aber bist arm und elend in alle Ewigkeit von dem Angesicht GOttes verstossen und verworffen: Erkennest dises?

Erkennest du, daß CHristus JEsus unser Göttlicher Heyland durch seine H. Marter und Todt dir allen Gewalt benommen über seine Diener, welche alleinig zu Ihm ihr Vertrauen und Zuversicht haben?

Erkennest du auch, daß dem allerheiligsten Namen JEsus ein solcher Gewalt gegeben, daß alle Teuffel in Aussprechung desselben ihre Knye müssen biegen, und sich neigen, daß du nit vermagst denenjenigen zu schaden, welche denselbigen mit Andacht anruffen?

Erkennest du auch der Kirchen GOttes einen solchen Gewalt gegeben zu seyn, dem alle Teuffel nit können widerstreben?

Erkennest du auch, daß ob ich schon ein sündiger Mensch, dannoch Macht und Ge-

walt habe, als ein Diener Christi und seiner H. Kirchen dich auszutreiben?

Has & similes objurgationes plures Exorcista voce aspera, & vultu minaci dæmoni objicere poterit, & trementem videbit, & ejulantem audiet; Cùm sola harum & similium veritatum recordatio toti inferno sit terribilis. Poterit etiam post quamlibet in Nomine JEsu præcipere, ut veritatem edicat: quidquid enim responderit, Exorcista occasionem sumet eum magis, magisque objurgandi. Insuper etiam in pœnam, & vindictam præteritarum vexationum præcipere juvabit, ut dæmon in extremitatem linguæ, & labiorum ascendens, vel terram, vel quinque Crucifixi vulnera osculetur &c. quæ omnia superbissimum caput mirè deprimunt.

N. 212. Maximæ pariter efficaciæ sunt objurgationes ex secundo fonte, videlicet ex veritatibus de B. Virgine Maria revelatis, desumptæ. Quare poterit Exorcista Imaginem B. Virginis tenens, præcipere dæmoni, ut fixîs oculis eandem aspiciat, ac benè consideret. Quo facto has poterit proponere objurgationes.

Erkennest du vermaledeyter Drach die Mutter GOttes das jenige Weib zu seyn, dessen Zeichen du im Himmel gesehen?

Erkennest du, daß, obschon du sie vilmahl verfolget, doch allzeit von ihr überwunden worden?

Erken-

Erkennest du, daß sie dir deinen hoffärtigen Kopff zerquetschet, und zertretten hat?

Erkennest du auch, daß sie dich auf dem Calvari-Berg zu verbleiben gezwungen, biß dir Christus JEsus durch sein heiligstes Leyden und Todt deinen Gewalt benommen, dich zur Höllen gestossen hat?

Erkennest du auch, daß sie dir, ja der gantzen Höllen erschröcklich, uns aber ein liebreichiste Mutter, ein getreuiste Fürspreicherin seye? Und wie solltest du uns können widerstreben, indem wir leben unter dem Schutz diser H. Mutter?

Poterit etiam Exorcista in signum subjectionis præcipere dæmoni, ut pedes Imaginis B. Virginis, quibus caput ejus superbissimum contrivit, deosculetur; & tandem dæmone sic convicto, subjungere & concludere.

Cum igitur sim Minister Christi & Ecclesiæ Judex delegatus, contra te maledicte dæmon constitutus, ut ex corpore eorum, qui ad Christum & ad Ecclesiæ sinum recurrunt, te expellam, intendo, & volo mea uti authoritate & potestate, nunc à corpore istius creaturæ DEI te expellendo, ac propulsando, ita ut imposterum ad eam accedere non præsumas: Nec poteris subterfugere, quin festinanter meis obtemperes mandatis: nam mandata mea non sunt mea, sed Christi JEsu Principalis mei.

Quæstio septima.

Quomodo vexatus possit & debeat declinare & reprimere vexationes diabolicas?

PArùm Exorcista proficiet, nisi vexatus ipsemet in absentia sua dæmonis impetus declinare, & reprimere valeat: dæmon enim tamquam leo rugiens semper vigilat, ac sæpissimè suam tyrannidem in vexatum exercere tentat, atque si nullam inveniat resistentiam, facilitèr in foveam pusilanimitatis, & desperationis præcipitat. Quare, ut iste pariter laqueus conteratur & vexatus in libertatem vindicetur.

N. 213. Dico: Ut vexatus diabolicas valeat declinare, vel reprimere vexationes, sequentia consideret:

1mò. Sæpiùs attentè recogitet, vel cum alia persona colloquatur de doctrina sibi per Exorcistam instillata, atque superioribus quæstionibus tradita, & explicata.

2. Nullô modô diabolicis suggestionibus attendet, nec priores passiones recogitet, sed animum suum totaliter ad necessaria, & utilia applicet: quod, ut commodiùs fiat, optimum erit, nunquam esse solitarium, nunquam tristem, nunquam melancholicum, sed ordinariè in præsentia alicujus piæ personæ honestis operationibus occupatum.

3. Si

3. Si al... ...n sentiat vexationem, a... ...n protectorem suum elev... ...is vera fide, & fiducia, p... ...SS. Nomine JEsu factum ... dicendo?

O mein ... Christi JEsu, du mein ei... ...rlöser, und Beschützer! a... ...beschütze mich von allem te... ...: verhindere alle teuffliſche ... ...er über mich zu verüben bege...

Und du ... Höllen-Drach, du Abtrinniger von deinem, und meinem GOtt, durch was für einen Gewalt erkühneſt du dich mir einigen Schaden zuzufügen, indem ich lebe unter dem Schutz JEsu und Mariä? Dahero durch den Gewalt, den mir Chriſtus JEſus verlyhen und gegeben, befihle ich dir durch den allerheiligſten Namen JEſus, daß du alſobald nachlaſſeſt von aller Plag, von allen Schmertzen ꝛc.

4. Afflictus nullatenus cor ſuum applicet ad afflictiones, quas patitur, ſed toto conatu eluctari ſatagat, ſpem omnem in Deo collocans, qui eſt via, veritas & vita noſtra.

5. Sæpiùs, imò ſæpiſſimè recitet aliquos ex Scriptura verſiculos ad fidem eliciendam excitantes v. g. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, à quo trepidabo*? Hæc & alia ſuprà præſcripta diligenter obſervans brevi tempore perfectè diſpoſitus erit.

3. Si aliquam diabolicam sentiat vexationem, animum ad DEum protectorem suum elevet, diaboli impetus vera fide, & fiducia, per præceptum in SS. Nomine JEsu factum, reprimat v. g. dicendo?

O mein HErr und GOtt Christi JEsu, du mein einiger Erschaffer, Erlöser, und Beschützer! ach bewahre, und beschütze mich von allem teufflischen Gewalt: verhindere alle teufflische Boßheit, welche er über mich zu verüben begehret.

Und du verdamter Höllen-Drach, du Abtrinniger von deinem, und meinem GOtt, durch was für einen Gewalt erkühnest du dich mir einigen Schaden zuzufügen, indem ich lebe unter dem Schutz JEsu und Mariä? Dahero durch den Gewalt, den mir Christus JEsus verlyhen und gegeben, befihle ich dir durch den allerheiligsten Namen JEsus, daß du alsobald nachlassest von aller Plag, von allen Schmertzen ꝛc.

4. Afflictus nullatenus cor suum applicet ad afflictiones, quas patitur, sed toto conatu eluctari satagat, spem omnem in Deo collocans, qui est via, veritas & vita nostra.

5. Sæpiùs, imò sæpissimè recitet aliquos ex Scriptura versiculos ad fidem eliciendam excitantes v. g. *In te Domine speravi, non confundar in æternum. Dominus illuminatio mea, & salus mea, à quo trepidabo*? Hæc & alia suprà præscripta diligenter observans brevi tempore perfectè dispositus erit.

Quæstio Octava.

Quænam sint speciales suggestiones quibus dæmon energumenum in actu liberationis invadere soleat?

N. 214. Dico: Suggestiones, quibûs dæmon energumenum invadere solet, tum sub instructione & probatione, tum etiam sub ipso liberationis actu, sunt innumeræ, eæque subtilissimæ, atque adeò personæ vexatæ fideliter aperiendæ. Potissimæ autem videntur sequentes.

1. Quòd dæmon se tantùm fingat exire, quin verè exeat, sicut sæpè jam ita occultè in corpore latuit, quasi non adesset.

2. Quòd verè quidem sit exiturus tempore à Deo determinato v. g. tribus diebus ante mortem: de facto tamen nondum advenisse horam illam.

3. Quòd DEus per illam expulsionem magis velit glorificari: adeóque non ita privatim, sed publicè in loco miraculis claro fieri debeat.

4. Quòd hæc sit pœna & supplicium peccati antecedenter commissi, quæ pœna nondum plenè est exsoluta.

5. Quòd etiam animæ purgantes multa à dæmonibus sustineant ad plenè satisfaciendum

dum divinæ justitiæ: consequenter etiam ille sustinere debeat.

6. Quòd dæmon sit pertinacissimus, & certò non exiturus, sed potiùs totum infernum suum in auxilium vocaturus.

7. Quòd velit personam ante exitum suum omnino interficere & mactare.

8. Quòd energumenus non sit sufficienter dispositus propter occultum latens, & nunquam clavibus Ecclesiæ subjectum peccatum.

9. Quòd Exorcista nimiùm extendat, & jactet potentiam suam, cùm tamen nullam, vel parvam admodùm habeat: nec benè sit dispositus.

10. Quòd post factum clarè videbitur creaturam non esse liberatam, quia eadem symptomata, eosdémque patietur effectus.

11. Quòd si expellatur, in Parentes, filios, aut alios consanguineos intrare velit.

12. Quòd se in capillis, vestimentis, aut alia corporis parte abscondere, & ita latere velit.

13. Frequenter etiam blanditiis aggreditur, commiserationem hominum secum habitam præfigurat, spondétque se nullum amplius malum, sed bonum causaturum, si in corpore relinquatur.

14. Quòd post ejectionem suam varios timores tum per se, tum per sagas, & maleficos sit incussurus, quibus impossibile erit resistere.

15. Quòd post exitum mox iterum sit rediturus, dummodo ab Exorcista sit sequestratus.

16. Quòd expelli nequeat, nisi maleficii signis perquisitis.

17. Quòd sagæ diu noctûque insidientur vexato; licèt ergò semel perfectè liberetur, mox iterum maleficio inficietur.

18. Quòd dæmones in corpore illius sint plurimi etiamnum absconditi: licèt ergò quidam, certò tamen non omnes expellentur.

Hæ sunt potissimæ suggestiones, quibus dæmon vexatum invadere solet. Quare, cùm jacula prævisa minùs feriunt, & nos tollerabiliùs mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur, bonum & consultissimum erit, has & plures similes prævie ab Exorcista proponi vexato, eásque contemni, & vilipendi.

Quæstio nona.

De actuali expulsione dæmonis.

N. 215. CUm Exorcista personam benè in omnibus secundùm præscriptam doctrinam viderit dispositam, atque ardenter expulsionem dæmonis efflagitantem, sequentes observet regulas.

Primò, Secundùm monitum Ritualis Frisingensis de exorcizandis obsessis à dæmonio

§. 6.

§. 6. *in Ecclesiam, si commodè fieri potest, vel alium Religiosum, & honestum locum seorsim à multitudine perductus energumenus exorcizetur: sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta de causa, in domo privata exorcizari poterit.* Hæc Rituale. Porrò honestam reputo causam. 1. Si possessio personæ sit hominibus occulta: si enim publicè in Ecclesia exorcizatur, lædi ex parte videtur fama ejusdem. 2. Si magnus fortè futurus prævideretur strepitus, cùm tamen in loco honesto omnia possint fieri pacificè 3. Si licentia difficulter videatur impetranda. Locus nihilominus privatus sit decenter effigie Crucifixi, B. Virginis, aut alicujus alterius Sancti cum luminibus ardentibus instructus.

Secundò. Optimum est Exorcismum facere post Sacrificium Missæ Deo oblatum, & personâ S. Synaxi provisâ: tunc enim homo magis in fide, & fiducia meritò præsumitur confortatus.

Tertiò. Decens, imò in Ritualibus præscriptum est, ut Exorcista sit super peliceô, & Stolâ indutus, licèt neutrum sit absolutè necessarium.

Quartò. In loco Exorcismi faciendi præsentibus vexati consanguineis, vel domestiscis, aut aliis personis spiritualibus, Exorcista personæ vexatæ breviter in memoriam accepta à Deo beneficia revocet: insidias videlicet diaboli detectas, ejus vires respectivè per Dei potentiam sublatas, remedia ejusdé

impetus reprimendi comunicata, prout ipsamet persona in progressu instructionis est experta: atque adeò nil ultrà restare, quàm actualem dæmonis expulsionem, etiam certò futuram; quia non homo, sed Deus virtute sua infinita per Exorcistam ceu instrumentum suum animatum expellit.

Quintò. Exorcista energumenum diligenter instruat, ne diabolicis suggestionibus attentas aures præbeat, quippe, si dæmon astutissimus videat, sibi omnem ademptam potestatem corpus vexandi & torquendi, ad varias tentationes & suggestiones confugit, ut iis mediantibus diffidentiam inducat.

Sexto. Jubeat, ut ipsemet vexatus fidem & fiduciam, quam corde concepisse fatetur, etiam verbis comprobet, dicendo v. g.

Ich glaub festiglich, daß gleich jetzt durch die Macht und den Gewalt GOttes der Teuffel von meinem Leib werde hinweg getriben werden, wann anderst dise Erledigung zu meiner Seelen Seeligkeit mit wird nutzlich seyn.

Septimò. Tandem pro commoditate temporis recitentur Lytaniæ Omnium Sanctorum cum orationibus sequentibus: Ac dein Exorcista quasi pro tribunali sedens ceu judex à Deo deputatus Exorcismum voce gravi, ac Majestate plena, non tamen nimis clamorosa pronuntiet; nam ut optimè agnoscit

noscit D. Ambrosius in Psalm. 11. *adversus diabolum non vocis magnitudine, sed magnitudine cordis utendum est.*

In fine Lytaniarum dicitur Antiphona.

NE reminiscaris Domine delicta nostra vel Parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster &c. ℣. Et ne nos inducas &c. ℟. Sed libera &c. ℣. Salvum fac servum tuum. ℟. DEus meus sperantem in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A. facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Domine exaudi orationem meam ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. N. 216.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (famulam tuam) quem (quam) delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Domine Sancte Pater, Omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri JEsu Christi, qui

qui illum refugam, tyrannum & apostatam gehennæ ignibus deputâsti, quique Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret: velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano Da. Domine terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit, Deum non novi, nec Israël dimitto. Urgeat illum dextera tua potens discendere à famulo tuo N. (à famula tua N.) ne diutiùs præsumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti: qui tecum vivit & regnat &c. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum DEI Patris, Christe JEsu, Deus & Dominus universæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: dæmones effugate: Cujus virtute motus tanquam fulgur de cœlo satanas cecidit: tuum sanctum Nomen cum timore & tremore suppliciter deprecor, ut indig-

indigniſſimo mihi ſervo tuo, datâ veniâ omnium delictorum meorum, conſtantem fidem & poteſtatem donare digneris: ut hunc crudelem dæmonem, brachii tui ſancti munitus potentiâ fidenter & ſecurus aggrediar, per te JEſu Chriſte, Domine DEUS noſter, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens ſe & obſeſſum ſignum crucis, circumpoſita parte ſtolæ ad collum ejus, & dextrâ manu ſuâ capiti ejus impoſitâ, conſtanter, & magna cum fide dicat ea, quæ ſequuntur.

℣. Ecce Crucem † Domini, fugite partes adverſæ. ℟. Vicit leo de tribu Juda radix David.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, invoco nomen ſanctum tuum, & clementiam tuam ſupplex expoſco, ut adversùs hunc, & omnem immundum ſpiritum, qui vexat hoc plaſma tuum, mihi auxilium præſtare digneris. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Exor-

Exorcismus ad dæmonem ab Energumeno expellendum.

N. 217. COntra te maledicte dæmon (vel si plures estis) contra vos, spiritus immundi, apostatici, qui Dominum DEum vestrum dereliquistis, & oblivi estis DEI Creatoris vestri, constitutus sum à DEO ego N. Minister Christi, & Ecclesiæ; ideò auctoritate, quam accepi à Deo, & ab Ecclesia in Ordine Exorcistatus, in Nomine Sanctissimæ Trinitatis, & in virtute Domini nostri JEsu Christi præcipio vobis omnibus & singulis, ut in omnibus, quæ nunc vobis præcepero, sine ulla mora ad amussim mihi obediatis.

Præcipio ergò vobis eadem auctoritate, quòd in exitu vestro non audeatis vos, nec quicunq; alii dæmones aliquod malum facere, vel nocumentum inferre isti creaturæ, nec mihi, nec adstantibus, nec quibuscunque aliis creaturis, tam animatis, quàm inanimatis, quinimò in exitu vestro vobiscum trahatis omnes vestras diabolicas infectiones, ac removeatis omnia noxia, quæ huc usque

usque sive extrinsecè, sive intrinsecè intulistis corpori istius creaturæ: ac destruatis omnia maleficia, facturas, ac ligaturas, quas fecistis contra hanc creaturam DEI.

Audite ergò spiritus rebelles, & apostatici ultimum meum præceptum, quod illicò ac festinanter adimplere debetis: eadem auctoritate, qua suprà in virtute sanctissimi nominis Domini nostri JEsu Christi præcipio vobis, dæmones infernales, ut exeatis è corpore istius creaturæ Dei, & totaliter ab ea recedatis, ita, ut non ampliùs habeatis potestatem nocendi ei intrinsecè, neque extrinsecè, nec ullô modô eam perturbandi infirmitatibus, timoribus, visionibus, apparitionibus, nec aliis quibuscunque modis. Exite ergò spiritus immundi; sic volo, sic jubeo vobis, ùt Minister Christi, & Ecclesiæ. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

Completô, atque sic formatô Exorcismô jubeat Exorcista surgere energumenum, atque edicere, quomodo se habeat, & num se libe- N. 218.

liberum sentiat, & credat, vel quomodo dæmonem à se exisse adverterit: ab aliquibus enim exire solet per modum fumi fœtidi, ab aliis per modum lapidis subitò à corde avulsi, ab aliis per modum plumbi decidentis, ab aliis diversis aliis modis.

Quodsi patiens se non liberatum crederet, sed actualem fortè vexationem sentiret, pro tunc ob indispositionem ipsius vel foret cessandum, vel certè magis in fide & fiducia roborandus esset, atque Exorcismi ab Ecclesia præscripti, & in Ritualibus passim inveniendi, juxta dicta suprà cap. 4. q. 11. faciendi.

Econtra, si vultu hilari se verè & sine dubio liberatum dicat, Exorcista pariter eidem suam mentem conjungat: nihilominus tamen, ut certiùs illud constet, probam veri, vel fictitii tantùm exitûs capiat, atque hunc in modum priùs vexatum interroget;

So glaubt ihr dann festiglich, daß GOtt durch sein unendliche Barmhertzigkeit euch von dem höllischen Drachen erlediget und befreyet hat?

Quo affirmativè vultu hilari respondente, superaddat:

Damit ihr aber gewiß versicheret seyet euerer Erledigung, und GOtt desto eyffriger Danck sagen könnet, so wolt ihr auch, daß ich die Prob mache, dem Teuffel, im Fall er noch

noch einen G[illegible] aben, be-
fehle, euch [illegible] und zu
plagen?

Si deuò su[illegible]n, pro-
bam his, & si[illegible]guâ ma-
ternâ sive latin[illegible]

Et egò, lic[illegible]redam,
hanc creaturam [illegible]er à dæ-
mone liberam, [illegible]t nobis
hoc ipsum ad ma[illegible]em cautelam certius
constet, iterum, ùt minister Christi,
& Ecclesiæ in Nomine JEsu Christi præ-
cipio vobis omnibus & singulis dæmo-
nibus, ut, si adhuc aliquam, in hanc
Dei creaturam potestatem habeatis,
statim detis mihi signum evidens vestræ
potestatis ac præsentiæ, aliquam in ea
causando vexationem earum, quas pri-
ùs causare consueveratis.

Si dæmon adhuc præsens sit, haud dubiè
præcepto resistere non poterit, sed petitam
causabit vexationem: & tunc, ùt mox su-
prà dictum, procedendum. Si verò nul-
lum det signum certum suæ possessionis, nec
ullam causet vexationē, de liberatione per-
fecta non erit dubitandum. Sed Deo pro
tanto beneficio gratiæ ab omnibus adstanti-
bus hâc vel simili formâ agēdæ: O mein Herr

noch einen Gewalt über euch solle haben, befehle, euch abermahl zu peynigen, und zu plagen?

Si deuò suum præstet assensum, probam his, & similibus verbis sive linguâ maternâ sive latinâ capiat, dicendo:

Et egò, licèt probabiliter credam, hanc creaturam Dei esse totaliter à dæmone liberam, nihilominùs, ut nobis hoc ipsum ad majorem cautelam certius constet, iterum, ùt minister Christi, & Ecclesiæ in Nomine JEsu Christi præcipio vobis omnibus & singulis dæmonibus, ut, si adhuc aliquam, in hanc Dei creaturam potestatem habeatis, statim detis mihi signum evidens vestræ potestatis ac præsentiæ, aliquam in ea causando vexationem earum, quas priùs causare consueveratis.

Si dæmon adhuc præsens sit, haud dubiè præcepto resistere non poterit, sed petitam causabit vexationem: & tunc, ùt mox supra dictum, procedendum. Si verò nullum det signum certum suæ possessionis, nec ullam causet vexationē, de liberatione perfecta non erit dubitandum. Sed Deo pro tanto beneficio gratiæ ab omnibus adstantibus hâc vel simili formâ agēdæ: O mein Herr

und GOtt, Christe JEsu! dir sage ich tausendfältigen Danck von Grund meines Hertzens, daß du dich durch deine unendliche Güte und Barmhertzigkeit gewürdiget hast, mich von dem höllischen Drachen zu erledigen: Aber anjetzo bitte ich auch demüthigist, du wollest mich hinfüro beschützen und bewahren von allem teuflischen Anfall und Gewalt, dann ich bin gäntzlich gesinnet hinfüro zu leben, und zu sterben unter dem Schutz, und Schürm deß allerheiligsten Namen JEsus, welcher sey gelobt, und gepriesen in Ewigkeit ꝛc.

Postea dicatur Hymnus SS. Ambrosii & Augustini *Te DEum Laudamus &c.* Quo finito Exorcista legat sequentia.

℣. Confirma hoc DEus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus præstas auditum, pro beneficio accepto,

to, votisque susceptis gratias agimus, te piissimè deprecantes, ut per tuam piissimam misericordiam à cunctis eripi mereamur adversis. Per Christum Dominum nostrum.

Oremus.

GRatias agimus tibi, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne DEus: gratias agimus tibi Christe; Verbum æterni Patris: gratias agimus tibi Spiritus alme: gratias agimus Sanctis omnibus, tum Angelis, tum hominibus, quia omnipotenti virtute Dei elisus est draco. Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, miserere famulo tuo N. à diabolica potestate liberato, & in ejus adjutorium sanctum dirige Michaëlem, qui eum protegat, visitet, atque defendat ab omnibus inimicis suis. Qui vivis & regnas &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus; qui liberare dignatus es hunc famulum tuum N. à vexatione sathanæ, & ministrorum ejus, mitte in eum septiformem Spiritum sanctum paraclytum de cœlis.

Quæsumus omnipotens Deus, famulum tuum N. propitius respice: ut te largiente regatur in corpore, & te servante custodiatur in mente. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Posthæc Exorcista personam liberatam genuflexam pollice signans in fronte dicat: Dominus JEsus Christus apud te sit † ut te defendat: intra te sit † ut te conservet: ante te sit † ut te ducat: post te sit † ut te custodiat; ita ut dæmones non ampliùs possint nocere tibi ullô modô; sed totaliter à te recedant: super te sit † ut te benedicat, qui cum Patre & Spiritu sancto in unitate perfecta vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

Tandem adstantes aqua benedicta aspergendo benedicat dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris † & Filii, † & spiritus sancti † descendat super vos, & maneat semper. Amen.

Quæstio decima.

Quænam sint causæ regressus diabolici seu iteratæ possessionis.

ADvert. nullum esse dubium, dæmonem semel ex corpore humano expulsum, sæpè de novo reverti in illud possidendum; hoc enim sole clariùs docuit ipse veritatis Magister Matth. 12v. 43. *Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vocantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes inhabitant ibi, & fiunt novissima hominis illius*

lius pejora prioribus. Explicat hic textus regressum, & simul causam regressûs, ut mox patebit; Quare

Dico: Causa regressûs diabolici sunt peccata hominis liberati: hic enim jam per longum fortè tempus diabolicis suggestionibus magis, quàm Christo omnibus in se credentibus ac confidentibus liberationē & præservationem à dæmone pollicenti, attendendi, & credendi assuetus, facile post liberationem relabitur, ac de novo possidetur. Ita colligitur ex textu Scripturæ allegato; dicitur enim diabolus expulsus ambulare *per loca arida & inaquosa*, id est, per solitudines desertas, ùt explicat Cornelius à Lapide; qualiter S. Raphaël ligavit asmodæum in deserto superioris Ægypti Tob. 8. Vel ùt interpretatur Lyranus, Baradius, Abulensis, S. Hilarius, & Hieronymus, per gentes Baptismô aquæ nondum irrigatas; sed iis postmodum ab Apostolis, aliisque Missionariis Baptismi undâ lotis, requiem suæ malæ voluntatis non invenit, & revertitur in domum, unde expulsus est, & invenit eam *vacantem*, seu vacuam habitatore Deo, & gratia sanctificante, quin *scopis mundatam*, id est, omnibûs piis affectionibus, cogitationibus, aliisque piis exercitiis rejectis, vanæ gloriæ, aliorúmque peccatorum aulæis *ornatam* deprehendit, quasi redux ipse hospes invitatus avidè expectaretur. *Tum assumit secum septem*, id est, multos alios, *spiritus nequiores* N. 219.

res se, & intrantes habitant ibi. Confirmatur ex suprà dictis c. 5. q. 2. - - ubi B. Virgo S. Brigittæ revelavit, diabolum expulsum haud ampliùs reversurum, nisi homo liberatus resumpserit voluntatem peccandi mortaliter. Cæterum, sicut ex dictis suprà c. 2. q. 4. potissima causa derelictionis divinæ est diffidentia, ita & regressûs diabolici potissima causa est, licèt simul alia peccata gravia talis non immeritò censeantur.

Quæstio undecima.

Quænam sint communiores suggestiones & tentationes, quibus dæmon quærit regressum?

N. 220. ADvert. Cùm secundùm dicta superiùs c. 4. q. 6. Exorcista nequeat dæmonem in desertum relegare, nec in stagnum ignis, & sulphuris mittere, eundem per aliquod adhuc tempus exteriùs apud hominem, unde expulsus fuerat, remanere, omnémque movere lapidem, ut porta, quâ ingressus pateat, de novo sibi aperiatur. Quare, ut liberatus sollicitè portam domûs suæ custodire, eàmque contra diabolicos insultus præmunire sciat, dæmonis fallaciæ detegendæ sunt. Quare

N. 221. Dico, suggestiones & tentationes diabolicæ, quibus dæmon regressum quærit, diversissimæ sunt, simul & subtilissimæ, quas po-

potissimùm ex P. Brognolo desumptas adducam, utpotè quem Authorem, licèt expertissimum, non tamen omnibus obvium suppono. Quare ut verè liberatam in diffidentiæ nassam pertrahat infernalis serpens,

Primò suggerit ei, quòd reverà non sit liberatus, sed quòd dæmon præ timore Exorcistæ tantùm lateat in corpore.

Secundò, quòd diabolus, licèt exierit, jam denuò redierit: quia suggestionibus ejus assensum præbuit.

Tertiò, quòd nunquam verè vexatus fuerit, sed infirmitate duntaxat naturali laboraverit.

Quartò, quòd omnia diabolica signa nondum sint sublata, sed sub limine domûs, aliôve loco recondita, neque ex corpore humano ejecta.

Quintò, quòd modernæ suggestiones diabolicæ longè sint graviores, quàm priores torsiones & vexationes.

Sextò, quòd continuis suggestionibus ac tentationibus diabolicis diu attenta sua fragilitate resistere non possit.

Septimò, quòd jam denuò nova maleficia per illam, vel illam mulierem sint parata, quæ certissimum habebunt effectum, sicut priùs habuerunt.

Octavò, quòd non omnia sibi ab Exorcista circa fidem & fiduciam aquirendam præscripta servaverit, nec etiamnum servet media præservativa.

Nonò, quòd melius fuisset, alium consuluisse Exorcistam; imò defactò expediat adire alium, qui fortè statim cognoscet, num verè sit liberatus.

Decimò, quòd tumor ille in ventre circumcurrens, illud frigus, quod in dorso, ille dolor, quem in capite experitur, reverà sit effectus diabolicus, patefaciens dæmonem revera non exiisse, vel saltem brevi rediturum.

Undecimò, quòd imaginationes illæ horrendæ, somnia terribilia, terrores frequentes, umbræ, quas sæpè videt, signa sint vel actualis, vel proximæ futuræ novæ possessionis: Nonne (suggerit dæmon) hi ipsissimi sunt effectus, quos priùs expertus es?

Duodecimò, sæpè tempore nocturno draco infernalis tumultus excitat: vel aliàs, dum liberatus in obscuro aliquo loco solitarius est, ei pavorem & timorem incutit, ut ita perterritus vigorem animi, & confidentiam deperdat.

Decimo tertiò, quando liberatus aliqua passione iræ, odii, tristitiæ, desperationis &c. est præventus, mox diabolus grande nefas contra DEUN fuisse commissum, atque ideò omnem sibi torquendi, & vexandi licentiam de novo concessam faciliter affirmat.

Decimò quarto, sæpè in mentem revocat liberato, quantam homines ante liberationē secum

secum commiserationem habuerint, quanta bona ad ejus miseriam sublevandam contulerint, quibus liberatione facta omnibus carens, miseram cogitur vivere vitam: quare longè meliùs fore ostendit, in priorem reincidere statum, præsertim, quia dæmon certò non tantùm torquebit, quantùm priùs torserat, prout certissimè spondet.

Decimo quintò, sæpè homines maleficos mittit, suadentes infirmitatem fuisse purè naturalem, atque ideò minimè curatum, sed per Medicum, Chyrurgum, aut omninò per maleficum curabilem. Quinimò homines malefici certas denuò infirmitates præsagiunt, certóque futuras prædicunt, ut vel sic hominem liberatum in pusillanimitatis & diffidentiæ foveam præcipitem agant.

Decimo sextò, si personam frustrà exorcizatam, vel liberatam quidem, denuò tamen possessam audiat liberatus, dæmon hoc ipsissimum eidem eventurum suggerit.

Hæ sunt potiores suggestiones & tentationes dæmoniacæ, pusillanimitatem, teporem, ac tandem diffidentiam inducentes; contra quas proin liberatus clypeo præscientiæ & confidentiæ in DEum præmuniendus erit.

Dices: Si diabolus verè supponatur è corpore humano expulsus, quomodo phantasmata perturbando hominem tum ad peccandum, tum ad diffidendum de protectione divina sollicitat? Añe indistans agit,

vel certè in corpore adhuc latitat, ut interne diversa figmenta suggerere queat? *primum* passim reiicitur à Philosophis. *Alterum* non facilè concedetur Ab Exorcistis passim dicentibus, dæmonem non tantùm potestativè, ita, ut omnem amittat potestatem corpus torquendi, sed verè, physice, & realiter è corpore expelli.

R. Dæmonem verè & realiter, & non tantùm potestativè expelli è corpore humano; licèt postmodum ex permissione divinæ voluntatis concedatur eidem potestas revertendi, atque homini etiam interne diversa suggerendi, quæ nihilominus præsentia neutiquam vera possessio dici potest; aliàs quippe omnes dicerentur homines possessi.

Quæ-

Quæstio duodecima.

Quænam sint remedia à dæmonio liberatum præservandi?

QUandoquidem malignus spiritus à corpore humano expulsus omni nisu in domum suam denuò inhabitandum reverti conetur, diversissimas sumat tentandi occasiones, atque intricatissimos suggestionum laqueos tendat; omni pariter conatu porta divinæ confidentiæ repagulis custodienda erit. Quare

Dico: Ut liberatus à regressu diabolico præservetur, circa tria potissimum instruendus est, videlicet circa Deum, circa Exorcistam, & denique circa diabolum.

Circa DEum sequentia puncta benè consideret, atque in sanctam praxin deducere satagat.

1. Ne Deo pro beneficio liberationis accepto ingratus sit, sed sæpissimè, & tunc præsertim, quando diversa sibi à diabolo regressum quærente suggeruntur, ex toto corde gratias agat. Quare optimum erit in promtu brevem aliquam habere orationem; qua faciliter mentem suam ad Deum elevet. v. g.

Ich dancke dir zu tausendmal, mein HErr und GOtt, daß du mich von dem hölliſchen Drachen erlediget hast; und weilen du mein unendlich barmhertziger Vatter biſt, lebe ich

gantz

gantz getröster Hoffnung, daß du mich ebenfalls von dem Betrug der höllischen Schlangen wollest befreyen.

O mein HErr, mein GOtt und alles! wie hoch bin ich schuldig dich zu lieben, und dir zu dienen, weilen du mich durch deine unendliche Barmhertzigkeit von dem Teuffel erlediget hast.

Gelobt und gebenedeyt sey der allerheiligste Namen JEsus, durch welchen du mich, O HErr und GOtt, erlediget hast.

2. Ut promptiùs actus veræ in Deum confidentiæ elicere valeat, sæpè motiva fiduciæ suprà jam cap. 3. q. 3. proposita, attentè ruminet: habeat insuper pro captu suo aliquos S. Scripturæ textus veram fiduciam continentes, quos sæpè per diem corde, continentes, repetat. v. g.

Niemahl hat einer auf GOtt gehofft, und ist zu Schanden worden.

In dich, O HErr hab ich gehofft, und wird in Ewigkeit nit zu Schanden werden.

Ruffe mich an in dem Tag der Betrangnuß, so will ich dich erledigen, und du wirst mich erkennen.

Wann du kanst glauben, dem Glaubenden ist alles möglich.

3. Cùm dæmon potissimum per timorem regressum quærat, liberatus toto cordis affectu in Deum feratur, sæpissimè actus amoris Dei eliciendo: *Nam perfecta charitas foras mittit timorem* Jo. 1. c. 4. Et *qui manet in chari-*

charitate, in DEO monet, & DEus in eo. Ibidem.

5. Non facile inhabitet loca obscura, solitaria, nec tristitiam, & melancholiam prædominari sinat, sed semper in Domino gaudeat, sicut optimè docet Seraphicus Pater noster Franciscus dicens: *Sanctam, Fratres charissimi, interiùs lætitiam Dei habete. Si enim servus Dei studuerit habere, & conservare lætitiam spiritualem, quæ provenit ex munditia cordis, & aquiritur per devotionem orationis, dæmones nihil possunt ei nocere dicentes: ex quo in tribulatione, & prosperitate lætitiam habet servus Dei, non possumus invenire aditum intrandi in ipsum, nec illi nocere.*

5. Omnî studiô, omnique conatu conscientiam à peccatis, præsertim mortalibus mundam conservet: Nam, ùt suprà jam de cultu B. Virginis ex revelationibus S. Brigittæ diximus, dæmones expulsi quasi sagitta velocissima revertuutur, nisi aliqua emendatio subsequatur.

6. Sæpè in orationibus suis donum præservationis, lumen ad diabolicas tentationes cognoscendas, adjutorium divinum ad resistendum eorum insultibus petat, Beatissimam etiam Virginem, Angelum suum Tutellarem, aliósque Patronos hunc in finem devotè invocet.

Circa

Circa Exorcistam sequentia remedia adhibenda sunt.

N. 223. *PRimo* suggestiones & tentationes diabolicas eidem sincerè & fideliter patefaciat, atque remedia ab eo præscripta diligenter applicet.

2. Optimè fiet, si ab Exorcista domus, vestes, aliáque ad liberatum pertinentia benedicantur; præsertim, si diabolus (vel ut sæpè fieri solet) post liberationem aliquos tumultus excitaret.

3. Liberatus provideat de Amuletis, Agnis Dei, Reliquiis Sanctorum, aut aliis ab Ecclesia benedictis, illis præsertim, in quibus maximè sperat: omnium enim remediorum anima, & formalitas fides est, & fiducia; consequenter illud maximè proderit, in quo maximam habet fiduciam.

4. Juvabit pariter ab Exorcista ad exemplum D. Bernardi scribi Exorcismum, eúmque collo liberati appendi, fenestris, portæ domûs, aut aliis locis affigi secundùm dicta superiùs cap. 1. q. 3.

In ordine ad dæmonem sequentia media liberatum à novæ possessione præservandi, necessaria velutilia sunt.

N. 224. *PRimo*, pro possibili animum suum à diabolicis suggestionibus avertat liberatus, mentémque ad alia utilia, necessaria, & honestè

stè animum recreantia applicet, nec facilè cum eo in quamcunque altercationem se immittat.

2. Eum tentántem mox per invocationem SS. Nominis JEsu, & Mariæ reprimat, imò etiam per præceptum in SS. Nomine JEsu factum repellat.

3. Nullum ejusdem timorem concipiat, sed ceu muscam inermem vilipendat, & contemnat, atque imbecilitatem ejus exprobret.

4. An intra corpus aliquis adhuc dolor existat, vel aliquid membra decurrat, aut aliquæ remanserint vexationis reliquiæ, observare desistat: solet enim diabolus imaginarium sæpè dolorem ceu diabolicum depingere, ut diffidentiam de protectione divina inducat.

5. Si contingat corpus veris doloribus affici, nec certò constet eos esse purè naturales, liberatus illicò cum vera fiducia SS. Nomen JEsu invocet, Crucis signo se muniat, & per præceptum diabolum repellat: potest enim quandoque dæmon etiam post liberationem extrinsecè quendam causare dolorem, qui nisi subitò reprimatur, & mens ad alia divertatur, pusillanimitatem inducit.

6. Si forte aliquid ex operationibus utilibus vel necessariis ad votum non succedat, nec labores aliáque ob languorē, vel debilitatem membrorum perfici queant, liberatus divinô fretus adjutoriô super partem languidam

guidam signum † Crucis efformet, atque præceptum consuetum faciat.

7. Per aliquot dies liberationem sequentes omnibus cibis & potui benedictio adhibeatur ab ipsomet liberato, ita, ut SS. Nomen JEsu invocet, cibósque signo † Crucis muniat.

8. Antequam tempore nocturno somnum necessarium capiat, priùs lectum aquâ benedictâ aspergat, ac postmodum contra dæmones simile præceptum formet.

Ego N. præcipio in Nomine JEsu Christi omnibus & singulis dæmonibus, ne ullus cubiculum hoc (cellam vel cameram) intrare, vel tumultum excitare, vel sagam aut maleficum introducere, vel quocunque modo mibi nocere præsumat. In Nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti, Amen. Porrò Cruces non super se ipsum, sed super cubiculum formandæ sunt.

9. Denique omnia alia remedia suprà *tum* cap. 5. *tum* hoc cap. 6. ad dæmonem expellendum præscripta, etiam ad liberatum præservandum utilissima sunt, quæ quisque pro sua comoditate, vel necessitate juxta prudentis Exorcistæ consilium usurpare poterit; non ea quidem ratione, quasi omnia & singula necessariò ab unoquoque, sed aliqua juxta cujuslibet dispositionem magis opportuna seligantur.

Quæ-

Quæstio decima tertia.

Quid Exorcistæ faciendum cum eo, qui post liberationem iteratò à dæmone possidetur?

HOrrent communiter Exorcistæ energumenum post liberationem iteratò possessum, credentes eum fore difficillimæ liberationis ob verba Christi Matth. 12. v. 45. ubi de tali inquit: *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Verumtamen, licèt quandoque persona talis sit difficilis curationis ob timorem diaboli de novo conceptum, ordinariè nihilominus facilioris est, quàm priùs fuerit: siquidem tota curandi difficultas in prævia consistat dispositione: cùm ergo jam semel perfectè supponatur fuisse disposita, iteratò facilius disponetur. Quare

Dico. Si semel à dæmone liberatus iteratò coràm Exorcista ceu possessus compareat N. 225. sequentia potissimùm servanda sunt:

1. Si necdum certò constet de nova possessione, sed eadem duntaxat suspicetur, post prævie elicitum actum fidei & fiduciæ proba fiat more solito, & suprà c. 1. q. 3. tradito; & nunc, nisi certum diabolicæ possessionis signum habeatur, cum S. Benedictione dimittatur, & falsa ab eo persuasio removeatur.

2. Si ex signis certis possessionem novam cognoverit exorcista, eô respectivè modô cum eo procedendum erit, sicut cum vexato nunquam liberato: ante omnia tamen persuaderi debet, possessionem novam esse omnino certam, sed facilem denuò expulsionem, dummodo omnia illa servaverit, circa quæ priùs instructionem recepit.

3. Breviter in fide & fiducia instruatur secundum dicta superiùs hoc cap. à q. 1. Ostendat ei pariter Exorcista, omnes priores experientias non esse necessarias, utpote priùs ante primam liberationem abundè visas; sed suppositis dispositionibus solum sufficere præceptum expulsivum.

4. Indagare juvabit, quam putet fuisse causam novæ possessionis: imò secundùm dicta superiùs etiam diabolum de illa veritate edicenda conjurare licet, ut causâ cognitâ imposterùm cautiùs procedere discat liberatus.

5. Si fortè non crederet, vel saltem dubitaret, diabolum per primum Exorcismum verè fuisse expulsum, difficilis revera esset liberatio. Si enim post tot ac tanta adhibita remedia diffidentia non fuit penitus ablata, vix, aut saltem difficulter post novam invasionem tolletur. Porrò, nisi falsa illa opinio penitùs fuerit remota, tota ministerii exorcistici operatio erit suspendenda: diabolus enim astutissimus facilè suggerendo decipiet, quòd, sicut prima vice exi-

exitum tantùm finxit, & simulavit, sic pariter se ad secundum & tertium Exorcismum facturum.

6. Exorcista sollicitè curet, ut habitum dæmoniacis attendendi suggestionibus, diffidentiam de concursu Dei ad expellendum dæmonem, & liberatum imposterum præservandi, aliáque tum impedimenta facilis liberationis, tum causas & occasiones novæ possessionis futuræ, in suo patiente tollat, & destruat.

7. Edoceat eum, dæmonem nequaquam posse pro sua voluntate de novo iterum possidere, vel ei divinâ favente gratiâ, quæ nemini deficit, resistentiam fieri non posse; hoc enim verò, si persuasum haberet, confidentia in DEUM vel nulla, vel saltem notabiliter debilitata; & infirmata foret.

8. & *ultimò* non sit velox ad exorcismum improvidè, & sine debitis dispositionibus sufficienter notis, faciendum, sed juxta regulas supra præscriptas sollicitam curet habere notitiam: quâ haustâ, sequentem formare poterit Exorcismum, vel alium sibi in Rituali præscriptum.

(***)

Exorcismus ad dæmonem post novam invasionem expellendum.

N. 226. EGo N. contra te (vel si plures estis, contra vos spiritus immundi & apostatici) constitutus à DEO Judex, auctoritate & potestate mihi tradita à DEO & ab Ecclesia in Ordine ad Exorcistatûs, in Nomine SS. Trinitatis, & in virtute SS. Nominis Domini nostri JEsu Christi, præcipio vobis spiritibus malignis, qui de novo istam creaturam DEI invasistis, ut omnia facta forrè maleficia totaliter destruatis, atque statim exeatis, & recedatis ab ea, ita, ut imposterum nullam potestatem habeatis, eam quacunque ration, sive extrinsecè, sive intrinsecè molestandi, neque eidem sub quacunque forma apparendi, nec aliô modô eam pertutbandi: Exite ergo spiritus immundi, ac recedite ab ea: sic enim vobis præcipio ùt Minister Christi & Ecclesiæ. In Nomine ✝ Patris, & Filii ✝ & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

For-

Formatô sic Exorcismô, proba more solito cum subsequenti instructione mox suprà q. 9. præscriptâ facienda erit; itaque denuò liberatus seriò adhortandus, ut imposterum majori cura, majoriq́ue cum observantia novam dæmonis invasionem evitet, Deúmque simpliciter exoret, ut fidem augeat, fiduciam corroboret, & gratiam dæmonibus fortiùs resistendi tribuat efficacem.

Quæstio decima quarta.

Quomodo in defectu temporis energumenus vel maleficiatus sit tractandus & liberandus?

NOn infrequens est, itinerantibus Exorcistis occurrere energumenos, vel maleficiô infectos, ubi ob penuram temporis nec omnes dispositiones præviæ eis proponi, nec alia præscripta servari queunt: Ut nihilominus etiam hisce pro possibili succurratur, modus brevior ad dæmones expellendos, & maleficia dissolvenda indagandus est. Quare

Dico, si coram Exorcista in defectu temporis energumenus, vel maleficio infectus compareat, sequentia observet: N. 227.

1. Si actualiter ab omni vexatione liber sit, breviter in fide & fiducia instruatur, videlicet, quòd Deus reverà sit omnipotens, subitò quemlibet curare potens: quòd sit summè & infinitè misericors, quemlibet curare volens; quòd sit in omnibus promissis servandis fidelissimus: quòd Exorcistæ Ministro suo omnem dederit potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, imò omnes diabolos expellendi. Quo facto in loco decenti, atque à populi multitudine remoto, præsentibus duntaxat parentibus, aut consanguineis ejus, præceptum probativum efformet, dicendo:

Ego N. ùt Minister Christi & Ecclesiæ tibi dæmon in Nomine Domini nostri JEsu Christi præcipio, ut, si reverà præsens sis in corpore istius creaturæ, illicò me præsente illos humores commoveas, dolorémque causes, quem me absente causare consueveras.

Quo facto mox per præceptum lenitivum dæmoni præcipiat, ut à tali commotione, doloréque causando desistat, & vexatum ad ulteriorem fidem & fiduciam disponat, quòd videlicet dæmon, sicut in his, ita in actuali expulsione potestate divina coactus, sit necessariò obedientiam præstiturus.

2. Quòd si energumenus, vel maleficiò infectus sit actualiter, etiam absque prævio formatô præceptô probativô, vexatus, non est ulteriùs simile præceptum formandum, sed

sed præceptô lenitivô adjuvandus, ita, ut super parte vexata, vel super toto corpore, si in toto vexetur, signum Crucis sub pronuntiatione præcepti formetur.

3. Formatô præceptô quærat Exorcista, an dolor omnis, & vexatio cessaverit: quo comperto, certam etiam proponat liberationem, demonstrandô, quòd, sicut dæmon in uno, sic in altero obedientiam præstare sit cogendus, dummodo vexatus in fide & fiducia constans non titubaverit.

4. Ad exemplum Christi quærat: *Vis sanus fieri?* Joan. 5. *creditis, quia possum facere hoc?* Matth. 9. *si potes credere, omnia possibilia sunt credenti* Marc. 11. Si patiens fronte hilari affirmativè respondeat, jubeat Exorcista, ut genuflexus corde & ore contritionem, actúsque confidentiæ eliciat, atque Deum pro sua liberatione precetur. Quo facto

5. Exorcista sedens, patiente genuflexo, & cernuo, hoc, vel simile contra dæmonem præceptum formet:

EGo N. ùt Minister Christi & Ecclesiæ præcipio tibi dæmon in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut immediatè & sine ulla mora recedas: & exeas à corpore istius creaturæ DEI, nec ampliùs habeas potestatem nocen- N. 228.

di ei intrinsecè, nec extrinsecè, vel quocunque modo eam perturbandi. In Nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritus ✝ Sancti, Amen.

6. Post liberationem unà cum liberato brevem gratiarum actionem deponat, jubeátque, ut imposterum sub protectione divina, absque diabolico timore, bonam & Christianam in Domino vitam ducat.

APPENDIX

Seu

Brevis, ac Synoptica instructio Evangelicè, ac facilitèr expellendi dæmones, & cujusvis generis destruendi, & curandi maleficia.

QUamquam per decursum hujus Armamentarii ad expellendos dæmones, atque cujusvis generis destruendi maleficia assistrice Divinâ gratiâ non pauca dixerimus; attamen valde utile mihi visum est, modum quemdam brevem, longáque experientia probatum attexe-

texere, quo servato haud gravatè & expellentur dæmonia, & curabuntur maleficia; ne autem synoptica hæc instructio ordine, & claritate careat, eandem in tres Paragraphos dividemus, dicturi in primo, quid ante expulsionem diaboli vel destructionem maleficii tam ex parte Exorcistæ, quàm ex parte personæ exorcizandæ requiratur; in secundo autem §. verba faciemus de iis, quæ sub actuali exorcizatione sunt attendenda: tandem in §. tertio afferemus ea, quæ finita exorcizatione, & diabolo per DEI gratiam jam expulso, & maleficio destructo utiliter adhuc veniant observanda. Itaque sit

§. I.

Quænam ante actualem exorcizationem Exorcistæ sint necessariò, & utiliter attendenda.

1. EXorcista (qui ex dictis p. 1. cap. 3. q. 1. non necessariò debet esse Sanctus) fide supernaturali, & operativa, juxta ibidem dicta, imbutus sit. Est autem fides in modo loquendi Syrico apud Joan. Baptistam Saint-Jure part. 2. L. 3. Cap. 6. nil aliud, quàm persuasio, & certitudo de iis rebus: quæ sunt in spe, ac si jam existe-

rent actu. Ex quo satis luculenter appareret, Exorcistam tam firmiter debere credere, diabolum per Dei gratiam esse abigendum, ac si actu jam jam expulsus esset. Et sanè hæsitare non poterit Exorcista, si motiva fidei, ac roboratæ fiduciæ menti altè impresserit, gnarè attendens, quòd Deus ùt omnipotens juvare possit, ùt Pater misericors juvare velit, ùt fidelis in suis promissis juvare debeat. Certè hæc motiva p. 1. Cap. 3. Q. 3. fusiùs pertractata tantam generârunt in aliquibus Exorcistis fiduciam, ut, quàm certò crediderunt, Deum esse Deum, tam firmiter credidérint, diabolum esse abigendum.

2. Exorcista signa veræ, & realis obsessionis, vel maleficii, tam certiora, quàm probabilia tantùm, seu conjecturalia. p. 1. Cap. 2. Q. 6. allata optime dignoscat, necesse est: secùs enim perfrequenter omnem perdet operam, & loco diaboli, quem non invenit, suimetipsius honorem, & æstimationem expellet, non nisi sui confusionem reperiens.

3. Advertat Exorcista, non rarò contingere, quòd diabolus possideat corpora eorum, qui falsa proximis affinxére crimina, idque vel in pœnam patrati criminis, vel ad ostendendam læsi innocentiam, quam subinde ipse diabolus, Deo compellente, publicè proclamare cogitur. Atque hoc genus dæmoniorum potiùs ipsius læsi precibus,

cibûs, quàm periti etiam Exorcistæ conjurationibûs expellendum est. Plura rei hujus exèmpla inveniri, ac legi possunt apud Joannem Baptistam Saint-Jure part. 2. L. 3. C. 10. §. 2. ubi S. Isidorus ùtùt aliàs diabolis valdè terribilis, talem dæmonem expellere haud potuit.

4. Circumspectè agat Exorcista cum obsessis alterius sexûs, nec unquam solus cum sola exorcismîs utatur, nisi subinde in confessionali, ubi necessitas hoc exegerit. Solet enim diabolus non nunquam substituere sagas, quæ enormissima subinde crimina Exorcistæ affingunt, & ea affingendi occasionem sumunt, si Exorcista testes innocentiæ non habeat, sanè periculum propriæ perdendæ animæ Exorcista subit, dum solus cum sola corpus à diabolo liberare intendit.

5. Valdè utiliter præter stolam Exorcista provisus est particulâ S. Crucis, majori cuidam Cruci (pectorali ùt vocant) inclusæ. Tum quia talis particula est permagnæ virtutis contra diabolos: tum quia tali modo decentiùs efformare poterit Crucem supra partes læsas, quin scilicet immediatè tales partes tangat.

6. Motiva fidei, & fiduciæ clarè, ac distinctè proponantur obsesso, ut & ipse firmum, ac electum fidei donum acquirat: tamdiu enim Exorcista sine pleno effectu laborat, quamdiu obsessus in fide hæsitat.

Expe-

Expedit insuper, ut energumenus per speciala bona opera, vel proposita, vel etiam Vota Sanctos, præcipuè B. Virginem Mariam sibi propitiam reddere satagat, ut per potentissimam ejus intercessionem adaugeatur fides, sicque diabolus citiùs expellatur.

7. Exorcista attentis attendendis persæcili negotiô è corporibus humanis ejiciet dæmonem, si per dolorosam peccatorum sacramentalem confessionem energumenus priùs purgaverit mentem. Experientiâ enim constat, diabolum, qui diutiùs expelli non potuit, depositâ sincerâ Confessione postea haud difficulter fuisse in fugam actum.

8. Exorcista nullam prorsùs adhibeat fidem diabolo, nisi certò certiùs velit decipi: illa enim pia opera, peregrinationes &c. quas diabolus ad sui expulsionem necessarias esse asserit, non tam expulsionem promovent, quàm retardant. Itaque optimum erit, si Exorcista diabolis loquendi potestatem omninò adimat, & à præceptis lenitivis ad expulsiva procedat.

§. II.

Quænam sub actuali Exorcizatione attendantur.

1. EXorcista actualiter exorcizans, & brevitati, ac ordini studens, probativa præcepta accomodare debet ipsis patientibus;

bus: siquidem in casu, ubi creatura nullos actu patitur dolores, eosdem Exorcista per præceptum conditionatum (supposito quòd prudentem de præsentia diaboli suspicionem habeat) causabit moderatos tamen, ne diabolus sanitatem omninò destruat. Porrò notare habeat Exorcista, ne quale-cunque determinet membrum, in quo diabolus torqueat creaturam; cùm diabolus in omnia membra ordinariè potestatem non habeat; hinc magis consultum esse videtur, ut eosdem, atque ibidem dolores exorcista jubeat fieri, ubi, & quos creatura aliàs sustinuit, quod si ad iteratum Exorcistæ præceptum nulli dolores fiant, signum est manifestum, diabolum in talem hominem nullam habere potestatem, & ejusmodi hominem morbo non nisi naturali vexari. Si autem ad jussum Exorcistæ dolores fiant, attendantur sequentia:

2. Si creatura actu patiatur dolores ad mandatum Exorcistæ, tunc brevi præmissa instructione in fide, & fiducia faciet præceptum, seu Exorcismum lenitivum, destruétque iterum omnes dolores priùs causatos, inhibens simul diabolis, ne hanc, vel aliam partem, aut juncturam ampliùs torqueant; nisi enim hæc inhibitio accedat, cessabit quidem diabolus creaturam torquere; attamen per modicum intervallum vel eosdem, vel alios dolores, eosque aut

aut in antiqua, vel alia corporis parte causabit: etenim diaboli obedientia non est tanta, ut ultra formale præceptum se se extendat. Atque hæc ipsa observanda sunt quo ad eas creaturas, quæ absque præcepto Exorcistæ actu tales patiuntur molestias, quas à diabolo causari prudens suspicio est; siquidem & in hoc casu præcepta lenitiva, conditionata tamen, fieri oportet; quæ si suum non sortiantur effectum, neque dolores per mandatum Exorcistæ aggravari possint, signum est nullius diaboli latentis.

3. Exorcista præprimis attendat, ut caput energumeni, vel maleficiati præservet sanum, & imperturbatum; si enim hujus non habeatur cura specialis, omnis labor erit inanis; cùm creatura perturbata quo ad fidem instrui non possit, minus quoad fidem, & fiduciam firmam cooperari valeat Exorcistæ.

4. Si energumenus, vel maleficiatus simul, & semel torqueatur in pluribus partibus, optimè faciet Exorcista, unam partem post alteram sanandò. Ratio est; quia ordinariè in hisce personis fides non est tanta, quæ sufficiat ad sanandum totum corpus: accipient autem incrementum fidei, quamprimùm unam tantummodò partem per Exorcismos sanam factam conspexerint. Unde fieri assolet, quòd plerumque citius totum absolvatur negotium,

gotium, dum una pars post alteram curatur, quàm si Exorcista illicò totum corpus à doloribus immune reddere intendat, quod cùm ex defectu sufficientis fidei ad iterata etiam præcepta non fiat, energumeni vel maleficiati non modò in fide non confortantur, sed potius desperare incipiunt.

5. Ad fidem in energumenis, vel maleficiatis roborandam multùm conducunt exorcismi instructivi, de quibus *part. 1. cap. 1. q. 3. num. 16. Præcepta instructiva.* Quamprimùm enim patiens experitur, quòd diabolus debeat obedire sibi, patienti scilicet, illicò cogitare incipiet, quid ergo non faciet diabolus ad imperium Exorcistæ? Accedit, quòd similes personæ, absente etiam Exorcista, diabolo frœnum injicere possint, ne pro suo libitu eas torquere valeat.

6. Præcepta quæcunque tam lenitiva, quàm expulsiva nunquam dirigantur ad unum diabolum in singulari, sed ad omnes, & singulos potestatem habentes. Si enim plures adessent, non lenirentur dolores, minus expellerentur omnes, sed uno fortè expulso remanebunt cæteri, & uno cessante molestare creaturam, molestabunt eandem reliqui.

7. Præcepta lenitiva tamdiu sunt continuanda, donec energumenus vel maleficiatus prorsùs nihil incommodi amplius sentiat.

tiat. Hic tamen non subintelligitur debilitas, quæ ordinariè relinquitur vel ob præcedentem vehementiorem membrorum agitationem, vel graviores dolores, vel noctes insomnes ductas &c. nam abacto diabolo, atque ubi nec impedimentum somni adest, omnisque dolor abest &c. natura de se brevi restaurabitur.

8. Dum præcepta lenitiva plenum sortiti sunt effectum, de novo patiens confirmandus est in fide, ut videlicet sine ulla hæsitatione firmissimè credat, diabolum *illicò* & absque ulla mora per mandatum Exorcistæ, & virtutem SS. Nominis JESU esse expellendum. Postea perquam utiliter fit præceptum, ne ullus diabolorum sub actuali præcepto expulsivo creaturam, neque ab in - neque ab extrinseco quomodolibet molestet, vel perturbet: quàm primùm enim diabolus iterum molestat, tamprimùm fides patientis vacillat.

9. Quoad ipsum præceptum expulsivum, ne illud optato fruſtretur effectu advertenda sunt sequentia. Primò maleficia, si quæ sint facta auctoritativè & in virtute Nominis Domini Nostri JESU Christi Exorcista destruat, simúlque diabolo nova maleficia struendi potestatem adimat. Secundò inhibeat, ne diabolus sub actuali exitu creaturam molestet. Tertiò præcipiatur, ut diabolus non ampliùs redeat, aut ab extrinseco se reddat visibilem, crea-

creaturam perterrefaciat, aut aliunde sit incommodo. Tandem ipsa quoque persona exorcizanda sub ipso præcepto expulsivo in virtute Nominis Domini Nostri JESU Christi cum plena fide, & fiducia mentaliter jubeat abire dæmonem, aut saltem secretò oret aliquot Ave Maria, ne diabolus otiosam tam faciliter perturbet, aut distrahat.

10. Factô præceptô expulsivô quæratur ex energumeno, vel maleficiato, qualiter se se habeat, si dicat, se sentire dolorem, quem immediatè ante præceptum expulsivum non senserat, signum est, diabolum adhuc esse præsentem, & creaturam in fide necdum esse satis firmam; quare denuò roboranda est in fide, debéntque dolores per lenitiva præcepta auferri ùt supra, ac tandem repeti præceptum expulsivum. Quòd si verò energumenus, vel maleficiatus dicat, se prorsùs nihil sentire incommodi, præcipiat Exorcista conditionatè diabolo, si scilicet adhuc præsens sit, & potestatem habeat, ut in manifestum signum suæ præsentiæ moderatos dolores causet. Si energumenus interrogatus dicat, se sentire dolorem, præsentiæ diaboli & defectûs plenæ fidei signum est; hinc agendum erit, ùt immediatè priùs dictum. Si verò dicat, se nihil incommodi sustinere, consulto fit secunda probatio, qua diabolo conditionatè præcipitur, ut subitò causet

vehementes dolores: reperire enim est homines, qui moderatos dolores parùm vel nihil curantes dicant, se nullas pati molestias, nisi acriùs vexentur. Porrò quando ad hoc quoque præceptum nullus dolor se prodit, manifestum ejecti diaboli habetur indicium; attamen plurimùm ad augendum energumeni vel maleficiati fidem conducet, si ipsemet audacter & sine timore in virtute Nominis JESU Christi Domini Nostri jubeat, ut diabolus præstinos absque mora dolores causet, si potestatem adhuc in suum corpus habeat; dum enim energumenus experitur, diabolum non modò datâ dolores causandi licentiâ, sed & provocatum, & ad mandata nocere haud posse, sanè nihil ampliùs timebit.

§. III.

Quænam Exorcistæ sint attendenda, diabolo per Dei gratiam expulso.

1. QUanto conatu diabolus è corpore humano ejectus attendet reditum, satis constat ex Sacris paginis, ubi Luc. 11. 24. æterna veritas ait: *Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem: & non inveniens dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam,*

tam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Hinc ut diabolis omnis reditus præcludatur, Exorcista personam, unde expulit diabolum, conformet in fidè, ut missò omni timore firmissimè credat, diabolum amplius redire haud posse: ad mensuram enim fidei decrescit potestas diaboli. Secundò instruatur, ut singulis diebus tam de manè, quàm ad noctem faciat præceptum, ne quis diabolorum per se, vel per sagas eandem molestare præsumat. Tertiò adhortetur, ut omni nisu mortalia caveat peccata: nam plerumque contingere solet, quòd in pœnam peccatorum diabolis detur potestas in corpora hominum.

2. Exorcista re feliciter peracta abstineat à vana gloria, vel jactantia, nec inordinatè lætetur, sed potiùs gaudeat, quòd nomen suum scriptum sit in cœlis, totum effectum DEO in acceptis referens.

Omnia ad majorem DEI, Deiparæque Virginis honorem & Gloriam.

Index rerum omnium primæ Partis.

Prior numerus paginam, alter numerum marginalem indicat.

A.

ABstinentia à peccato necessaria est obsesso. 155. 88.

Abstinentia ab illicitis voluptatibus est necessaria obsesso. 155. 88.

Actus exercendi à vexato, ut dæmonis impetus repellat. 290. 189. Item 325. 213.

Actus confidentiæ in Deum contra dæmonem possidentem. 848. 222.

Actus detestationis in dæmonem possidentem. 320. 210.

Adjuratio dæmonum quotuplex. 170. 98.

Adjuratio dæmonum quales requirat conditiones. 171. 100.

Adulti ab infantia possessi difficillimè liberantur. 46. 32.

Agni Dei virtus contra dæmones. 155. 163.

Agnus Dei non licet commiscere cum alia cera. 156. 164.

Amuletorum usus contra dæmones. 263. 177. Item ex quibus rebus combinari possint. 171. 178.

Angeli custodes pugnant pro nobis contra Ar-

dæmones. 281. 186.

Angelus Custos plures à dæmone defendit. 283. 186.
S. Antonius Abbas energumenum ad Paulum simplicem remittit. 40. 30.
S. Antonii de Padua res gesta. 270. 177.
Appendix, seu Synoptica institutio facilitèr expellendi dæmones. 360. 228.
Apostoli qua forma in exorcizando sint usi. 8. 9.
Aquæ benedictæ virtus contra dæmones. 253. 160.
Arreptitius quis dicatur. 63. 45.

B.

BAlnea, aliasq; corporeas medicinas præparare energumeno an licitum. 205. 144.
Baptismi virtus contra dæmones. 224. 144.
Baptismi defectus est obstaculum expulsionis dæmonis. 36. 29.
Baptismi reiterationem rationes suadentes. 37. 29.
Baptismô invalidè collatô plures personæ à dæmone sunt vexatæ, post iterationem ejus liberatæ. 225. 145.
Baptizari filios suos à malo genio infestatos Turcæ petunt. 229. 145.
Benedictas res quisnam hominibus ex collo detrahat. 277. 183. Item, an earum virtus à sagis frustrari queat. 275. 181.
S. Bernardus Exorcismô scriptô personam à dæmone liberatam præservat. 13. 14.
Idem sub Missæ Sacrificio Hostiam conse-

cratam monstrando, energumenum liberat. 236. 151.

C.

CAusa efficiens principalis muneris Exorcistatûs est Deus, Exorcista tantùm ministerialis. 7. 7. Ex parte illius nullus est defectus, ex parte hujus frequenter. 7. 8.
Causa formalis muneris Exorcistatûs. 8. 9.
Causa materialis ejusdem. 11. 11.
Causa finalis ejusdem. 12. 13.
Causæ, cur Deus possessionem, vel maleficium permittat. 67. 47.
Causa proxima possessionis quæ sit. 69. 49.
Causæ cur uno dæmone expulso non expellantur omnes. 216. 136.
Causa recessûs diabolici, seu iteratæ possessionis. 341. 219.
Charitas proximi Exorcistæ necessaria. 162 91.
Christi fideles omnes in Nomine JEsu possunt expellere dæmones. 2. 2.
S. Chrysma vel olea benedicta ab Ecclesia, an licitè præbeantur energumeno. 202, 126.
Coërcendus est dæmon objurgatione & præcepto. 319. 208.
Confidentia in Deum. Vide fiducia.
Confirmationis Sacramentum roborat contra dæmones. 230. 146. Ejus rei exemplum. 232. 146.
S. Crucis maxima virtus contra dæmones. 248. 158.
Crucis imagine dæmon ab energumena debellatus 261. 168.

Crucis signo S. Justina dæmones fugavit à Cypriano mago missos. 250. 159.

D.

Dæmon an, & quomodo infirmitates naturales imitetur. 62. 43. & 78. 93. Item quot, & quibus modis easdem causet. 78. 54.
Dæmon incubus, & succubus quis sit. 63. 45.
Dæmones quare ex energumeno ordinariè loquantur linguâ maternâ ejusdem, & non alienâ. 64. 46. & 165. 93.
Dæmones quomodo sint Dei Ministri. 67. 47.
Dæmones obsidentes quot modis possint hominem vexare. 74. 52.
Dæmones an possint mortem inferre hominibus. 80. 54.
Dæmonum potestas quomodo per Passionem Christi sit ligata. 81. 55.
Dæmonum potestas super quos homines adhuc sit relaxata. 85. 56.
Dæmones an habeant potestatem animam possessi per peccatum coinquinandi. 86. 57.
Dæmon quomodo sub nomine infirmitatis matricalis certam quamdam fæminam vexaverit. 92. 58.
Dæmoni per os energumeni loquenti an loquela sit permittenda. 166. 94.
Dæmoni quando loquela sit permittenda. Item, quando, & quare ipsi silentium imponendum. 167. 96.

Dæmon in Nomine JEſu adjuratus, & interrogatus an veritatē fateri debeat. 168. 99.
Dæmonem adjurare modô deprecatoriô, an, & quale ſit peccatum. 70. 102.
Dæmonem de aliqua re interrogare, an ſit neceſſarium, vel utile. 175. 105.
Dæmoni dicenti, ſe ex voluntate divina non poſſe ex corpore poſſeſſi egredi, an credendum. 182. 111.
Dæmones inter an detur ordo, ſeu prælatio. 192. 118.
Dæmonum principi imperare, ut ſuos inferiores è corpore ſecum educat, an licitum. 193. 120.
Dæmon an poſſit excommunicari, aut in ſtagnum ignis & ſulphuris relegari. 196. 121. & 122.
Dæmoni ab uno homine expulſo annuere, ut in alium ingredi poſſit, an ſit licitum. 210. 133. Item 212. 134.
Dæmone uno expulſo, an & reliqui poſſidentes expellantur. 216. 136.
Dæmoni præcipere, ut ſui exitûs è corpore det ſignum, an licitum. 221. 141.
Dæmon Exorciſtæ reſiſtens quomodo coërcendus. 318. 208.
Dæmonis ſuggeſtiones ſpeciales in actu expulſionis. 326. 214.
Dæmon quomodo ſoleat exire à corpore energumeni. 336. 218.
Dæmonis ſuggeſtiones, quibus iteratam poſſeſſionem quærit. 343. 221. Dæ-

Dæmon expulsus quomodo denuò hominis phantasmata perturbare, & ad peccatum sollicitare possit. 346. 221.
Defectus quinam circa formam exorcizandi. 9. 10.
Defectus ex parte materiæ. 12. 12.
Defectus qualis fuerit, quòd Apostoli puerum lunaticum à dæmone liberare non potuerint. 33. 25.
Dei attributa quomodo per possessionem diabolicam manifestentur. 67. 47.
Deus quomodo concurrat ad possessionem vel maleficium. 65. 46. Item 69. 48.
Deus quomodo sciat, possit, ac velit auxilium præstare Exorcistæ in liberandis energumenis. 127. 72.
Deus voluntate conditionata vult omnes energumenos liberari. 295. 191.
Diffidentia in Deum, desperatio &c. quare sint dæmoni occasio corpus possidendi. 71. 51.
Diffidentia in Deum ex quibus fontibus proveniat. 137. 78.
Dispositio necessariò requisita tam in Exorcista, quàm energumeno, est fides & fiducia. 111. 63. Item 114. 64. Item 121. 69.
Documenta tradenda peccatoribus gravibus à dæmone liberandis. Vide Remedia.
Documenta tradenda vexatis à dæmone incubo, & succubo. Vide Remedia.
Documenta servanda ab obsessis ab infantia. Ibidem.

Documenta pro obsessis perfectioni (ut putant) studentibus. Ibidem.
Documenta pro personis duræ cervicis. Ibi.
Documenta pro personis à dæmone liberatis. Vide remedia.

E

Ecclesiæ splendor eluceſcit ex possessionum & maleficiorum permissione 68. 47.
Eleazarus Exorcista pellebat dæmones ab homine obsesso. 1. 1.
Energumenus quis, & unde dicatur. 61. 43.
Energumeni quinam difficilioris liberationis. 44. 33.
Energumenus an, & quomodo se ipsum liberare possit à dæmone possidente. 53. 37.
Energumenus an per solum dissensum voluntatis se possit liberare à dæmone. 51. 35. Item, an per vitam piam, jejunia, & res benedictas. 56. 39.
Energumeni in Deum confidentis liberationem à dæmone Christus in S. Scriptura sæpè promittit. 130. 73.
Energumenum fictionibus probare, an liceat. 207. 130. vide ibidem Exemplum.
Energumenum flagellis vexare, an liceat. 209. 132.
Energumenus an, & quare ipsemet se verè possessum credere debeat. 298. 193.
Energumenus quomodo practicè instrui debeat erga Deum. 301. 196. & 303. 197. Item quomodo instrui debeat erga Exorci-

orciſtam. 309. 201. Erga dæmones, 312. 204. Erga ſe ipſum. 315. 206.
Energumenus quomodo poſſit reprimere vexationes diabolicas. 324. 213.
Energumenus quomodo completô jam Exorciſmô expulſivo denuò probari debeat, an dæmon verè exîerit. 337. 218.
Energumenum à dæmone liberatum præſervandi remedia obſervanda circa Deum 347. 212. Circa Exorciſtam. 350. 223. In ordine ad dæmonem. 350. 224.
Epiſcopi an poſſint Clericis ſibi ſubditis prohibere exorcizare energumenos, 3. 5. An Regularibus. Ibidem.
Euchariſtiæ Sacramentum an energumeno præberi poſſit. 233. 147. item 237. 149.
Euchariſtiam energumeno diſtribuens quid facere debeat, ſi dæmon impedire velit. 238. 150.
Euchariſtiæ devota perceptio quales energumeno præſtet effectus. 235. 148.
Euchariſtiam in Monſtrantia repoſitam ſuper caput energumeni tenere, an liceat. 238. 151. Vide ibidem exemplum de S Bernardo.
Euchariſtiam energumeno in articulo mortis conſtituto, & nolenti fidem profiteri, an liceat præbere. 240. 152.
Exorciſmus quid. 1. 1.
Exorciſmi quotuplicis generis. 12. & 15. 13.
Exorciſmus an ſit verum Sacramentum, vel ſacramentale. 6. 6.

Exorciſmus an habeat effectum infallibilem ex opere operato. 25. 21.
Exorciſmus ſcriptus & collo appenſus quantæ ſit efficaciæ contra dæmones. 13. 14.
Exorciſmi ſcripti efficaciam quot jam ſint experti. 14. 14.
Exorciſmus ſcriptus portæ domûs, vel feneſtræ affixus quam efficax ſit ad præſervandum à nocturna diaboli & ſagarum infeſtatione. 14. 14.
Exorciſmi noviter inventi an ſint rejiciendi. 9 10.
Exorciſmi per quot horas continuandi. 218. 138. Item 9. 10.
Exorciſmos ſæpè fruſtrari effectu, unde proveniat. 32. 25.
Exorciſmus ad dæmonem ab energumeno expellendum. 334. 217.
Exorciſmus probativus poſt actum liberationis uſurpandus. 337. 218.
Exorciſta quali poteſtate præditus eſſe debeat, ut ritè munere ſuo fungatur. 3. 3.
Exorciſta quomodo poſſit facilè deprehendere, an infirmitas aliqua ſit naturalis, vel dæmoniaca. 62. 43.
Exorciſta quibus virtutibus præditus eſſe debeat. 110. 63.
Exorciſta non debet deperdere fiduciam in Deum propter ſuas imperfectiones, & peccata. 121. 70.
Exorciſtis an omnis data ſit poteſtas ejiciendi dæmones. 133. 75.

Exorcistis patientia necessaria. 148. 84.
Exorcistis quid considerandum, ut omnia adversa patienter sustineant. 150. 85.
Exorcistæ plures sunt non credentes potestatem ejiciendi dæmones sibi divinitùs datam. 35. 27.
Exorcistæ munere Medici, vel Chirurgi fungi illicitum est. 204. 128.
Exorcistæ quomodo errent, non instruentes energumenos in fide & fiducia erga Deum. 33. 25.
Exorcistæ quomodo fallantur non credentes personas possessas, nisi dæmon linguâ latinâ, vel aliâ energumeno ignotâ loquatur. 64. 46.
Exorcistæ cautellæ servandæ, ne ab hominibus se possessos fingentibus, decipiatur. 109. 62.
Exorcistæ quid faciendum, si energumenus coram eo compareat, & liberationem petat. 299. 194.
Exorcistæ qui dæmoni præcipere possint in signum subjectionis ejusdem. 323. 212.
Exorcista quas regulas observare habeat energumenô jam dispositô. 328. 215.
Exorcistæ quid completô Exorcismô expulsivô faciendum. 335. 218.
Exorcistæ quid faciendum, si persona post liberationem, denuò à dæmone possidetur. 353. 225.
Exorcista quomodo in defectu temporis breviter energumenum exorcizare, & liberare valeat. 355, 227.

Exorcistatûs Ordo quid. 2. 2.
Exorcizare quid sit. 7. 7.
Exorcizandi modus à quo primitùs sit inventus. 1. 1.
Exorcizandi modus qualis à Christo in Evangelio præscriptus. 2. 1.
Exorcizare aliquem sine præhabito efficaci possessionis signo, an sit peccatum. 84. 33.
Expulsio dæmonis difficilis an in solum Exorcistam rejicienda. 40. 30.
Expulsio dæmonum quare humilitatem parere debeat Exorcistæ. 161. 90.
Expulsio dæmonum an, & quomodo fieri possit sine vexatione, & læsione energumeni. 220. 140.
Expulsio actualis. 328. 215.

F.

FÆminæ cur frequentiùs, quàm viri vexentur, & possideantur à dæmone. 88. 58.
Fictionibus uti an licitum. 207. 130.
Fidei defectus tam ex parte Exorcistæ, quàm energumeni est causa difficilioris expulsionis dæmonum. 41. 31.
Fidei defectus ex parte cæci Marci 8. v. 23. causa fuit, quòd Christus visum eidem non statim restituerit. 42. 31.
Fidei defectum tam ex parte Apostolorum, quàm parentum pueri lunatici, causam assignavit Christus, quòd filius à dæmone non sit liberatus. 33. 25.

Fidei defectus facit, ut uno dæmone expulso non omnes expellantur. 217. 137.
Fides sola, & fiducia tam ex parte Exorcistæ, quàm energumeni an sufficiat ad expulsionem dæmonis. 111. 63. Item 114. 64. item 121. 69.
Fides hæc qualis esse debeat. 117. 67. Item 118. 68.
Fidelitas Dei in promissis suis servandis. 129. 73.
Fiducia in Deum ex quibus motivis aquiri possit. 124. 71.
Fiducia quomodo ex fide practica oriatur. 116. 66.
Fiducia in Deum neutiquam deperdenda est propter peccata, & imperfectiones suas. 121. 70.
Fiducia quos habeat effectus. 136. 77.
Fiducia in Deum facit homines quasi omnipotentes. 136. 77.
Fiduciæ in Deum defectus unde proveniat. 137. 78.
Filii supposititii quinam sint. 107. 61.
Forma Ministerii Exorcistatûs. 8. 9.

G.

Gloria Dei exurgit ex permissione maleficiorum. 67. 47.
Gratiæ status an sit necessarius ad expulsionem dæmonum. 118. 68. Item 26. 21. Item 30. 24.
Gratiarum actio Deo reddenda facta liberatione. 338. 218.

H

HÆreticis quid acciderit dæmones ejicere volentibus. 112. 63.
Hæretici confutantur per Exorcismos. 67. 47.
Humilitas an sit necessaria Exorcistæ, ut facilè dæmonem expellat. 156. 89.
Humilitate sua S. Hilarion dæmones ejecit. 159. 90.
Humilitas ex quibus fontibus Exorcistæ haurienda. 161. 90.

I.

JEjunium an, & quando Exorcistæ sit utile, vel necessarium. 152. 86. Item 154. 88.
Jejunium quale sit utile Exorcistæ. 155. 88.
JEsu Nomen quomodo dæmones horreant. 134. 76.
Imaginatio pura an, & quare sit dæmoni occasio possidendi corpus. 73. 51.
Imaginum Sanctorum virtus contra dæmones. 259. 167.
Imprecatio à malis hominibus alicui facta, an dæmoni sit occasio possidendi corpus. 73. 51.
Infantes maleficiatos dignoscendi signa. 106. 61.
Infantium corpora intrandi unde dæmon sumat occasionem. 70. 50.
Infirmitates quasnam in homine procurare studeat dæmon possidens. 62. 44. Item quot, & quibus modis causet eosdem. 78. 54.

Infirmitas dæmoniaca an possit declinare in naturalem. 79. 54.
Interrogatio dæmoni facienda an sit aliqua necessaria. 175. 105.
Interrogare dæmones possidentes de numero eorum an sit necessarium. 197. 108. Vel interrogare de suis nominibus an sit licitum. 177. 106. Vel de causa ingressûs sui. 181. 109.
Interrogare dæmonem quo die, horâ, loco &c. sit ingressurus, an liceat. 183. 112. Vide ibidem exemplum.
Interrogare dæmonem, per quem Exorcistam sit expellendus, an licitum. 187. 115. Vide ibidem exemplum.
Interrogare dæmonem, an energumenus sit maleficiô ligatus, an sit necessarium. 189. 117. Item eundem interrogare, per cujus Sancti patrocinium sit expellendus, an sit utile. 191. 118. Aut interrogare dæmones, quis sit eorum princeps. 193. 119.
Juramentum à dæmone exigere, an sit utile, vel licitum. 300. 124.
Jurisdictio Exorcistæ necessaria, ac ubi & quando hanc acquirat. 93. 3.

L.

Laicis an competat potestas exorcizandi specialis. 92. 2.
Laici unde habeant potestatem exorcizandi generalem. 2. 2. Item 53. 37. Vide Exemplum. 51. 38.

Liberationem energumeni à dæmone an Deus velit. 294. 191.
Liberationis difficiloris quæ sint personæ 44. 32.
Liberandi facilitas an quoad omnes personas sit æqualis. 300.
Liberare à dæmone an, & quomodo se ipsum possit vexatus. 53. 37.
Locus aliquis si sit à sagis immunis, rarò ibidem energumeni, vel maleficiati inveniuntur. 61. 42.
Locus, in quo energumenus exorcizandus, qualis esse debeat. 329. 215.
Loquela an, & quando dæmoni permittenda. 166. 94.

M.

Maleficiorum signa. 95. 59.
Maleficium à sagis positum an dæmoni occasio esse possit intrandi corpus. 70. 50.
Mariæ Nomen est scutum firmissimum contra dæmones. 278. 184.
Medici an possint deprehendere infirmitatem esse naturalem, vel dæmoniacam. 62. 43.
Medici an pharmacis corporalibus maleficia curare queant. 62. 43.
Medici munere fungi Exorcistæ prohibetur. 204. 128.
Medicinas energumeno præbere an liceat Exorcistæ. 202. 126. Item 204. 128.
Medicinæ quantâ cautellâ præberi debeant infirmo energumeno. 62. 43.

Missæ Sacrificium quantæ sit efficaciæ contra dæmones. 141. 153.
Modus liberandi energumenos an sit æqualiter facilis. 300. 195.
Motiva, quibus fiducia in Deum acquiritur. 124. 71.

N.

NAturalibus rebus an insit vis aliqua pellendi dæmones. 265. 173.
Nomina hominum possessorum diversa. 63. 45.

O.

OBjurgatio ab Exorcista dæmoni facienda quid sit, & quotuplex
Objurgatio quibus verbis fieri possit. 320. 210.
Obsessio quid. 61. 43.
Occasiones quæ sint, ex quibus dæmon viam corpus possidendi quærit. 70. 50.
Oleum benedictum qualem virtutem habeat contra dæmones. 263. 170.
Ordo, seu prælatio an detur inter dæmones. 192. 118.

P.

PAnis benedictus qualem habeat virtutem contra dæmones. 263. 170.
Parochi an, & ex qua virtute teneantur exorcizare energumenos. 140. 79.
Parochi an teneantur suo energumeno resarcire damna, si ob eorum arti exorcisticæ studendi negligentiam aliqua eidem à dæmone inferantur. 143. 80.

Patientia qualis, & ubi Exorcistæ necessaria. 148. 84.
Pœnitentiæ Sacramentum quantum prosit vexato à dæmone. 243. 154. Vide exempla ibidem.
Peccata an sint dæmoni occasio possidendi corpus. Vide Vitium.
Possessio dæmonica quid. 61. 43.
Possessio quotuplex. 59. 42.
Possessio imaginaria quibus, & quomodo contingat. 60. 42.
Possessionem quare Deus permittat. 65. 46.
Possessionis, & possessorum quot sint species diversæ. 63. 45.
Possessionis veræ vel maleficii signa certiora respectu adultorum. 95. 59. Respectu infantium. 106. 61.
Possessionis vel maleficii signa probabilia. 100. 60.
Possessorum nomina diversa. 63. 45.
Possidendi corpora infantium quæ sint dæmoni occasiones. 70. 50. respectu adultorum. 71. 50.
Præcepta diabolo facienda quæ, & quotuplicis sint generis. 13. 13. Item 15. 13.
Præcepta hæc quâ linguâ formari debeant. 18. 16.
Preces ante actum expulsionis recitandæ. 331. 316.
Preces post actum liberationis. 338. 238.
Presbytero præsente an liceat alteri Ordinis inferioris exorcizare energumenum. 2. 2. Puella

Puella quædam per Orationem Dominicam, & signum Crucis maleficium curat. 55. 38.

Q.

Quærere aliquid ex dæmone possidente, an, & quando liceat. Vide interrogare.

R.

Regulares an possint exorcizare energumenos sine licentia ab Episcopo petita. 4. 6.
Regularibus an possit prohiberi exorcizare energumenos. 3. 5.
Regulæ quæ sunt Exorcistæ observandæ in actuali expulsione dæmonis. 328. 215.
Religiosi ex qua virtute teneantur energumenos ad se venientes exorcizare. 145. 82.
Religiosorum Prælati an suis subditis possint prohibere exorcizare energumenos. 147. 83.
Reliquias Sanctorum suffumigio maleficiatorum admiscere illicitum. 259. 166.
Reliquæ Sanctorum reverenter applicatæ quantæ sint efficaciæ contra dæmones. 257. 165.
Remedia ad faciliorem energumeni liberationem conducentia quot, & quæ sint. 223. 143.
Remedia pro energumeno in peccatis inveterato. 286. 188.
Remedia pro possessis à spiritu incubo, & succubo. 288. 189.

Remedia pro possessis ab infantia. 293. 190.
Remedia pro possessis, & perfectioni (ut putant) studentibus. 294. 191.
Remedia pro personis duræ cervicis. 297. 192.
Remedia, personam à dæmone liberatam præservandi, observandâ circa Deum. 350. 223. Circa Exorcistam. Ibid. In ordine ad dæmonem. 350. 224.
Ritùs observandus in actuali expulsione dæmonis. 328. 215.

S.

SAcerdote præsente an liceat alteri exorcizare energemenum. Vide Presbyter.
Sacramenta Ecclesiæ qualem virtutem præstent a dæmone vexatis. 223. 143.
Sacramentalia ab Ecclesia instituta quantæ sint efficaciæ contra dæmones. 246. 157.
Saga quædam per trinam insufflationem infantem à dæmone possideri fecit. 70. 50.
Sagæ an possint frustrare effectum rerum benedictarum. 275. 181.
Sagæ quomodo de nocte in cubiculum à dæmone introductæ noceant. 76. 52.
Sancti quare colendi, & qui potissimum invocandi ad pugnam adversùs dæmones. 284. 187.
Schedulæ Marianæ unde suam trahant originem. Item quantæ sint efficaciæ contra diabolicas infestationes. 271. 179. Vide exemplum. 273. 179.
Schedulæ Marianæ quomodo confici debeant,

beant, & quid in earum usu observandum. 274 180. Item an earum virtus infringi possit à maleficis. 275. 181.
Signa possessionis vel maleficii quot, & quæ sint. Vide possessio.
Signa dignoscendi energumenum ad expulsionem dæmonis esse dispositum, & probatum erga Deum. 306. 198. Erga Exorcistam. 310. 202. Adversùs dæmones. 314. Erga seipsum. 317. 207.
Signum exitûs sui an à dæmone procedendum. 221. 141.
Silentium quando, & quomodo dæmoni ex energumeno loquenti imponendum. 166. 94.
Suffumigium benedictum qualem habeat vim contra dæmones. 264. 172. Item an habeat vim naturalem adversùs dæmones. 265. 173.
Suggestiones dæmonis speciales, quibus energumenum sub actuali Exorcismo expulsivo invadere solet. 326. 214.
Suggestiones dæmonis communiores, quibus regressum, seu iteratam possessionem quærit. 243. 221.

T.

TEmporis defectu quomodo breviter energumenus tractandus. 353. 225.
Tentationes dæmonis, quibus energumenos infestare solet. Vide suggestiones.

V.

VEnæ sectio energumenis sæpè periculosissima. 62. 44.
Veracitas DEI quomodo fidem & fiduciam in nobis augere possit. 129. 73.
Vexare quomodo possint dæmones per quinque sensus extrinsecè tantùm hominem obsidentes. 74. 52.
Vexationes dæmonis quomodo ab energumeno reprimendæ. 324. 213.
Vexationes diabolicas quomodo personæ quædam repressérint. 76. 52. Item 77. 52. Item 75. 52.
Vim, & virtutem rerum benedictarum an malefici infringere queant. 275. 181.
Virtutes quænam Exorcistæ ad munere suo ritè fungendum sint necessariæ, vel utiles. 110. 63.
Vitia an, & quæ potissimùm sint dæmoni occasio intrandi, & possidendi corpus hominis. 72. 51.

ARMAMENTARIUM ECCLESIASTICUM

complectens

Arma ſpiritualia fortiſſima

ad inſultus diabolicos elidendos, & feliciter ſuperandos:

Ad

Utilitatem omnium animarum Paſtorum, ſedulò ex ipſo S. Evangelii fonte, SS. Patribus, & probatiſſimis Authoribus collecta

à

P. Fr. Ubaldo Stoiber, Ord. Min. S. Patris Franciſci reformat. p. t. SS. Theologiæ Lectore ordinario in Conventu & ſtudio Friſingenſi.

Pars Secunda

Materiam de malefieiis curandis, & domibus, aliisque locis à ſpectris infeſtatis, expurgandi, continens.

Editio Quarta.

Cum Facultate Superiorum.

Pedeponti,
Sumptibus Joannis Gaſtl, Bibliopolæ.
ANNO M. DCC LVII.

Fratres: confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam DEI, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli; quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum; contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: propterea accipite armaturam DEI, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. Ad Epheſ. cap. 6. v. 12.

Ad Lectorem.

ABsoluta tandem superno opitulante Numine prima Armamentarii parte de energumenis liberandis tractante, recto ordine ad maleficiatos curandos, & domos, aliáque loca à spectris infestata, expurganda progredior. Verùm duo sunt, quæ benevolum Lectorem præmonitum velim; videlicet *primò*, alteram hujus Armamentarii partem necessariò præsupponere notitiam partis prioris, ita, ut ibidem dicta fermè singula huc applicari non tantùm possint, sed debeant. Eædem quippe virtutes, eædémque dispositiones necessariæ sunt sive in curando energumeno, sive maleficiato. *Alterum* est, ne quisquam falsa ducatur opinione, me studiosè multis congerendis speculationibus intentum: solam quæro praxin, solam proximi utilitatem: nec quidquam inseram, quod non directè, vel indirectè praxin sapiat, atque proximi utilitatem respiciat. Tu verò

optime Exorcista, cùm videris dæmones tamquam leones circumeuntes, quærentes, quem devorent, præliâre prælium Domini: exclama cum cælesti Archistratego Michaële: *quis ut DEUS?* sicut prælium magnum fuit in cœlo exortum, sic inter te & dæmones magnum exoriatur prælium: exere gladium potestatis tibi divinitùs traditæ, & prævalebis omnibus: pro virili dimica, neque locus eorum ampliùs invenietur in hominibus ad imaginem DEI creatis, & sanguine pretioso JEsu Christi redemptis, neque in pecoribus, nec in domibus, aliisve locis ad hominum utilitatem productis. Fruere, & vale.

ELEN-

ELENCHUS
Capitum, & Quæstionum.
Partis Secundæ.

Caput primum.

De maleficiorum essentia, causis, & effectibus.

Q. 1. De maleficiis in genere & in specie? fol. 1.

Q. 2. Quid, & quotuplex sit fascinatio, ac quomodo fiat? 13.

Q. 3. De maleficio venenario. 16.

Q. 4. De aliis adhuc maleficii speciebus. 20.

Q. 5. An detur, & quid sit maleficium, perperpetuum, quid temporaneum? 31.

Caput secundum.

De curatione diabolica maleficiorum.

Q. 1. An liceat maleficium tollere per aliud maleficium? 34.

Q. 2. An liceat curare maleficia per vana, & inutilia? 41.

Q. 3. Ex quibus signis desumi possit, media, per quæ tollitur maleficium, esse licita, vel illicita, & superstitiosa? 43.

Q. 4. Quænam in particulari sint potissimæ curationes superstitiosæ? 46.

Caput tertium.

De curatione naturali maleficiorum.

Q. 1. An sensibilia, & purè naturalia habeant vim directè sublativam, & sanativam maleficiorum? 70.

Q. 2. An sensibilia non habeant vim saltem

tem indirectam, vel etiam intentionalem pellendi dæmones, ac curandi maleficia? 76.

Caput quartum.

De curatione morali maleficiorum.

Q. 1. Quid & quotuplex sit curatio moralis maleficiorum? 85,

Q. 2. An liceat maleficii signa destruere, ut dæmon nocere desinat? 87.

Q. 3. An necessarium, vel utile sit perquirere maleficii signa? 91.

Q. 4. An liceat ponere signa, quibûs positis expirat, vel destruitur pactum dæmoniacum? 98.

Q. 5. Quomodo maleficia singula sint per Exorcismos destruenda, & curanda? 101.

Modus destruendi maleficium infantium ac parvulorum. 106.

Modus parvulos à maleficiis præservandi. 111.

Modus destruendi maleficium in matrimonio factum. 114.

Modus Conjuges à maleficio præservandi. 121.

Modus destruendi maleficium abortûs, difficilis partûs, lactis exsiccationis &c. 121.

Modus tollendi maleficium impedimenti butirizationis. 124.

Modus tollendi maleficium frumenti aversionis. 127.

Modus curandi maleficium diversorum morborum. 130.

Modus cutandi maleficium taciturnitatis, præsertim in stygibus & sagis à Judice torturæ subjectis. 134.

Modus procedendi cum sagis & maleficis cum dæmone pactum habentibus, sed pœnitentibus. 139.

Modus maleficos pœnitentes præservandi. 147.

Mo-

Modus procedendi cum illis, qui datô chirographô ad certum tempus se dæmoni obligârunt. 148.

Modus animalia bruta à maleficiis liberandi. 155.

Modus destruendi maleficia pluviarum, grandinum à dæmone excitatarum. 159.

Q. 6. Quomodo maleficia singula sint per res ab Ecclesia benedictas destruenda, & curanda ? 166.

Pro forma Balnei. 169.
Pro forma olei, seu unguenti. 170.
Pro forma fumigationis. 172.

Caput quintum.

De Spectris.

Q. 1. An dentur, & quid sint spectra ? 174.

Q. 2. Quænam ſpectra frequentiùs, quibus potiſſimùm hominibus, & quibus in locis appareant? 182

Q. 3. Quænam ſint ſigna dignoſcendi ſpectra diabolica ab Angelis bonis? 186.

Q. 4. Quænam ſint ſigna diſtinguendi ſpectra diabolica ab animabus purgandis? 190.

Q. 5. Quænam ſint ſigna diſtinguendi ſpectra diabolica à magicis, & animabus damnatis? 193.

Caput ſextum.

De modis ſpectra pellendi.

Q. 1. Quomodo ſpectra diabolica ex domibus, aliisque locis poteſtate exorciſtica ſint pellenda & ejicienda? 197.

Q. 2. De aliis veris modis & remediis pellendi ſpectra diabolica, 213.

Q. 3. Quomodo domus semel liberata imposterum à molestiis diabolicis præservanda? 216.

Q. 4. Quomodo spectra magica, seu homines malefici, tam homines, quàm habitationes hominum molestantes, sint averruncanda? 217.

Q. 5. De aliis modis spectra pellendi passim ab aliquibus usitatis. 222.

Q. 6. Quomodo spectra animarum damnatarum sint ex domibus, aliisve locis expellenda? 230.

Q. 7. Quo modo, quibusve mediis animæ piacularibus flammis detentæ liberentur? 232.

Q. 8. Quomodo dæmones annulo, vitro, alicei vasculo inclusi, sine tractandi? 238.

Appendix variarum Benedictionum. 244.

Documenta quædam, & instructio, quomodo Bene-

Benedictiones faciendæ, & adhibendæ. Ibidem.

Additio certarum figurarum in Diœceſi Friſingenſi per generale mandatum prohibitarum. 289.

Caput

CAPUT Primum.

De maleficiorun essentia, causis, & effectibus.

Quæstio I.

De maleficiis in genere, & in specie.

ADvert. Nullum esse ambigendi locum, quin vera dentur maleficia: quòdsi enim quis eorum existentiam negare vellet, tam sacris litteris, quàm juris utriusque sanctionibus, Historicis, Theologis, Medicis, communi omnium hominum consensu, imò ipsâ etiam experientiâ quotidianâ facilè temeritatis & falsitatis convinci posset. Nec tamen facilè credendum, quemquam esse maleficiô infectum, nisi signa certa, vel probabilia saltem id suadeant: de quibus abundè dictum p. 1. hujus Armamentarii cap. 2. q. 6. Unde directè ad quæstionem deveniendo

Dico 1. Maleficium bene describitur dicendo quòd sit *magiæ species, quâ quis ope dæmonis alteri damnum parat.* Ita P. Delrio q. mag. lib. 3. p. 1. q. 1. mox ab init. Dicitur N. 1.

1. *ma-*

1. *magiæ ſpecies*, nam magia diabolica genericè ſumpta eſt vis quædam ope dæmonis operandi; quamvis preſſiùs loquendo magia duntaxat ſumi ſoleat pro vi mira operandi. Dicitur 2. *qua quis ope dæmonis*: ſi enim pactum & fœdus cum dæmone deſit, non erit maleficium dæmoniacum, de quo ſolo in præſentiarum agitur, quamvis magia naturalis eſſe poſſit. Dicitur 2. *alteri damnum parat*: locò differentiæ: per has enim particulas differt maleficium à magia preſsè ſumpta, & ad ſola mirabilia operanda ordinata: differt pariter à vana obſervantia, ſuperſtitione, aliisque magiæ ſpeciebus, prout pluribus deducunt Theologi, præſertim morales paſſim: indicant pariter particulæ iſtæ effectum maleficii, qui vulgò etiam maleficium dici conſuevit, ita, ut homines, quibus per maleficium damnum eſt illatum, maleficio infecti dicantur. Poteſt autem maleficium pro effectu ſumptum benè deſcribi, quòd ſit *prava operatio in corpore per virtutem dæmonis ex pacto tacito, vel expreſſo cum homine maleficio inito, juſto Dei permittentis conſilio facta.*

N. 2. Illi porrò, qui ſimilia parant maleficia, communi vocabulo malefici dicuntur, quamvis ſecundùm diverſa eorum ſtudia, etiam diverſis inſigniantur nominibus. Sic enim *Magi* vocantur, ob obſtruſam rerum naturalium, & effectum mirabilium notitiam, quam præſeferunt. *Venefici* dicuntur, quia

quia venenô tam homines, quàm animalia bruta interficere consueverunt. *Incantatores*: quia verbis & carminibus opera magica perficiunt. *Sortilegi* dicuntur ob sortilegium, quod naturaliter acceptum omnes diabolicas artes complectitur. *Sagæ* dicuntur à sagiendo, quia in officio suo nimis agere, nimiáque scire desiderant. *Striges* ab ave Poëtarum fabulosa, quæ nocturno tempore infantes necare, & rapere, eorúmque sanguinem sugere, & absorbere dicitur. *Lamiæ* à bestia monstrosa, quæ fætus dilaniare creditur. *Pharmaceutriæ* dicuntur à Virgilio, quia pharmaca sive noxia, sive proficua, sanis, vel ægrotis, propinare solent. Communi tamen nomine vocantur *malefici* à malefaciendo, eò quòd omni conatu ope dæmonis malum homini parare contendant.

Dico 2. Maleficium tam ex genere cáusæ efficientis, quàm finalis variè dividitur. Ita P. Delrio citatus, & patet inductione. *Primô* siquidem ex genere causæ efficientis dividitur in naturale & supernaturale, seu potius præternaturale. Ita post alios Paulus Zachias Medicus Romanus lib. 3. tit. 1. q. 5. n. 47. *Naturale* dicitur, quod simplici, & naturali medicamento est procuratum: non enim dubitandum, dari quædam medicamenta, quæ ex naturali quadam virtute hominem inficiunt, coitûs potentiam adimunt, aliásque pravas in corpore causant N. 3.

sant operationes: talia ergo per maleficium, aut dæmonem ipsum à maleficio invocatum applicata, naturale maleficium faciunt, sicut revera etiam dolorem purè naturalem causant. *Præternaturale* est, quod dæmonis ope ita procuratur, ut simul dæmon præsens sit homini maleficiato, & corpus ejusdem sive immediatè per se ipsum, sive per commotionem humorum mire torqueat, & vexet.

Quare maleficii discrepantia à vera diabolica possessione non est illa communiter putata, quòd in maleficio dæmon verè & realiter præsens non sit, sicut tamen præsens est in possessione; sed hæc vera & genuina est distinctio, quòd in maleficio certam duntaxat corporis partem inhabitando vexet, & cruciet, in possessione verò totum corpus inhabitet, & jam hanc, jam illam partem, jam totum corpus simul miserabiliter vexet & torqueat.

N. 4. Duabus hisce maleficii speciebus superaddenda videtur tertia ex utraque participans, ita, ut simul dæmon corporis partem possideat, simúlque naturalem etiam dolorem & infirmitatem causet, prout ordinariè contingere solet. Quinimò, ut benè notat Delrius dis. mag. lib. 3. p. 1. q. 1. Brognolus in Manuali p. 1. cap. 2. art. 3. q. 3. n. 117. ex maleficiis præternaturalibus fieri possunt purè naturalia, ita, ut licèt dæmon antecedenter maleficiato præsens fue-

fuerit, sponte tamen, vel coacte per Exorcismos ac præcepta Ecclesiastica per alia spiritualia remedia, ab ægroto totaliter recesserit, quin signa malefica corpori ingesta, aut humores maleficos prævie causatos sustulerit. Atque hoc quidem frequenter accidere solet in personis diuturno maleficio infectis: licèt enim dæmon per præceptum sit expulsus, ordinariè tamen aliquæ reliquiæ præcedentis infirmitatis remanere solent, ita, ut sæpè incurabiles fiant.

N. 5. Triplex hoc maleficium variè dividitur secundùm diversitatem causarum naturalium, vel moralium, quæ ad maleficia concinnanda assumuntur, & applicantur: nam

imò. Nocent malefici pulveribus quibusdam minutis in cibum, potumque infusis, vel nudo corpori affricatis, vel in vestes diffusis: applicant autem secundùm diversam nocendi voluntatem etiam pulveres diversos.

2dò. Parant sua maleficia herbis, festucis, avium præsertim sylvestrium plumis, aliisque frivolis in humum projectis, vel sub limine domûs suffossis, quæ supergredientibus, quibus nocere volunt, sæpè causa sunt gravissimorum dolorum, contractionis nervorum, imò & quandoque ipsius necis.

3tiò Solo halitu, afflatúque inficiunt; dæmone haud dubiè secundùm voluntatem maleficiorum concurrente.

4tò Graviſſima inferunt damna ſolis verbis, prout ex Lucano, Virgilio, & Seneca probat Delrius citatus; & mihimet ipſi quondam certus maleficus faſſus eſt, ſe homines maleficiô infeciſſe ſolîs prolatîs verbîs: Huß Teuffl: ſic credo alios maleficos ſecundùm diverſa cum dæmone inita pacta etiam aliis diverſis uti verbis & formulis.

5tò Rebus etiam ſacris inficiunt. v. g. aquâ benedictâ, particulîs ex caſula ſacerdotali detractîs, imò ipſa etiam ſacrâ Hoſtiâ &c. Sic teſtante Remigio lib. 1. cap. 2. ſaga quædam aſpergendo alteram aquâ benedictâ miſeram confecit.

6tò Inficere ſolent levi percuſſione, de qua vulgò dicitur poſſe lædere, niſi fuerint repercuſſi; de quo infrà cap. 4. q. 4.

7mò Denique, ut plurima alia præteream, quidam malefici graſſantur apertiùs, ita, ut alios per dæmones ſtrangulari, vel præcipitari curent, vel puerulos noctu iectâ culcitrâ præfocent, acubus enecent: è cunis rapiant, & lancinent, vel in uſum unguentorum, vel in cibum ſibi gratiſſimum; ſæpè etiam homines per diverſi generis cibos, præſertim poma & pyra porrecta inficiunt, de quibus vide Delrium locô citatô, Brognolum in ſuo Alexiacon

Diſp.

Disp. 3. fusissimè hac de materia tractantes.

Secundò divisione ex fine petita dividi- N. 6.
tur in maleficium somniferum, amatorium & hostile. Ita citatus P. Delrius, Brognolus in Manuali p. 1. cap. 2. art. 2. q. 1. *Somniferum* inferunt, dum homines potione aliqua, vel malo carmine, aut certis ritibus soporant, ut interea eis venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut enecent, vel furtô quid subtrahant, stuprô, adulterióve mulierem contaminent, aut viris per tactus impudicos pollutionem procurent. Hæc autem omnia dæmones facere possunt vel naturalibus soporiferis venenis, vel immediatè per se ipsos aliqua spirituum commotione hominem ad somnum disponendo. Plura hujus exempla vide in Delrio Disq. mag. lib. 3. p. 1. q. 1.

Amatoriô maleficiô homines infici dicuntur, dum dæmon suis maleficiis philtra & pocula amatoria propinando, vel immediatè per se ipsum phantasmata perturbando ad amorem tam validè allicit, ut non amare, sed furere videantur. Intetim, ut benè notat Delrius locô citatô, Brognolus pariter locô citatô, hisce philtris nullius voluntas cogi potest ad aliquem amandum, licet imaginatio possit perturbari, humores concitari, & totum corpus interiùs quasi accedi, adeò, ut dæmone interiùs variis tentationum illecebris cer-

tante, homo quasi æstro quodam libidinis vexetur, & vehementer ad desiderium carnale trahatur: rationem hujus dat S. Bonaventura in 2. d. 25. p. 2. q. 5. & cum eo Theologi communiter omnes; quia de ratione voluntatis est, esse liberam atque liberè ac voluntariè ferri in objectum suum; quòd si ergo voluntas à diabolo cogi posset, simul liberè, & coactè, voluntariè, & involuntariè vellet, quòd haud dubiè impossibile est.

Porrò, ut habet Grillandus de sortilegio q. 3. & q. 5. maleficia amatoria fieri possunt vel intra, vel extra corpus. In corpore per cibum & potum, sive esculenta & poculenta, in quibus res sacræ, ut Hostiæ consecratæ, aut non consecratæ, sed notis magicis inscriptæ frequenter admiscentur. Extra corpus per aliquas mixturas compositas ex herbarum foliis, radicibus, reptilibus, metallis, plumis avium, membris animalium, capillis, unguibus, aut vestimentorum fragmentis, quæ adhibitis certis ligaturis in tunica maleficiandi involvuntur, & consumuntur, vel sub pulvinari, aut lecti in volucris, aut sub limine ostii domûs, aut alio loco, per quem maleficiandus transiturus est, absconditur. Hæc ille. Sunt etiam talia philtra adeo vehementia, ut insaniam, imò mortem ipsam inducant. Vide Delrium l. c. Brognolum in Alexiacon Disp. 3. a n. 650. latè de hoc discurrentes.

Hostile

Hostile maleficium vocatur, quidquid ope dæmonis in bonis animæ, corporis, aut fortunæ damnum infert, aut saltem aptum est inferre. Subdividitur in plures species, videlicet in fascinationem, in maleficium venenarium, in maleficium abortûs, difficilis partûs, lactis exsiccationis, in maleficium odii, & alias adhuc species, de quibus plura in progressu. Quare sit N. 7.

Quæstio secunda.
Quid & quotuplex sit fascinatio, ac quomodo fiat?

Dico: Fascinationem trifariam posse accipi: alia siquidem est vulgaris seu poëtica; alia naturalis & philosophica, & alia magica. Ita Delrio disq. mag. lib. 3. p. 1. q. 3. N. 8.

Vulgaris seu *poëtica* à Poëtis nomen sortita, aliud non est, quàm infectio, qua quis alterum sola visione seu aspectu activo, vel etiam laude invidô facta animô inficit, imò etiam quandoque perimit, fermè, sicut basiliscus sola visione dicitur enecare hominem. Hæc autem opinio plurima peperit opinamenta: *Primò*, hoc periculum potiùs imminere pueris, quàm adultis, pulchris, quàm deformibus. *Secundò* hoc periculum removeri quibusdam euphymiis, v. g. si beneficentur iis, quos cum laude & admiratione intuentur.

Verumtamen hanc fascinationem cum suis remediis superstitionis damnant SS Patres, Basilius, Hieronymus, Chrysostomus apud Remigium quodl. 3. q. 12. Delrium l. c. cùm nulla hujus possit naturalis, vel supernaturalis ratio reddi, quomodo homo solo aspectu sine ulla qualitate vitiosa, & venenata, alium ita fascinare, aut quomodo iis mediantibus nugis curari queat.

N. 9. *Naturalis & philosophica*, seu *physica* fascinatio est vaporis virulenti à corpore noxio natura ab alio dissidente aporia, qua alienum corpus halitu, & spiritu per visum, aut contactum inficitur. Vel est effluxus quidam ab oculis & corpore fascinantis virulenta qualitate conspicuus, ex quo illud recipiens corpus inficitur. Ita Paulus Zachias lib. 7. tit. 4. q. 4. n. 5. plurimos alios referens. Delrio, Richardus locis citatis.

Quare non sola visione & aspectu causatur fascinatio, sed per venenatam aliquam qualitatem manentem in putridis humoribus, aut vitiosa complexione ipsius intuentis: hæc autem qualitas communicatur spiritibus vitalibus, qui imaginatione acriori, & attentione majori concitantur, & concitati viam quærentes ad os & oculos perveniunt, atque erumpentes aërem proximum suo viru inficientes, etiam adstantes, præsertim teneriores, inficiunt. Potissimùm autem fœminæ vel ex senectute, vel certè alia de causa defectum menstrui

strui sanguinis patientes his virulentis abundant qualitatibus, ita, ut naturaliter sæpè tenellos inficiunt puerulos: sed hæc fascinatio impropria est, & à Medicis d judicanda.

Fascinatio denique *magica*, quæ pro- N. 10.
priè est hujus loci, benè describi potest, quòd sit *pernicioſa qualitas dæmonum arte illata, ob tacitum, vel expreſſum hominis cum dæmone pactum.* Ita in re S. Hieronymus explicans verba D. Pauli ad Gal. 3 v. 1. *quis vos fascinavit non obedire veritati?* S. Chrysost. aliique passim fusè à P. Delrio citati. Solent enim nefarii illi homines cum dæmone pacisci, ut quos lividè, vel iracundè aspexerint, iis dæmon perniciem inferat, & sæpè omninò interficiat.

Est hæc fascinatio non solùm particularibus quibusdam hominibus arte magica præditis, sed quibusdam etiam populis frequentissima, veluti narrat Paulus Zachias locô citatô ex Langio, Gellio, & aliis de Africanis: hi namque, si quas pulchras arbores, lætiores segetes, amæniores infantulos, egregios equos, pecudes pastu, atque cultu opimas impensiùs laudaverint, omninò contabescunt, & emoriuntur. Verumtamen hæc omnia non aspectui, sed diabolo ceu causæ nocenti adscribenda sunt.

Quæstio tertia.
De maleficio venenario.

N. 11. ADvert. Per maleficium venenarium hoc loco intelligi omnem illam pravam operationem ope dæmonis factam, qua sive per venenum naturale, sive morale malefici creaturas inficiunt. Duplici autem potissimùm modo sua maleficia conficere solent: *Primò* operâ solius diaboli: si enim quacunque de causa immediatè per semetipsos vel nolunt, aut certè pro voto expeditionem maleficii fieri posse non credunt, totam executionem dæmoni committunt, qui subitaneâ violentâ ad votum eorum hominibus, pecoribus, aliisque ad usum hominum pertinentibus damnum infert, cujus exempla refert Remigius in sua dæmonolatria lib. 2. cap. 10. *Secundò* maleficia conficiunt adhibitis rebus naturalibus: quod denuò dupliciter contingere solet, videlicet adhibitis rebus naturalibus ùt causis naturalibus, vel ùt causis moralibus maleficii.

Causæ *naturales* maleficii sunt, quæ vim nocendi à natura inditam habent, atque naturaliter agunt in eum, cui vel ingeruntur interiùs, vel applicantur exteriùs: inconfesso siquidem est, dæmonem non semper præstigiosè, sed quandoque verè & realiter operari, præcipuè, cùm infirmitates

tes, incendia, tempestates, & id generis mala excitare desiderat. Potest autem dæmon hoc duobus modis perficere, videlicet *primo* per motum localem, ita, ut humores, connaturales commovendo, vel auferendo noceat. *Secundo* per alterationem, activa passivis applicando, qui modus ipsi, Deo permittente est facillimus: novit enim rerum in universo contentarum vires, sympathias, & antipathias, quas applicando mirè noxia tam in hominibus, quàm omnibus reliquis ad usum hominum pertinentibus, producere potest.

Causæ *morales* maleficiorum sunt res il- N. 12
læ, quæ virtutem non habent ex se producendi effectus maleficos, sed tantùm ob pactum cum dæmone vel explicitè, vel implicitè initum, causæ sunt morales, vel potiùs conditiones, sine quibus non, dæmon ad placitum maleficorum producit effectum, nam dæmon cum maleficis pactum inire solet, quòd ad positionem certorum signorum nocumentum inferre velit: consequenter signa illa ex se nullam, nec physicam, nec moralem habent efficaciam, sed ceu puræ conditiones dæmonem invitant & disponunt ex pacto producendi effectus maleficos. Neque signa illa certa sunt, & infallibilia, qualia sunt Sacramenta, sed falsa, & deceptoria: siquidem dæmon sæpè à malefico invocatus deficit in promissis, vel, quia divinitus nocere non permit-

mittitur, vel certè, quia sic lubet. Vult nihilominus adhiberi similia signa, ut sicut Deus per signa sacramentalia, ita ille per signa colatur malefica, prout docet D. August. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 6. dicens: *Dæmones alliciuntur per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum rituum, non ùt animalia cibis, sed ùt spiritus signis, in quantum scilicet hæc eis exhibentur in signum divini honoris, cujus ipsi sunt cupidi.* H. N.

N. 13. Dico: dantur, Deo sic permittente, maleficia venenaria, quibus malefici complures mortales morbis gravissimis, & morte afficiunt. Ita ex S. August. lib. 10. de Civitat. refertur Can. *nec mirum* 26. q. 5. Idem ad longum habetur decisum in septimo Decretalium integro titulo 12. de maleficis, & incantatoribus, præsertim cap. 4. ubi ex Innocentio VIII. plurimi effectus hujus maleficii referuntur.

Sed nec desunt historiæ omnium gentium luce meridiana clarius intentum demonstrante. Sic refert Villamontius, Venetiis fuisse maleficum, qui damnatorum ad triremes animas emebat, promittens liberationem à tetra illa servitute pœnæ, numerans decem aureos pro cujuslibet anima, quam etiam, proprio sanguine subscripto, dæmoni devovebat. Sed ne fœdi fragi fierent, mox cexto applicato veneno subitò necabat. Plura similia refert Joannes Nider Formicarii lib. 5. Jacobus Sprenger in Mal-

Malleo Maleficorum, Delrio in disq. mag. pluribus in locis passim, ita ut meritò arguatur, non fuisse ullum præterlapsum tempus, quo malefici suis præstigiis non nocuissent. Sed nec moderna nostra tempora à pestiferis illis machinamentis immunia sunt; imò magis fortè, quam omni retrò sæculo infecta, & coinquinata. Testantur hoc lugubres experientiæ quotidianæ, testantur maleficiati complures miserè infecti, prout pluribus confirmare possem exemplis novissimis, nisi contra sæpè promissam brevitatem me peccaturum timerem.

Cæterùm, prout optimè post Grillandum docet Delrio disq. mag. lib. 3. p. 1. q. 3. N. 14. malefici per causas naturales triplici modo sua maleficia conficiunt, videlicet per insumptionem, per applicationem exteriorem, seu contractum, & denique per inhalationem, de quibus vide Authorem citatum. Ordinarius tamen modus maleficiandi est vel per positionem signorum mortalium, vel certè immediatè per dæmonem ipsum, prout etiam fatetur Delrio locò citato dicens, maleficium per veneni veri introsumptionem vel inhalationem rarò contingere.

Quæstio quarta.

De aliis adhuc maleficii speciebus.

N. 15. DIco: Maleficii præsertim hostilis plurimæ adhuc sunt species, quarum potissimæ sunt sequentes.

Primò. Maleficium abortûs: solent enim malefici tum fœminis, tum pecoribus fœtosis abortum procurare; prout exemplis adductis testatur Joannes Nider lib. ult. Formic alii. Delrio loc. cit, Remigius lib. 2. cap. 7. Sprenger, & alii passim.

Secundò. Maleficium difficilis partus, ita, ut summis doloribus longè adhuc intensiores superaddant, de quo pariter Authores citati. Quare optimè facturum judicio Exorcistam illum, qui fœminas præter morem difficulter parturientes sacris Benedictionibus muniat, imò & conditionatum contra dæmonem, partum fortè impedientem, præceptum superaddat.

Tertiò Maleficium lactis exsiccationis. Hoc maleficium frequenter accidit vaccis, prout satis frequens experientia me docuit; & quandoque fœminis, de quo Authores relati.

Quartò Maleficium impedimenti butyrizationis. Hoc præ reliquis frequentissimum est: solent enim malefici vel lac corrumpere, vel impedire saltem, ut post diuturnos labores nullum efficiatur butyrum, prout

prout sæpissimè conqueruntur fœminæ. Verùm facillimè tollitur per præceptum in SS. Nomine JESU factum: jussi enim non semel, ut ipsæmet fœminæ, dum sese ad mulgendum præparant, factô signô crucis præceptum efforment, ne dæmon mulsionem impediat, aut lac corrumpat; atque ante actualem butyrizationem faciendam idem repetant præceptum, ne dæmon eandem impediat; & semper felici successu.

Quintò. Maleficium frumenti aversionis, vel ablationis, N. 16. vulgò Billmenschnitt. Hoc satis frequens est in terris quibusdam, quantumvis fortè in aliis sit incognitum. Solent enim malefici in Festo Pentecostali, & Festo S. Joannis Baptistæ ante solis ortum omnibus vestibus denudati, falce aut alio consimili instrumento pedibus appenso agrum per medium, aut certè per extremitates circumire, atque ita partem frumenti hoc pacto diabolico demetere, ut à Domino legitimo in horreum invectum, atque suo tempore excussum, ipsi pariter suum excutiant, dæmon verô grana plura vel pauciora secundùm diversitatem pacti avertat, suúmque in horreum invehat: quia nihilominus pactum hoc ordinariè est illimitatum, ita, ut quidquid fuerit excussum, avertatur, & in horreum malefici à dæmone invehatur, solent quidam advertentes factum fuisse maleficium unà cum frumen-

to supponere & excutere juniperos: & re-
vera dæmon non frumentum duntaxat, sed
& particulas à junipero decidentes vi pacti
præcedentis in horreum malefici invehit;
unde triturantium admiratio mira, male-
fici verò summa confusio, ita, ut sæpè præ
timore veniam petiturus accurrat.

N. 17. *Sextò. Maleficium ingestionis rerum solidarum in corpus humanum.* Mirus planè, imò vix non prodigiosus effectus, quòd non rarò æger per os, aut S. V. secessum ejiciat spinas, ossa, ligna, saxa, clavos ferreos, acus, frustra vitrorum, cultros, glomos pilorum, pannos, & alia hujusmodi, prout frequens testatur experientia: novi ego duas Frisingæ personas ad venas non solùm maleficiò ligaminis pedum, ita ut incedere nequiverint, sed & maleficio ingestionis rerum solidarum infectas: primo maleficio per præceptum in SS. Nomine JEsu factum facilitèr succurrit Exorcista, nihil de altero suspicatus: veruntamen, cùm graves etiamnum in corpore dolores sentirent, ad præceptum Exorcistæ, rerúmque benedictarum sumptionem diversorum generum ejecerunt fragmenta, & tandem supremo opitulante Numine successivè sanitati pristinæ sunt restitutæ. Alium novi Religiosum pium, & devotum, cui mulier quædam ecligma, vulgò Latwergen, ad portam attulit, quod ipse degustans toto corpore gravissimos cæpit sentire dolores: tandem nulla

nulla proficiente medicina corporali, maleficium esse ratus, oleum benedictum sumpsit, & subitò diversa ex ore fragmenta ejecit. Alia exempla non deficerent plurima. Verùm modus tales res solidas corpori ingrediendi satis est abstrusus, & abditus.

Tres tamen potissimum modos assignant Authores apud Brognolum in Alexicaco Disp. 4. à n. 796. Delrio disq. mag. lib. 3. p. 1. q. 4. sect. 6. *Primus* est per extensionem & occlusionem pororum, ita videlicet, ut hi ita dilatentur à dæmone, ut hæc duriora inseri possint, rursúmque, iis insertis, ita clauduntur, ut hujusmodi nullum remaneat vestigium. Verùm modus iste ingentem pororum dilatationem supponit, quòd meritò censetur quasi impossibile. *Alter* est per divisionem eorum, quæ ingerenda sunt; asserunt enim sectatores Sylvestri Pietatis, dæmonem res solidissimas dividere, & comminuere in partes minutissimas, etiam instar pulveris, tum eas ita diminutas, & corpori ingestas, iterum unire, compingere, atque in pristinam formam, & molem restituere. *Tertius* modus est ingrediendi res duras per vulnus citissimè apertum, & consolidatum, per quod materia dura introducitur. Hic modus videtur facilis in partibus carnosis, difficilis in orificio stomachi, gutturis, arteriis, & aliis organis: non enim tam facilè N. 18.

cilè videtur has partes subitò aperiri, & subitò consolidari; quamvis fortè nec hoc diabolo artifici subtilissimo videatur impossibile. His quartus videtur superaddendus, quòd videlicet tales res ingerere possit dæmon per oris, & orificii dilatationem: si enim per hasce partes ejiciantur prout experientia comprobat, etiam per easdem ingeri possunt: & hic modus videtur ordinarius, si similia in ventrem ingeruntur.

N. 19. Cæterùm, prout optimè advertit P. Delrio, dæmones sic possunt illudere sensibus, ut quis putet ista in corpus ingeri, vel egeri, cùm tamen reverà talia non fiant, sed dæmones duntaxat ita apparere faciant: quod verosimilimum est contingere, quando res ita egestæ paulò post cernuntur evanescere. Præterea possunt ab eis citra factionem res hujusmodi in os immitti, & ejici, quasi ex ventre ejicerentur. Denique possunt hominem ita discruciare, quasi ejiceret, & ipsi interim similia apponere, quasi ex corpore egesta forent. Negandum tamen sine gravi temeritatis nota non videtur, similia sæpè in corpus ipsum ingeri, & per Chyrurgos exscindi, prout sæpè experientia comprobavit.

N. 20. *Septimò. Maleficium ligaminis* frequentissimum, ita, ut conjuges vel actum conjugalem exercere, vel certè semen deb tò modò decidere nequeant. Modi hoc male-

ficium

ficium perficiendi plurimi sunt, atque personis maleficis haud dubiè meliùs, quàm mihi cogniti. Causæ verò proximæ hujus impotentiæ octo potissimùm traduntur à Doctoribus. *1ma*, dum dæmon conjugem unum alteri reddit odiosum, ita, ut præ odii vehementia alteri appropinquare nequeat. Amant similes frequenter absentes, odiô persequuntur sibi præsentes. 2. Dum corpora impedit, ne sibi invicem appropinquare possint, vel phantasma quoddam inter medium collocat, eos à mutuo amplexu absterrens & impediens. 3. Dum spiritus vitales prohibet transire ad membra genitalia, sicque seminis decisionem impedit. 4. Dum membrum virile flaccidum reddit, & ita ineptum ad usum conjugalem. 5. Dum semen prolificum exsiccat, & subtrahit. 6. Dum naturalia applicat pharmaca generationem impedientia, qualia plura describuntur à Medicis. 7. Dum viri virilia prorsus abscondit, ita, ut nec videri, nec palpari queant, cujus plura videre licet exempla apud Schottum, & alios. 8. Denique causa est muliebrium obseratio, vel nimia coarctatio: licet enim hæc naturalibus causis oriri possit, sæpè tamen à dæmone provenire in compertо est.

Dividitur hoc maleficium ligaminis *imò* in absolutum, & quoad omnes personas, & in respectivum, seu quoad certam

duntaxat personam. Sic vir quidam canitie venerandus, mihi retulit, se etiamnum juvenem hoc maleficio ligatum nullo modo potuisse appropinquare fœminæ: dum vero insolitum hoc impedimentum ex maleficio ortum, & à certa prius adamata persona proveniisse putaret, eam sub schemate prioris familiaritatis ad secum deambulandum invitasse, atque sub patibulum deductæ stricto gladio occisionem fuisse minitatum, ni subitò maleficium tolleret: expavescens illa fatetur culpam, pollicetur meliora, & reverà mox maleficium ablatum sensit. 2do. Dividitur in perpetuum, & temporaneum, de quo specialiter quæstione mox sequenti.

N. 21. Cæterùm, quia impedimentum ligaminis pariter ex frigiditate provenire potest, sequentia signa unum ab alio dignoscendi deservire poterunt.

1. Si vir coitum appetit, virgam erigit; dum autem fœminæ appropinquat, relaxantur, & concidunt organa, signum est maleficii: si enim frigidus foret, virgam erigere non posset.

2. Si vir movetur ad coitum accedente erectione debita membri, quin semen debitè decidere possit, signum est maleficii; nisi hoc fortè ex arctitudine fœminæ aliáve causa naturali proveniat.

3. Si vir respectu unius est ligatus, potens tamen ad alias, signum est maleficii, ut

ut apud P. Sanchez de Matrim. Disp. 94. n. 6. docet Glossa, Hostiensis, & alii: Excipe tamen, nisi fortè arctitudo, virginitas, aut alia ratio naturalis obstaret: de quo præter alios videre juvat Paulum Zachiam lib. 3. tit. 1. q. 6.

4. Si vir appetens coitum, accedere volens subitò exhorrescit, nec accedere potest, pariter signum est maleficii. Idem est, si mulier viri avida sine alia ratione ita eum exhorrescit.

5. Tandem ex octo modis suprà relatis satis dignosci potest, an impedimentum sit ex frigiditate, vel maleficio.

Octavò. Maleficium adhæsionis corporalis inseparabilitatis viri & fœminæ. De quo in urbe Karentina terribile factum enarrat Saxo Gramaticus lib. 14. Hist. Dannorum: Erat haud dubiè hæc ultio divina, quæ sæpiùs modernô sæculô repetita homines lascivos magis continentiam doceret. N. 22

Nonò. Maleficium devovendi. Hoc contingit, dum malefici bruta animalia, vel etiam homines dæmoni devovent, & quasi mancipant, ita, ut eosdem possidendi, & mirè divexandi accipiat potestatem. Difficile quidem creditu videtur, hanc maleficis competere facultatem; veruntamen id reverà non rarò contingere, suadetur pluribus tum SS. Patrum authoritatibus, tum exemplis. Id enim docet S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, Anastasius Nicenus de N. 23.

Simo-

Simone Mago, Cæsarius, & alii, prout fusè refert, & exemplis comprobat P. Delrio disq. mag. lib. 3. p. 1. q. 4. sect. 6. Brognolus., Thyræus, Codronchus, & alii. Hæc autem immissio malorum spirituum non provenit à facultate cogendi dæmones, cùm nulla maleficis competat super eos superioritas, sed, Deo permittente, ex pacto diabolico. Nec credendum, maleficos quoscunque homines sic posse devovere dæmoni, sed illos duntaxat, quos ob gravia peccata, aut alias occultas, justissimas tamen rationes divina permittit justitia, de quo dictum p. 1. cap. 2. q. 4.

N. 24. *Decimò. Maleficium taciturnitatis*, quo dæmonita linguam impedit, ne verbum proferre quis possit. Hoc maleficio sæpè, imò ordinariè inficiuntur ipsimet malefici, dum ad torturam rapiuntur: licèt enim omnibus excogitabilibus afficiantur tormentis, nullum tamen crimen fateri possunt. Vidi pariter Frisingæ in domo infirmorum quandam fæminam à Parentibus hæresi Lutherana infectis natam, sed ad fidem Catholicam ante plures jam annos conversam: hæc post adventum suum pluribus hebdomatibus nec verbum proferre poterat: quare maleficium suspicatus præcepi diabolo, ut si reverà præsens sit, à tota potentia locutiva recedat, & personam SS. Nomen JEsu deprecando eloqui sinat: verùm, cùm illa formatô præceptô locô invocationis in phre-

phreneſin incideret, oculos mirô modô gyraret, ac denique totum caput ad dorſum usque inverteret, majori fiducia præcepi, ut dæmon ipſam ab omni vexatione immunem SS. Nomen JEſu invocare ſinat: Et ecce! in momento deperdita phreneſi paruit.

Undecimò. Maleficium diverſorum morborum: nulla quippe infirmitas naturalis eſt excogitabilis, quam verſipellis hoſtis imitari non ſtudet. Frequentiores nihilominus morbi videntur ſequentes. N. 25.

1. Maleficiati cibos peſſimos appetunt, & ſuper cibis ſubſtantialibus ſtomachantur.
2. Quidam cibum ſumptum retinere non poſſunt, à continuo vomitu moleſtati.
3. Nonnulli ſentiunt bolum à ſtomacho aſcendentem ad guttur, quem evomere videntur, & tamen ad priſtinum locum deſcendit.
4. Quibusdam videntur cibi ſemper indigeſti, ſentiúntque onus grave ſuper ſtomacho.
5. Alii frequentem pulſationem in collo, vel dolorem in renibus ſentiunt.
6. Quibusdam ſæpè fiunt ſincopæ ſeu ſingultus, & præcipuè unâ & eadem horâ.
7. Alii, & quidem ùt plurimùm, præter naturam toto corpore exrraordinariè extenuantur, & debilitantur cum ſum-

mo languore, & mentis stupiditate, ac variis melancholicis deliriis.

8. Laborant pariter diversis febrium generibus, Medicis multùm negotii facientibus: habent etiam convulsiones, ita, ut epileptici videantur: alii phreneſi laborant frequentissima.

9. Aliquando omnes corporis partes tumefiunt, aut talem in corpore sentiunt lassitudinem, ut vix se movere possint.

10. Sæpè cor in tantùm affligitur, ut videatur lacerari à canibus, morderi à serpentibus, clavóque seu acu ttansfigi, constringi, & suffocari.

11. Aliquando membra videntur flagellata, constricta, & quasi dilacerata.

12. Nonnullis viscera torquentur, & ventet repentinè inflatur, ac per interna viscera, ac si essent vacua, quasi ventus discurrit.

13. Aliis videtur, quasi mures in toto corpore discurrerent. Alii quasi formicas discurrentes sentiunt.

14. Quidam gravissimos dolores dentium, ve loculorum sentiunt, quasi acubus pugnerentur.

15. Sæpissimè, imò ordinariè gravantur maleficiati à melancholico humore, quorum alii adeò infirmantur, ut nec loqui, nec cum hominibus conversari velint.

16.

16. Alii præ vehementia dolorum horrens dè clamitant, ita, ut nulla vi contineri queant.

17. Denique alii diversis adhuc morbis etiam lethalibus afflicti laborant, peritis etiam Medicis incognitis: quibus proin prudentia Exorcistæ succurret.

Quæstio quinta.

An detur, & quid sit maleficium perpetuum, & quid temporaneum?

ADverte tanquam certò tenendum, dari maleficium perpetuum, Sic enim C. fin. 33. q. 1. definitur, impotentiam ex maleficio consurgentem; si illud sit perpetuum, dirimere matrimonium: Veruntamen magna vertitur controversia, quandonam maleficium sit dicendum perpetuum, quandonam verò meretemporaneum? plures siquidem tum ex antiquioribus, tum etiam recentioribus existimant, tunc maleficium dici perpetuum, si signum ejusdem positum non sit ampliùs in potestate sagæ, vel malefici, ita, ut industriâ humanâ tolli nequeat: sunt etenim hujus persuasionis, tamdiu perseverare maleficium formale, seu afflictionem factam à dæmone, quamdiu perseverat maleficium materiale, seu signum maleficii positum. Sed hanc persuasionem nec Evangelio, nec

Pa-

Patribus, nec etiam rationi esse conformem, infrà c. 4. q. 3. dicemus. Alii apud P. Sanchez de Matrim. Disp 94 n. 11. censent, tunc maleficium esse perpetuum, si à solo maleficii authore per aliud maleficium auferri possit: sed suppositum fallit manifestè quasi sublatio maleficii unquam à solo dependere possit maleficii authore: major etenim potestas cuilibet Exorcistæ desursum data est, quàm culibet alteri, præsertim homini malefico: si ergò hic maleficium alio mediante tollere potest, id faciliùs certè quilibet tollit Exorcista potestate sibi divinitùs tradita. Quare

N. 26. Dico: Maleficium tunc censetur esse perpetuum, quando à solo Deo per miraculum auferri potest. v. g. si à diabolo in corpore obsessi vel maleficiati corruptum sit aliquod organum, vel membrum aliquod ita debilitatum, quod viribus naturæ haud ampliùs resarciri queat. Quin imò, tunc non ampliùs est propriè dictum maleficium, sed duntaxat maleficii effectus, vel maleficium purè naturale, de quo suprà dictum q. 1.

Quare nullum maleficium dici meretur perpetuum, ubi omnia membra humana benè etiamnum dispositа, & necdum sunt corrupta: Fit enim ope dæmonis, quo rejecto totum sublatum est maleficium, prout frequens experientia me docuit: vidi quippè alios maleficiô infectos in pedibus, ita, ut

ut diu noctúque intensissimos sentirent dolores, nec ambulare possent: vidi alios in stomacho, alios in ventre, alios in aliis partibus maleficiis infectos, & felicissimè per præceptum in SS. Nomine JESU factum sine alia medicina corporali curatos. Sed, ut veritatem fatear, vidi & alios, diuturniori præsertim maleficiô infectos; etiam per præceptum sæpiùs iteratum non curatos: sed unicum (meô quidem judiciô) erat obstaculum corruptio membrorum à dæmone facta; prout in casu simillimo optimè discurrit Prognolus in Alexicac de curat. diabol. Disput. 1. n. 14. Optima ergò in maleficiis curandis Regula illa communis:

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.
Sed propterea, nec te venturas differt in horas.

CAPUT SECUNDUM.

De curatione diabolica maleficiorum.

Quæstio prima.

An liceat maleficium tollere per aliud maleficium?

N. 27. ADvertendum. Nullum esse dubium, sæpè morbos hyperphysicos per artem magicam posse tolli, & auferri: possunt enim magi & veneficæ eâdem operâ & arte diaboli, qua morbum hyperphysicum intulerunt, eundemque auferre & sanare: siquidem si maleficium sit præternaturale, & à reali præsentia diabolica causatum, maleficus diabolum fortiorem invocans pellit inferiorem. Si verò sit naturale, pariter operâ diaboli tolli potest: exactius quippe dæmones herbarum discrimina, vires, in medicando usum, applicandi rationem, & modum norunt, certiùs abditas, penitùsque obstrusas ægritudinum causas introspiciunt, quàm quisque peritissimorum etiam Medicorum. Sed neque dubitandum dæmones quandoque à maleficis invocatos vi pacti cum iis initi tollere & curare morbos maleficos, ut vel sic suis mancipiis ex pacto morem

morem gerant, eósque in officio maleficiandi, impiáque credulitate retineant: Insuper & miserorum ægrotorum, qui maleficiorum operâ curari volunt, fiduciam omnem à verò DEO ad se convertant, tandémque vel in extremum animæ periculum præcipitent, vel si Deo prohibente, ut crebrò contingit, ab ejusmodi morbis sathanæ operâ liberari nequeant, conscientiam ipsorum affligant; num fortè ad desperationem possint adigere.

N. 28. Licèt autem omnis curatio diabolica fiat operâ dæmonis, dupliciter nihilominus contingere solet: dæmon enim aliquando verbis, vel factis invocatur expressis, & formali adjuratione evocatur ex orco, ut secundùm pactum cum malefico initum tollat maleficium. Aliquando interpellatur duntaxat tacitè ab iis, qui nullo expresso pacto ejus ministerio irretiti, tamen se operibus dæmoniacis immiscent, & ad curationem utuntur; ad quorum tacitas preces subdolus hostis accedit, & occultô modô ea præstat, quæ à suis oratoribus postulantur. Prior curatio vocatur magica, altera superstitiosa, quarum utramque ceu licitam laudat post alios Paracelsus præsertim in libro de morbo caduco, ubi sequentem ponit aphorismum, dicens, *nihil referre, an DEus, vel diabolus, Angeli, vel immundi spiritus ægre opem ferant, modo morbus curetur, secundum illud Zacharia: salutem*

ex inmicis nostris. Idem libro de hyperphysicis morbis docet, *oportere Medicum quandoque accedere vetulas, fagas, Zigeneros, rusticos, & circumforaneos, & ex ipsis artem ipsam addiscere.* Verum relinquendo hoc impium & nefarium dogma, & ordiendo à curatione magica.

N. 29. Dico 1. Nunquam licet curare unum maleficium per aliud. Ita communis post D. Thom. & D. Bonavent. Neque satis mirari possum, doctum cæteroquin P. Jacobum Sprenger in malleo maleficiorum part. 2. quæst. 2. principali mihi fol. 183. asserere; Scotum, Hostiensem, Goffredum, & communiter Canonistas docere contrarium. Credo Sprengerum vel ex invidia, vel ex inscitia Doctori subtili, imò communi Canonistarum hunc pernitiosum adscribere errorem, Scotus enim (ut reliquos taceam) nullibi de maleficiis agit, præterquam in 4. distinct. 34. quæst. un. ubi sequentia habet verba: *Si per orationes Sanctorum impediatur virtus dæmonis, bene fit. Si tamen Deus illos non exaudiat, tunc si sciretur maleficium, & destrueretur, dæmon non fatigaret eum amplius, quia ex pacto non assistit, nisi dum durat aliquod signum. Et ex hoc patet, quod truffetica est illa quæstio: an liceat tollere maleficium, intentione curandi maleficiatum, non enim solum licet, sed est meritorium destruere opera diaboli: nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non aqui-*

aquiescit operibus malignis; sed credit, dæmonem posse, & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponit finem tali vexationi. En verba Scoti luce meridiana clariora, quibus docet, licere tollere maleficium per destructionem signi malefici. Nonne hoc ipsum cum communi docet Sprenger. Credendum ergò, Sprengerum Scotum vel non legisse, vel, quod verius, intelligere noluisse. Sed

Probatur Conclusio breviter: Levit. 19. DEus prohibuit: *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid scisciteminini.* Et cap. 20. *Anima, quæ declinaverit ad ariolos, & magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.* Idem habetur Deut. 19. Et Alexander III. cap. 3. de sortilegiis, damnavit Presbyterum, qui bono fine superstitiosam divinationem expertus fuit. Hoc ipsissimum damnat D. Augustinus, cujus testimonium refertur Cant. *qui sine Salvatore* 26. q. 7. ac alibi: & rectissimè; nam sublatio maleficii per aliud maleficium pessima est tum ex parte agentis, tum ex parte medii, tum ex parte finis. Ex parte quidem *agentis*, scilicet dæmonis; licèt enim quandoque salutem corporalem conferat, tota nihilominus ejus curatio in æternam hominis pernitiem redundat: nec priùs salutem confert, quàm honorem quasi divinum per adorationes, invocationes, & sacrificia recipiat. Ex parte *medii*, nam, ut uni maleficio affecto sanitatem

conferat, sortem miseram in alium transferat, ùt testatur Delrius lib. 5. disq. mag. sect. 13. v. *Tertio loco.* Sprenger p. 2. de modis tollendi & curandi maleficia q. 2. Brognolus in Alexicac. Disp. 1. de curatione diabolica n. 22. Præterea, ut sanitatem conferat, loca sacra, ut puta Ecclesias, Cæmeteria, imò ipsas res sacras, ùt Eucharistiam, aliáque Sacramentà in honorem divi cultûs instituta, violari, & tanquam pharmaca unicè necessaria applicari jubet. Quinimô infantes occidi, & ex iis unguentum in remedium præparari, aliáque scelestia, & planè nefanda mandat & præcipit: quæ latè prælaudati Authores explicant. Denique ex parte *finis* pariter pessima est: curat enim diabolus, ut ceu benefactor honoretur, & colatur. Ex hoc pro praxi.

N. 30. Inf. 1. Curationem maleficii per aliud maleficium esse ab intrinseco malam, ita, ut nec Summus Pontifex possit annuere. Adeoque non audiendus P. Sprenger l. c. mihi fol. 286. dicens, Summum Pontificem Nicolaum Papam annuisse, ut certus Alemaniæ Episcopus à maleficio per aliud liberaretur, ut ita inter duo mala minus eligeretur. Lege, si placet, loc. cit. historiam planè mirabilem, sed praxin abhorre.

N. 31. Inf. 2. Non esse licitum à maleficis paratis petere, ut maleficiô solvant maleficium, licèt enim aliqui contendant id licere,

cere, fermè, sicut ab usurario parato licet petere usuras; revera tamen paritas nulla est, quia tunc solummodò à parato licet petere id, quod ipse licitè potest præstare, quando petentis interest, ut suæ necessitati consulatur; sed hoc in casu non censetur posse maleficus licitè præstare; ergò, &c.

Inf. 3. hoc casu: quo maleficus plura media ad solvendum maleficium nôsset, quædam licita, quædam illicita, probabiliter ab ipso posse peti solutionem maleficii. Ita expressè P. Sanchez de Matrim. Disp. 95. n. 12. Palao de superstitione punct. 12. n. 4. Lessius, Suarez, Ledesima cum pluribus aliis contra Cajetanum, Delrium, & alios. *Ratio* est, quia ex communi sententia licet ab usurario petere mutuum, & ab infideli juramentum, quamvis forte prior non sit mutuum sine usura daturus, & posterior per Deos falsos juramentum præstiturus: ergò pari ratione licet petere à maleficò ablationem maleficii, licet fortè hoc sit præstiturus per aliud maleficium: sola enim res indifferens, scilicèt dissolutio maleficii petitur, neutiquam verò maleficium ipsum, utpote intrinsecè malum. N. 32.

Duas nihilominus opponunt cautelas Authores relati, *prima* est, ut absit ex parte petentis omnis cooperatio magicæ superstitionis. Quare, si magus velit tibi, tuisque rebus mederi rebus vanis, & inutilibus, túque similia permittis, in ipsam magiam

consentis. *Altera* est, ut maleficum excites ad maleficium modô licitô dissolvendum; ad hoc enim lege charitatis teneris, ut sic Peccatum proximi impedias.

N. 33. Inf. 4. Non licere ab aliquo petere dissolutionem maleficii, de quo dubitas, an id modô licitô, vel illicitô præstare possit. *Ratio* est, quia talis re ipsa ostenderet, se minimè curare, an licitè, vel illicitè curetur. Similiter si dubitas, an medium, quo solvendum est maleficium, superstitiosum sit, magicum, non poteris petere, neque mandare malefico, ut illo medio maleficium dissolvat, quia te exponis periculo peccandi: siquidem petis id, de quo dubitas, an licitum sit. Id est, si petas ab alio malefico dissolutionem maleficii, qui tamen ignarus est signi malefici, & loci, ubi positum est: quia tacitè petis, ut maleficium faciat, cùm aliâ viâ præsumere non possit illum scire: quomodo maleficium dissolvendum. Ita Sanchez, Less. Suar. Palao suprà citati.

N. 43. Inf. 5. Non esse illicitum verbis blandis à malefico petere, vel etiam minis, & levibus verberibus cogere, ut destruat maleficium, dummodo probabiliter credatur hoc licitè facturum. Ita pluribus relatis Prognol. in Alexicac. Disp. 4. n. 161. id etiam exemplis confirmans. *Ratio* est, quia talis utitur jure suo, & magum duntaxat ad hoc inducit, quod per se facere tenetur;

tur, & sine peccato facere potest, si velit,

Inf. 8. Licèt in dubio nemo debeat præsumi malus, sed bonus esse meritò supponatur; difficilimum nihilominus esse hanc applicare regulam hominibus plebeis, sæpè maleficia curantibus: nam triplicis duntaxat generis sunt remedia maleficiorum curativa, videlicet diabolica naturalia, & moralia. *Diabolica* ex dictis ab intrinseco mala sunt. *Naturalia* ex dicendis parùm, vel nihil proficientia. *Moralia* tandem, experientia teste, vix aliquando adhibent similes plebei, vel si adhibent, pluribus superstitionibus permiscent, ùt mox fusiùs dicetur. Quare consultissimum haud dubiè erit solos accedere Exorcistas, & reliquos omnes relinquere. N. 35.

Quæstio secunda.

An liceat curare maleficia per vana & inutilia?

ADvert. Jam suprà q. præced. mox ab initio dictum esse, aliam esse curationem magicam, aliam superstitiosam, quam utramque ceu illicitam communis Authorum omnium damnat consensus, si Paracelsum, aliòsque malos Asseclas ejus excipias. Verumtamen maleficia ceu vana, rebus consimiliter vanis posse tolli, & rejici, docet Hostiensis, Joan. Andreas, Rosella, & alii apud San-

chez lib. 7. de impediment. Matrim. Disp. 95. n. 2. & proponunt hoc exemplum, ut si maleficiati facerent tria Sacra celebrari, Postea omnino nudi vacarent operi conjugali, credentes fore, ut sic maleficium cesset: hoc enim, ait Rosella, licèt vanum sit, reverà tamen non est invocatio dæmonis, nec sortilegium, nec superstitio. Veruntamen

N. 36. Dico: non licet tollere maleficia per vana & inutilia. Ita Sanchez lib. 7. de impedim. Matrim. Disp. 95. Brognolus in Alexicac. de curatione diabolica p. 2. Sprenger, Palao, Lessius, & alii communissimè. *Ratio* est, quia similia non habent ullam virtutem à Deo, nec ab Ecclesia, nec ex natura rei, ùt omnibus videtur esse manifestum: ergò manifestè ex pacto diabolico. Quamvis ergò talis expressum cum dæmone pactum non ineat, tacitô tamen pactô eum invocat, & honorat.

Neque à culpa excusat cautela quorumdam, qui videntes ex rebus ejusmodi vanis, & inutilibus effectus sequi mirabiles, iisdem utendo protestantur, se nullum exinde velle consequi effectum, si quidquam superstitionis involvant, velle econtrà, si bonus sit, & licitus: nam ùt benè observat Sanchez citat. Similis cautela tunc proficit, & à peccato excusat, cùm dubium est, an effectum habeant naturalem, vel moralem à Deo concessum: in casu autem manifestum est, talem effectum nec esse naturalem

lem, nec moralem, & à DEO concessum: ergò necessarium erit dicere, esse superstitiosum, & diabolicum.

Quæstio tertia,

Ex quibus regulis desumi possit, media, per quæ tollitur maleficium, esse licita, vel illicita, & superstitiosa?

Dico, & respondeo, à Doctoribus passim plures tradi regulas; ex quibus facile dignosci queat, actionem esse licitam, & illicitam, & superstitiosam, ex quibus sequentes sunt præcipuæ. N. 37.

Regula 1ma. Si adhibeantur verba etiam doctioribus, & linguarum peritis ignota, falsa, apocrypha, absurda, nihil significantia, non cohærentia, aut aliquid contra fidem, vel apertè falsum continentia, aut sacra, sed detorta ad sensus alienos, ad quos non sunt ordinata, & instituta. Vel si aliqua nomina Dei incognitæ significationis, vel etiam Angelorum ignota nomina inserantur. Item, si verba sunt prorsus inutilia, nec deprecationem, nec invocationem, nec laudem DEI continentia, superstitionis convincuntur. Imò universaliter, quandocunque rei tribuitur vis & efficacia ad producendum effectum, quem nec primario nec secundario, nec media

mediatè nec immediatè ex DEI vel Ecclesiæ institutione aut ab ipsa natura habet, semper superstitio reputanda videtur. Ita DD. passim. Ratio clara est, quia talis effectus, qui nullo modo ulli ex allegatis causis adscribi potest, eo ipso dæmoni tribui debet.

Regula 2da. Si adhibeantur etiam sacra, & benedicta, cum promissione effectûs infallibiliter secuturi, mera superstitio est. Ita La Croix lib. 3. p. 1. n. 28. Brognol. in Alexicac. pluribus in locis, præsertim Tom. 2. de curat. diabol. à n. 210. & n. 318.

Regula 3tia. Si res adhibeantur naturales, vel artificiales, ùt signa, vel characteres ignoti, imagines, aut aliæ figuræ mirabiles: vel etiam ipsum signum Crucis non bene formatum, aut in loco, ubi non oportet, positum: vel alia superfluè certis locis, ac numerô iterata, sive in tali tantùm cartha, vel membrana, aut alio certo modo ad productionem effectus supernaturalis scripta, secta, vel formata, superstitio censenda est. Ita D. Thom apud Brognol. loco citato.

Regula 4ta. Quando efficacitas operis tribuitur certis ritibus, atque observantiis quibusdam peculiaribus, & ad hoc designatis v. g. ut fiat duntaxat hoc ante solis ortum, sub certo numero candelarum, tali vel tali longitudine, nisi ex devotione fiat ad certum honorandum Mysterium. Item si fiant

fiant ligaturæ certo modô, vel aliæ similes observantiæ serventur. v. g. ut tantùm in dorso portentur, vel in brachio dextro, ad collum &c. Vel tantùm in lamina argentea, aurea, vel alterius generis sculptili ad se tuendum à peste, vel maleficiis, aut alio simili modo, mera superstitio est. Ita Brognolus citat. Nisi hujusmodi certus modus portandi vel applicandi, vel ipsamet materia portata aut applicata ex natura sua majorem effectum habeat.

Regula 5ta. Si per orationem, aut res benedictas expectetur aliquid vanum, vel injustum, etiamsi verba, vel scriptura sancta sit, dubitari nequit, tacitum intervenire pactum diabolicum. Ita Brognolus citat.

Regula 6ta. Si ex una parte sciatur effectum à natura provenire non posse, ex altera verò dubitetur, an sit à Deo vel dæmone, præsumendum est esse à dæmone. Ita La Croix citat. *Ratio* est, quia, cùm res, quæ adhibetur, non sit naturalis causa solutionis maleficii, erit tantùm signum, ad cujus positionem vel Deus, vel dæmon effectum ponet; de DEO autem talia operante nescimus, nisi in Sacramentis & Sacramentalibus, estque temerarium dicere, semper fieri miracula; ergò plùs præsumitur, esse à dæmone.

Regula 7ma. Si aliqua videantur bona, aliqua autem admisceantur redolentia superstitionem, poteris usurpare cum spe even-

eventûs, si removeas superstitiosa v. g. sanitas spondetur puero, si B. Virgini offeratur candela præcisè taliter, vel taliter ponderosa &c. si tu offeras magis, aut minùs ponderosam, & speres sanitatem, rectè agis. Ita La Coix citat.

Hæ sunt regulæ generales, satis demonstrantes, quandonam aliquis effectus sit licitus, quandonam verò illicitus, & superstitiosus. Verumtamen, quia materia hæc satis subtilis, & in praxi satis periculosa est, potissimas breviter secundùm regulas præfatas recensebo curationes labe superstitionis infectas. Quare sit

Quæstio quarta.

Quænam in particulari sint potissimæ curationes superstitiosæ?

Dico, & respondeo, superstitionem in tantum invaluisse, ut innumeræ possent adduci curationes illicitæ & superstitiosæ, quarum aliquas duntaxat referam.

N. 28. *Primò* ad sagam cognoscendam, vel ab ea remedium petendum quidam utuntur his verbis: *Assa, sassa, frassa, jota, dotta, redotta.* Si enim verè, inquiunt, persona aliqua saga sit, & malefica, prædicta non sustinebit verba, sed indignabunda conqueretur, quid fecerit? Alii

Alii ex feretro pueri nati, & ante receptum Baptismum defuncti cum certis ritibus ramum interiorem excludunt, & per foramen factum omnes se sagas & maleficos cornutos videre asseverant.

Alii cum certis ritibus scopas modô inversô sub portam collocant, ne sagæ domo exire valeant.

Alii maleficiô infecti ollam novam emunt, propriámque s. v. urinam intromittunt, atque eandem benè clausam & munitam igni tamdiu admovent, donec saga præ dolore accurrat, & liberationem à maleficio promittat.

Alii, præsertim Venetæ, testante P. Brogiolo, in curbitam (sit venia verbo.) mingunt, illámque benè obstructam in quodam loco claudunt cum quibusdam ceremoniis, atque ita sagam venire compellunt.

Sunt etiam, ait P. Sprenger p. 2. q. 2. quædam mulieres, quæ tali signo notant maleficos, ut si vacca ubertate lactis ex maleficio privatur, tunc urceum lactis super ignem appendunt, & certis verbis superstitiosis insistendo, urceum cum baculo percutiunt; atque licèt vasculum mulier percutiat, omnia tamen verbera diabolus ad dorsum maleficæ defert, per quæ sic diabolus cum malefica defatigetur: facit tamen illa diabolus, ut percutientem Catholicam ad pejora alliciat. Hæc ille.

Alii apud eundem Authorem, ubi vac-

eas

cas maleficiô læsas ad pascua ducere volunt, maleficam exploraturi, nituntur diebus potissimùm Festivis, & sacratioribus bracam viri, vel aliud simile super caput aut dorsum vaccæ tenere, & ita eandem bacculô cum certis ritibus percutientes expellere: vacca verò ita expulsa recto tramite ad domum maleficæ properat, & cornua in ejus ostium vibrat, cum magno ejulatu. Ita ille.

Quidam ad maleficum cognoscendum comburunt soleam equi, vel alterius animalis maleficiô extincti: vix enim admovetur igni solea illa, mox maleficus incredibili ardore quasi comburitur, ac proinde accurrere ad ignem, rogaréque cogitur, ùt eximatur solea. Ita Gobat. in Theol. experim. de superst. n. 942.

Alii cor animalis maleficiô enecati comburunt, atque ita maleficum venire cogunt.

Alii quidam, quorum vaccæ lac sanguinolentum reddunt, materiam illam igni admovent, credentes hac arte aduri maleficos, sicque vel brevi adventuros, vel certè interituros. Idem P. Gobat. l. c. n. 995.

Alii tantummodò in speculum magicis artibus incantatum introspicientes, maleficum repræsentatum vident.

Alii tempore nocturno à stigibus molestati cussinum dejiciunt, vel pro re aliqua precariò petenda invitant, credentes stri-

stigem in cussino remansuram, vel altero die certè venturam.

Sed hæc omnia, & plura similia vana sunt, inutilia, & superstitiosa, nec enim effectum à DEO sibi appromissum, nec ritum ab Ecclesia toleratum, minùs approbatum habent: ergo necessariò à dæmone ceu magistro omnium similium nugarum adinventum, & effectum, ab eóque solo expectatum.

Secundò. Ad morbum maleficum à naturali dignoscendum, plura adhibent vana, inutilia, & superstitiosa. N. 39

Quidam enim, ùt refert P. Sprenger in malleo malef. p. 2. q. 2. Nider in Fornicario, Brognolus in Alexicac. vas plenum aquâ imponunt super locum corporis affectum, plumbúmque in cochleari ferreo liquatum huic infundunt vasi, interim verba quædam obmurmurantes, & subitò in plumbo coagulato diversarum rerum species repræsentantur, præsertim imago aliqua resultat, quæ si puncturis lædatur, etiam in illa parte maleficus læditur, ita, ut ex illo recepto vulnere facilè dignoscatur, aut si punctura repetantur, vel accurrere, & meliora polliceri, vel certò mori necesse habeat. Alii, licèt puncturis sagam non lædant, ex diversis tamen imaginibus ex plumbo prorumpentibus maleficium esse conjiciunt.

Alii apud Codroncum lib. 3. de morb. venef. cap. 13. Brognol. in Alexicac. Disp. 1. de curat. diabol. n. 183. cum decoctione verbenæ (vulgò herba S. Joannis) ægrotum abluunt; in qua ablutione, si nihil reperiatur, nec decoctio in colore immutetur, infirmum maleficiò non esse affectum dicunt: quòd si verò magna copia pilorum, & præcipuè porcorum inveniatur, esse argumentum efficax non solùm maleficii, sed & graviſſimi, miniméque curam recipientis; quòd si pili sint pauciores, morbum esse mitiorem, & curam admittentem. Si decoctum illud ad nigrum colorem mutetur, signum esse præsentiæ dæmoniacæ: si autem in alios colores mutetur, alia indicare.

Alii simpliciter s. v. urinario cineres imponunt, ut æger aquam in illud intromittat: quòd si certi pili, vel alia similia in illo inveniantur: maleficium reputant: si verò nihil reperiatur, morbum naturalem æstimant.

Alii, teste Codron. lib. 4. cap. 2. experimentum sumunt, columbum per medium sciſſum ventriculo ægrotantis apponendo, & nonnulla verba obmurmurando.

Alii pennas, seu plumas galinæ nigræ, omnibus reliquis inſciis sub cervicali personæ ægrotæ imponunt: atque si post biduum solæ inveniantur plumæ, infirmitatem esse naturalem conjiciunt; si ultrà pen-

pennas alia inveniantur opposita, maleficium censent.

Quidam, ut sexcenta similia intermittam, pultem coquunt, & loco publico, vel etiam privato exponunt, firmiter sibi persuadentes, omnes, vel aliquas sagas, conformiter eorum voluntati, comparituras, & de pulte comesturas.

Sed quis non videat, hæc & plurima similia esse vana, ridicula, nec à DEO, nec ab Ecclesia approbata: atque ita nullum alium, quàm dæmonem venerari authorem & patronum.

Tertiò. Ad morbum maleficum curandum, plurima sunt passim sub schemate etiam licitatis & sanctitatis à quibusdam usurpata: Ex plurimis tantùm sequentia refero. N. 40.

Quidam ex Varrone apud Brognol. in Alexicac. de curat. diabol. Disp. 1. n. 205. ad quoslibet morbos maleficos curandos his utuntur verbis: *fista, pista, rista, xista* &c. vel repetunt *Anasanges* cum certis ritibus.

Alii his verbis utuntur: *chara, phara, festa, tuta, mitta, mesta*: quinimò hæc verba aliqui adeò venerantur sacrosancta, ut eadem Amuletis includant: Sic in quodam certo loco publicè impressum, & excussum vidi quoddam schediasma cum duobus signis strigum majoribus, & duobus minoribus, cum mirabilissimis nominibus, inter quæ sunt: *Adether, Abracola, Abrata, Abrat,*

Aber, *Annanisopto* &c. Quæ omnia manifestè per primam suprà datam regulam ceu superstitiosa rejicienda sunt.

Alii scribunt hæc verba: † *Iram* † *Ciram* † *Abimelec* † *& in ferma Ciac* † Quæ superstitionis maculâ notatâ, nemo non videt.

Neque dicas, hæc & similia forte esse hebraica & in rei veritate sanctissima, consequenter minimè rejicienda. Verùm replicabo & ego: fortè sunt diabolica, & à dæmone inventa: fortè dæmonum invocatorum nomina. Cur ergò nos periculo committemus dimittendò remedia secura, & amplectendò periculosa? Ubi præterea nota conformiter Regulis superiùs *quæst. 3. n. 37.* datis, quòd verba, signa ac nomina ignota (intellige si non solum plebi, sed etiam doctioribus, ac linguarum peritis ignota existant) meritissimò ab AA. tanquam suspecta de superstitione rejiciantur. Nec refert exinde provenire subinde effectus miros, nam tales effectus juxta pariter ibidem dicta, quoniam prudenter in similibus circumstantiis alicui causæ naturali adscribi nequeunt, in dubio potiùs à dæmone, quàm à Deo provenisse præsumendi sunt, teste La Croix *lib. 3. part. 1. n. 28.* Quare vel ista verba verosimillimè sancta non sunt, vel si etiam sancta forent, nihilominus conformiter præce-

den-

dentibus principiis, cùm eorum institutio & significatio etiam doctioribus sit incognita, pariter usurpatio erit illicita.

Quidam alii post Ludovicum Banaciolum docent, si menstruô domûs alicujus postes inungantur cum certis aliis ritibus, magorum artibus & insidiis aditum omnem præcludi. Item pellem capitis lupini affixam villæ valvis, vel lupi rostrum cum certo ritu idem præstare, docet Plinius. Hyenæ sanguinem inunctum impedire omnes magorum artes, idem docet Plinius.

Fel canis nigræ amuletum esse domûs totius eo suffitæ, purificatæque contra cuncta maleficia: Eandem vim esse amianto lapidi, ac sanguine atri canis respersis parietibus, ejúsque genitali sub limine januæ defosso certo ritu, habetur apud eundem Plinium, Brognolum de curat. diabol. n. 175.

Mictio per annulum sponsalem contra impotentiam ex fascino commendatur ab Ettmyllero, & aliis, ait Joannes de Muralt. Verùm hæc omnia ceu vana, ridicula, ac superstitiosa denuò sunt rejicienda, prout ea post alios rejiciunt Brognolus, Delrio, Godelmannus, & alii.

Alii non valentes efficere butyrum, vas, in quo lac continetur, virgis verberant, donec saga verberibus saucia accurrat, & remedium afferat. Ita Gobat in Alphabet. Tract. 9. n. 993.

Alii ad efficiendum butyrum feram omninò novam, & nulli eò usque usui adhibitam, in vas lactarium injiciunt. Apud eundem.

Sunt & alii, qui ceream imaginem faciunt, & ita totum maleficium in sagam rejiciunt. Ita docet Paracelsus lib. de longa vita dicens: *Possumus morbos ab incantatione excitatos in certas imagines derivare. Debent autem cerei homunculi fabricari ad similitudinem maleficæ, quæ induxit morbum, in certa influentia cœli, debétque is homunculus certo in loco colocari, additis quibusdam execrationbus; & tum omne maleficium retorquetur in ipsum magum.* Hoc autem superstitionis damnat Godlman. l. 1. c. 8. n. 19.

Idem lib. de occulta Philosophia docet, maleficium ingestionis rerum solidarum in corpus, tolli, si aliquid earum in arboris sambuci, aut quercûs orientem spectantem partem, facto foramine ponatur, & cuneô certis verbis additis probè obstruatur: mox enim (ait) æger levamen sentiet, & quidquid ejus venenatæ materiæ adhuc in corpore delitescit, ultrò profluet, & ad ipsam arborem deferetur. Sed facilè superstitionis convincitur ex regulis suprà datis.

Omitto plurima similia, quibus referti sunt libri sub schemate etiam maximæ utilitatis, imò & necessitatis publicè divulgati, & à quibusdam maleficiorum & dæmo-

monum patronis approbati: cùm reverà nulla sit antipathia, nulla contrarietas inter aniles istas nugas, & dæmonem maleficium causantem: nulla divina institutio, nulla promissio, nulla ecclesiastica approbatio. Unicum ergo restat, merissima esse signa diabolica, ex institutione dæmonis suum effectum causantia, non quidem ad salutem hominis viatoris, sed ad æternum ejus interitum.

Quartò etiam verba sacra & benedicta usurpantur ad maleficia superstitiosè tollenda. Nam ùt erudite docet D. Thomas 2. 2. q. 96. art. 4. Brognol. Disp. 1. de curat. diabol. n. 210. Delrio, & alii, si res, aut verba etiam sancta portentur, aut proferantur, superstitio committi potest; si videlicet aliquid adjungatur, quod vanum sit, & inutile ad divinam reverentiam, aut ad divinum auxilium impetrandum; puta, si portetur Evangelium S. Joannis, vel alia verba S. Scripturæ sic, vel sic duntaxat conscripta, aut tantùm in pergamena virginea formata, ante solis ortum, &c. Vel si portentur Reliquiæ Sanctorum in vase triquetro, vel triangulo, tribuendo vim formæ, vel materiæ. Item, si diversæ à signo Crucis adsint figuræ, aut imagines incognitæ. Vel barbara & incognita DEI, aut Angelorum nomina &c. Item si omninò certus exinde speretur effectus, vel ad aliquem applicentur effectum conse- N. 41.

quendum, ad quem nunquam sunt instituta. Unde deduces, sequentia esse superstitiosa.

Ad omnia maleficia curanda uti solis verbis: *Consummatum est.* Vel: *Verbum caro factum est*: sperando exinde certum effectum, quasi aliter esse non possit, cùm tamen ex nulla legitima revelatione Deique promissione habeatur hæc infallibilis connexio ad invicem. Item scribere sola verba præfata: *Consummatum est*, in porta, ne ignis grassetur ulteriùs: ad hunc quippe effectum quasi infallibilem hæc instituta non sunt.

Licèt portare Evangelium S. Joannis etiam cum firma in Deum adjutorem confidentia, sanctum sit; nihilominus infallibilem per ejusmodi delationem inferre effectum, non caret superstitione, si non falsi cultûs, saltem superflui, ùt apud citat. Brognolum docet Suarez lib. 2. de superstitione cap. 15. n. 10. Unde etiam D. Chrysostomus de hac re super Matth. sic ait: *Quidam aliquam partem Evangelii circa collum portant: sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, ut audiatur ab omnibus? Cui ergo non prosunt in auribus posita Evangelia, quomodo possunt circa collum suspensa?* Et subdit: *Ubi est virtus Evangelii, in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? si in figuris, bene suspendis; si in intellectu: ergo melius in corde.*

Quidam, præsertim milites Hispani, de habet P. Delrio disq. mag. p. 2. q. 4. sect. 6. Brognol.

Brognol. Disp. 1. de curat. diabol. n. 202. sanctè viventes, & omnes gratis curantes, cum sola impositione linteorum, hac ad omnia mala curanda utuntur formula: *Per Christum, & cum Christo, & in Christo, est tibi Patri Omnipotenti in unitate Spiritûs sancti omnis honor, & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Oremus. Amen. JEsus, Potentia Patris, sapientia Filii, virtus Spiritûs sancti sanet hoc vulnus ab omni malo. Amen. JEsus, Domine mi JEsu Christe, credo, quòd nocte Jovis sancti in cœna, postquam lavasti pedes tuorum sanctorum Discipulorum, accepisti panem sanctissimis manibus tuis, & benedixisti, & fregisti, & dedisti tuis Discipulis dicens &c. Similiter accepisti calicem in sanctissimas manus tuas, & gratias egisti, & tradidisti illis dicens: accipite, & bibite, quia hic est meus sanguis novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: hoc quotiescunque feceritis, facite in meam commemorationem. Obsecro te Domine JEsu Christe, ut per hæc sanctissima verba, & per virtutem illorum, & per meritum SS. Passionis tuæ sanetur hoc vulnus, & malum istud. Amen. JEsus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen. JEsus.*

Hæc formula superstitionis damnata est ab Episcopo Iprensi Simonio, quam damnationem justissimam esse defendunt Delrius, & Brognol. loc. citat. ex sequentibus rationibus. 1. Quia effectus hic à solo Deo per modum miraculi sic assiduè, &

quasi ex consuetudine poscitur. 2. Quia sancti viri ad patranda miracula non sunt usi certis, & quasi conceptis verborum formulis: sed modò sic, modò aliter, prout Spiritus sanctus suggerebat. 3. Quia sanctitas similium hominum non satis semper est probata: cùm enim malefici pellem ovinam extrinsecùs induere possint, intùs esse lupi rapaces. 4. Quia, qui dono sanitatis aliis impertiendæ sunt præditi, nunquam cum conditione id faciunt, cum certis duntaxat verbis. 5. Quia non licet privatis comminisci formulas, nec à sacris literis, nec ab Ecclesia approbatas. Insuper depravat multa verba S. Canonis. Præterea applicat verba consecrationis rei cuidam, ad quam instituta non sunt. Denique petit effectum sibi concedi per vim prædictorum verborum, quorum vis non ad vulnerum corporis consolidationem, sed ad panis & vini transubstantiationem à Salvatore nostro sunt directa.

Ex his nunc rationibus facilè conjiciendum, quam vim & efficaciam supernaturalem habeant verba secundùm apparentiam etiam sanctissima passim à nostris vetulis, aliisque hominibus plebeis usitata. Plurimæ sunt curandi formulæ à diversis passim usurpatæ, quarum aliquæ expressè falsa, & hæreticalia continent, alia, licèt sanctæ videantur, & à quibusdam approbatæ

batæ, vix tamen sine superstitionis labe unquam usurpantur: jam enim cum certis quibusdam ritibus & observantiis adhibentur: jam certus & infallibilis iis effectus attribuitur: jam tota spes & fiducia in ipsa concepta verborum formula ponitur: jam verba etiam sanctissima in alium ab institutione sua usum applicantur.

Certè apud Athenienses, teste Leonardo Vairo lib. 2. de Fascino cap. 11. cautum fuit, ne quis verbis mederetur. Unde, cùm in Achaia quandam esse mulierem cognovissent, quæ verbis medebatur, eam lapidibus obruendam dederunt. Utinam (exclamat P. Brognol. in Alexicac. de curat. diabol. n. 208.) etiam Judices hoc nostro infelici ævo, Rectores animarum, cunctique, ad quos pertinet, super gregem suum vigilare, hoc Ethnicorum ob oculos sibi ponerent factum! certò non tot superstitionum germina pullularent, destruerentur latentis diaboli insidiæ, non ita faciliter ad sua vota consequenda homines his profanis, aut sacris, abuterentur philacteriis. Vide, si lubet, Brognolum & Delrium fusè ac eruditè hanc materiam tractantes. N. 42.

Sunt & alii, qui cum Paracelso lib. *de characteribus*, diversis figuris sancta inscribunt nomina: *Adonai*, *Jehova*, *Tetragrammaton*. De his Author citatus ita loquitur: *Præcipuè characteres inter alios plurimos, duo tantùm sunt veri & præcipui, quorum* N. 43.

pri-

primus constat ex duobus trigonis super se itis depictis, ut sexagonum constituant.

Alterum dicit esse priore efficaciorem, & esse pentagonon, seu quinque angulorum acutorum, in quorum spatiis inscribendas docet quinque litteras infallibilis Nominis divini *Jehova.*

Aut certè locò horum divinorum Nominum inscribendas docet quinque syllabas vocabuli *Te - tra - gram - ma - ton.*

Harum

Harum (ait) *virtute olim Israëlitæ insignia perfecerunt miracula, hodiéque tantæ etiamnum sunt efficaciæ, ut, si in placentulam mellam, aut hostiam sacrificulorum, quam nostri* Obblat *vocant, depingantur, & patienti ad comedendum exhibeantur, ab obsessis spiritus immundos expellant, diabolum fugent, & omnes morbos magicâ malitiâ inflictos, tam animi, quàm corporis, omnésque alias infirmitates, ubi aurum potabile, & quinta essentia Antimonii nihil efficere potuerunt, tollant, & persanent. Et ne quispiam dicat, hac in parte me peccare contra secundum præceptum; is sciat, me minimè peccare, cùm divinis nominibus non ad pernitiem, sed ad salutem hominum utar. Dicant ad hæc quidquid velint Theologi hypocritæ.* Hæc ille.

Ast prænotandum hic est, quòd Author iste (nimirum Theophrastus Paracelsus) in Indice librorum prohibitorum contineatur inter prohibitos primæ classis, utpote plenus superstitionibus. Non quidem negatur, *Adonai* & *Jehova* esse nomina sancta, DEO appropriata. Quomodo autem sine manifesta superstitione ipsis characteribus, quatenus sic inter se divisis, & in diversis angulis collocatis, effectus quasi infallibilis contra dæmones tribui possit, uti tribuit Paracelsus, homo dæmoni, & magis familiaris, nullatenus videtur. Undenam enim hæc tanta virtus? non à natura, uti per se patet. Nec specialiter à Deo, cùm id nec ex S. Scriptura, nec ex alia au-

authentica revelatione, nec ex SS. PP. aut approbatione Ecclesiæ ullatenus constat. Igitur ut à Paracelso provenientia, & tanquam infallibilem effectum habentia, à zingaris vel circumforaneis, aliisve jactata, rectissimè reprobantur.

Qualiter autem alio in sensu easdem figuras aliqui defendere conentur, adducetur propè finem hujus libelli.

Interim notetur D. Augustinus relatus caus. 26. q. 5. Can. *Nec mirum* 14. dicens: *Ad hæc omnia supra dicta pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, seu in præcantationibus, seu in characteribus: vel in quibuscunque rebus suspendendis, atque ligandis: in quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum, & Angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitauda sunt Christiano, & omni penitùs execratione repudienda, atque damnanda.* Quare

Deduces, varia insuper schedia signata diversis characteribus notata, atque à quibusdam Amuletis includi, vel in domibus, stabulis, aliisque locis collocari solita, non fore tolleranda, sed penitùs rejicienda. Licèt autem hic proprius locus esset, earundem formulam adducendi, & examinandi, nihilominus, cùm actuali examini Reverendissimi Consistorii Fr singensis sint subjecta, ultimata decisio necessariò expectanda, & in fine hujus secundæ partis apponenda erit.

Quintò

Quintó contra tempestates, tonitrua, & grandines avertendas, miras quidam adhibent figuras, miras etiam conjurationes. Alii sequentes adhibent:

Formulare Schedularum contra grandines.

†I†N†R†I†

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

✠ Maria ✠

I†N†R†I† Per Verbum, quod caro factum est, & per Sanctam Conceptionem Immaculatam Virginis Mariæ, & per hoc sanctum Nomen tuum

Libera

Libera nos Deus noster, & habitationes nostras, & pecora nostra, & campos & fructus terræ, à nociva tempestate tonitruum, grandinum, & venterum in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Hanc formam valdè efficacem censent: verùm ob rationes jam allatas displicet, & ceu superstitiosa meritò rejicienda, atque damnanda est.

N. 45. Alii priori formula non contenti, sequens contra omnia tonitrua & grandines, ceu efficaciſſimum, ùt jactitant, adhibent:

Formulare Schedularum contra grandines in agris fodiendarum.



A.	G.
JEsus Rex gloriæ DEus homo Adonai tetra- Verbum caro	Christus venit in pace Factus est grammaton- factum est.

L.	A.
Christus vincit Christus imperat malo nos Consum-	Christus regnat Christus ab omni defendat. matum est.

Alii præter verba circa signum orbiculare in forma rotunda hæc insuper scribunt.

Ecce! *Nomen Domini: Ens Entium, DEus causarum, Vita Viventium, DEus à quo omnia, DEus de quo omnia, DEus ex quo omnia, DEus in quem omnia, & per quem omnia, DEus, DEus Deorum DEus, Agla potentissimus, DEus Adonai, Dominus DEus. Heloim, iustissimus DEus, DEus Elion, Excelsus DEus, Elon Dominus DEus, & fortissimus DEus. Sodai, Omnipotentissimus DEus: sanctus, sanctus, Sabaoth, DEus, DEorum DEus, Adonai Tetragrammaton, quæ explicare nequeunt omnes linguæ viventium, nec mens, nec sensus hominum, & quod ego indignissima creatura tanti altissimi Creatoris indignus sum scire, nec nominare, nec conjunctionem sylabarum pronuntiare,*

nec minùs ad cælum oculos levare, sed tantùm audeo divinatione litterarum personare: Jod, He, Vau: fugite partes adversæ, fugite dæmones, fugite inimici generis humani: fugite rebelles Creatoris vestri: osculamini dæmones maledicti hoc gloriosissimum Nomen, & admirabile Nomen: Adonai Tetragrammaton, osculamini †††, †. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David, alleluja. INRI. *per verbum, quod caro factum, & per S. Conceptionem Immaculatæ Virginis Mariæ, & per Sanctissimum Nomen istum, libera nos DEus, & habitationes nostras, & pecora nostra, & campos, & fructus terræ à nociva tempestate tonitruorum, grandinum, & ventorum, pluviarúmque nocivarum in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti. Amen.*

Hoc signum supra expressum ita efficax esse dicunt, ut, sive in agro collocatum, sive in domo positum, sive ab homine apud se portatum, certum contra tonitrua noxia, & grandines sit munimen.

N. 46. Verùm plura displicent 1. Quòd effectus potiùs signis & verbis, quàm rei significatæ, ac veræ fidei & fiduciæ, vitæ piæ, laudabili, & sanctæ tribuatur.

2. Quia infallibiles promittit effectus.

3. Displi-

3. Displicet ex eo, quòd hoc duntaxat modo, sub tali figura, his verbis, his characteribus &c. scribi debeat: sic enim contra regulas n. 37. allatas peccare, consequenter superstitiosum esse meritò censetur.

Nec *inferas*, ob paritatem rationis damnandam pariter fore crucem contra pestem certis characteribus insignitam, & à P. Sannig in Ritual. Francisc. fol. 317. descriptam. Item & Numismata S. Benedicti, aliásque cruces tum hebraicis, tum etiam latinis litteris inscriptas, & passim Amuletis inclusas.

R. Enim negando paritatem: tales siquidem cruces nec peccant in forma figuræ in sola cruce omnibus dæmonibus terribili consistente: nec in litteris, & characteribus, utpote ab Authoribus passim explanatis. Neque fiducia certa & infallibilis in signis & characteribus, sed ob Crucem sanctam, benedictam, & sanctis verbis inscriptam, in sola divina misericordia tota confidentia collocatur.

Cæterùm negare nequeo, et am in hisce N. 47.
ab Ecclesia non tantùm toleratis, sed etiam approbatis, superstitionem posse committi: si enim ex sola delatione, quam non piæ preces, aliáque virtutum opera comitantur, certus speretur effectus, manifesta est superstitio, ùt suprà jam de Evangelio S. Jo-

annis dictum est. Præterea, si quis persuasus putaret, figuram præcisè talem esse debere, his duntaxat characteribus insignitam, ita, ut omissio unius etiam totum frustraret effectum, à labe superstitionis denuò excusandus non foret.

Denique, ut veritatem fatear, minùs placent imagines, & cruces illæ hebraicis litteris signatæ: nam quis sibi certò persuadeat, typographum in littera etiam sancta imprimenda non aberrâsse, & loco vocabuli sancti, dæmoniacum expressisse? errant persæpè in vocabulis latinis imprimendis; quis ergò credat, eos ab errore futuros immunes in imprimendis hebraicis, aliisque incognitis? quòd si verò aberrent, quis gnarus litterarum omnia puncta corriget? Quis Hebræorum citabitur, ut typum disponat? Verùm, transmisso etiam, omnia verba esse sanctissima, & approbata: omnia nihilominus merè sacramentalia esse videntur, ex se non habentia alium effectum, quàm hominem disponendo ad veram in DEum fidem & fiduciam. Sed, amabo! quomodo disponent, si non intelligantur? quomodo intelligentur, si neque à Sacerdotibus, populi pastoribus, & animarum Directoribus explanentur? Certè, cùm nulla verba, quantumvis sanctissima, ullum sine fide & fiducia theologica habeant effectum, ùt fusè in p. 1. hujus

hujus armamentarii cap. 3. est probatum, videre nequeo, quomodo peregrina istæc vocabula non explanata, neque ab ullo ordinariè intellecta effectum habere possint.

Vel certè, si ob preces Ecclesiæ, atque benedictiones sacerdotales iis effectum tribuas, quemadmodum tribuitur Numismatibus S. Patriarchæ Benedicti, quamvis verba non intelligantur: dicam, saltem longè consultius esse uti linguâ latinâ, æquè sancta, ut sic facilius omnis error evitetur.

CAPUT TERTIUM.

De Curatione naturali maleficiorum.

Quæstio prima.

An sensibilia & purè naturalia habeant vim directè sublativam & sanativam maleficiorum?

N. 48. ADvert. Ex dictis suprà cap. 1. q. 1. n. 3. maleficium aliud esse purè naturale, aliud præternaturale, aliud mixtum ex utroque participans, prout fusiùs locô citatô videre licet. Signa porrò distinctiva maleficii purè naturalis à præternaturali & mixto haud alia sunt, quàm illa, quibus infirmitas naturalis dignoscitur à vero maleficio, de quibus abunde dictum p. 1. cap. 1. q. 6. item suprà n. 25. ex quibus sequentia videntur præcipua: 1. maleficium purè naturale certam & fixam in corpore sedem habet, nec de parte in partem discurrit: Econtra maleficium præternaturale ordinariè jam hanc, jam aliam corporis partem afficit, atque tremendos causat dolores: decurrit per corpus per modum formicarum, murium, aliorúmque similium animalium viventium. 2. Dolores ex maleficio naturali causa-

causari fermè continui sunt, sicut & causa eorum purè naturalis semper eodem modo applicata est: Econtra dolores ex maleficio præternaturali procedentes ordinariè discontinui sunt, ita, ut jam graviter personam afficiant, jam subitò cessent, & persona omnimodæ sanitati videatur restituta.

3. Dolores ex maleficio præternaturali ad præceptum, vera fide & fiducia in SS. Nomine JEsu factum, evanescunt subitò, & iteratò ad præceptum incipiunt; ubi tamen dolores ex maleficio purè naturali exorti non ita per præceptum leniuntur. H. N.

Dico 1. Pharmaca purè naturalia vim habent atque efficaciam directè sublativam, & sanativam maleficiorum purè naturalium. Ita communis. *Ratio* est satis manifesta, qua constat contraria contrariis curanda: talia autem maleficia sunt, & supponuntur esse purè naturalia, eisque quà talibus contrariantur naturalia: ergò pharmacis naturalibus erunt curanda. N. 49.

Quare, cum Exorcistæ persona quædam infirma sanitatis recuperandæ causâ sese præsentat, eidem diligenter est advertendum, ne festinanter, & præcipitanter suo judicio, vel ipsius afflictæ dictis aquiescat: solent enim infirmi faciliùs ad Exorcistas gratis suum præstantes auxilium, quàm ad medicos confugere, quibus de-

bitam ſolvere debent mercedem. Cautè ergò procedat, ac prudenter ſigna unum maleficium ab altero dignoſcendi conſideret: Et ſi fortè malum deprehendat eſſe purè naturale, ſuadeat ejusmodi ægrotis, ad medicos peritos ſuum habere recurſum,

Sed nec in naturalibus etiam maleficiis Exorciſtæ munus & auxilium inutile, ſed ſummè frequenter neceſſarium eſt: dum enim Medici in morbo ex maleficio diabolico procedente curando, ſunt intenti, verſipellis hoſtis ex inveterato in genus humanum odio, urgentibus etiam ſagis & maleficis, nova ſemper machinatur maleficia, recentia in corpus ingerit venena, aliáve noxia: quinimò & medicinam corrumpens omni niſu ſanitatem impedire ſed tagit. His porrò malis non Medici, Exorciſtæ ſolers prudentia occurrit, dum medicinis, emplaſtris, aliisque infirmo applicandis, præviam impertitur Benedictionem, atque eundem infirmum iis præmunit ſpiritualibus remediis, quibus perſonæ à dæmone liberatæ, vel aliàs infeſtatæ, à dæmonis incurſu præſervandæ ſunt, de quibus dictum p. 1. cap. 6. q. 12.

N. 50. Dico 2. Nulla res naturalis & corporea habeat virtutem directè tollendi maleficium præternaturale, vel mixtum. Ita Diadacus Celada in c. 6. Tob. §. 233. n. 10. Cornelius à Lapide, Tirinus, Lyranus in loc. præ-

præfat. Brognolus in Alexicac. Disp. 2. à n. 370. Delrius, & alii communissime. *Prob.* cum Abulensi. 1. Reg. 16. q. 46. ubi ita habet: *Impossibile est, quòd minor potestas sibi subjiciat majorem: & tamen non est potestas super terram, quæ comparetur potestati dæmonum. Ideò non erit aliquid naturale, vel cæremoniale, per quod dæmones possint ab homine cogi &c.* Ex quibus subsumo; atqui in maleficio præternaturali & mixto dæmon realiter præsens est: ergò per pura naturalia ad recedendum cogi nequit. *Conf.* Inter rem corpoream, & rem omninò spiritualem supposito diversam, est grandis improportio; nec omninò apparet, quomodo corporeum in spirituale agere possit: unde valde desudet subtilioris Theologiæ solers industria in assignando modo, quo corporeus gehennæ ignis in dæmones, & animas separatas agere possit, de quo præ reliquis subtiliter tractat Doctor noster subtilis in 4. d. 44. quæst. 2. ubi impossibile reputat, ignem materialem etiam per potentiam obedientialem elevatum, physicè cremare spiritus; ergò eadem ratione impossibile erit, rem materialem & corpoream directè agere, & ex corporibus humanis expellere spiritus; his autem in maleficio præternaturali non expulsis, neque maleficium solutum erit. Sed in contra.

N. 51. Ob. 1. Reg. 16. legitur: *Quandocunque enim spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat Cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus;* sed pulsus cytharæ erat aliquid purè naturale: ergò. 2. Angelus Raphaël Tobiam junjorem jussit seponere cor, fel, & jecur piscis, & dans rationem dixit: *Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita, ut ultra non accedat ad eos.* 3. Exorcistæ veteris testamenti, prout testis est Josephus apud Thyræum de dæmoniacis. p. 3. cap. 48. n. 7. annulis, qui sub signaculo radicem Salomonis insertam habebant, per odorantium nares omne genus dæmoniorum extrahebant; ergò &c. hæc sunt potissima fundamenta sententiæ adversæ. Sed.

Respondent ad 1. Theodoretus, Tirinus & alii in locum præfatum, nullis sonis, quantumcúnque numerosè modulatis fuisse pulsum dæmonem, sed sacris Psalmorum & Hymnorum verbis, quin & piis precibus ac votis, quibus David pro Regis incolumitate DEum interpellabat; penè eo modo, quo nunc Ecclesia per preces ac sacra verba: per adjurationes & Exorcismos expellit cacodæmones ex energumenis. Alii aliter respondent, prout passim in expositoribus videre licet.

Ad

Ad 2. diversi diversa respondent, communior tamen sententia est Lyrani, Celadæ, Serarii, Cornelii à Lapide in loc. præfat. glossantium, Asmodæum inchoatè vi naturali, completè verò vi supernaturali, & angelica fuisse expulsum ob preces Tobiæ & Saræ. Etsi enim res materiales directè in dæmonem agere nequeant, verosimiliùs nihilominùs est, posse agere saltem inchoatè & indirectè, in quantum humores noxios à dæmone causatos tollunt, vel minuunt, prouti Q. seq. magis explicabitur. Completam verò expulsionem dæmonis soli Angelo esse adscribendam, manifestè Scriptura insinuat ibidem cap. 8. v. 2. ubi dicitur: *Protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos, tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religavit in deserto.* Et cap. 12. v. 3. dicitur: *Et dæmonium ab ea ipse compescuit.*

Ad 3. denuò diversæ sunt Authorum opiniones: nam aliqui, ùt videre est apud Thyræum de dæmoniacis p. 3. cap. 48. n. 26. Eleazarum, qui radicibus in Exorcismo usus dicitur, inter magos reputant, negántque Salomonis Exorcismô usum. Alii putant radici nullam insuisse vim naturalem pellendi dæmonem, sed moralem ex institutione divina: Cùm verò moderno tempore nil ampliùs de ejusmodi institutione nec ex Scriptura, nec ex Conciliis

liis, & Patribus constet, etiam herbas nullam amplius habere vim directam pellendi dæmones, dicendum erit.

Quæstio secunda.

An sensibilia non habeant vim saltem indirectam, vel etiam intentionalem pellendi dæmones, ac curandi maleficia?

N. 52. ADvertendum, non esse superstitionis damnandos illos Exorcistas, qui præter Exorcismos Ecclesiasticos etiam diversas herbas, & lapides usurpant: hoc quippe ceu licitum approbat D. Hieronymus, prout refertur à Gratiano causa 26. quæst. 7. cap. 18. ibi: *Dæmonium sustinenti petras, vel herbas habere sine incantatione.* Vertitur ergò quæstio inter Authores, quam vim & efficaciam habeant. Unde pro Responsione

Dico 1. neque pharmaca purè naturalia vim habent indirectam completè expellendi dæmones, ac solvendi maleficia. Ita expressè Lyranus, Tostatus in prima parte cap. 5. quæst. 2. n. 173. relati. Sequuntur Celada in cap. 6. Tobiæ. Serarius, Cornelius à Lapide, & alii ab his relati. Ratio breviter est, *tum*, quia dæmones purè sunt spirituales, atque eò ipso extra spheram activitatis rerum materialium: sicut

sicut enim potentia materialis objecta spiritualia attingere nequit, ita res corporalis nequit expellere dæmones. *Tum*, quia, licèt dæmones magis, minusve hominem divexent, & crucient, secundùm diversas corporis dispositiones, reverà tamen ab his minimè, sed à sola sicut in essando, ita in operando permissione divina dependent. Quinimò spiritus mali facili negotio humores illos noxios per medicinas corporales expulsos, denuò excitant, & excitatos coacervant, corporis passiones mitigatas iteratò resuscitant, ita, ut sæpè hominis illius novissima post multas etiam sumptas medicinas, fiant pejora prioribus. Ast quid *sæpè* dico; cùm experientia ipsa ceu optima rerum magistra testetur in dies, homines maleficiatos, vel à dæmone possessos, similibus medicinis absque aliis remediis spiritualibus non adjuvari, sed aggravari, non sanari, sed debilitari. Sed unde debilitas ista? non utique à medicina, sed ex diabolo, vel effectum medicinæ frustrante, vel certè humores noxios magis coacervante, aut omninò noxia quæque in corpus ingerente. Vide de hoc Medicos ipsos, nominatim celeberrimum Codroncum lib. 4. de *morbis veneficis*. cap. 2. Senertum lib. de *morbis à veneficio inductis* cap. 10. ubi experientia docti fatentur, remedia naturalia morbis maleficis nihil prodesse, & Medicos frustra

ſtra laborare in hujusmodi defectibus curandis.

N. 54. Dixi nihilominùs in concluſione notanter, non habere vim *completam* expellendi dæmones, & ſolvendi maleficia. Fatentur ſiquidem Celada, Cornelius à Lapide, Serarius, Tirinus, aliique expoſitores paſſim in locum præfatum, habere vim quandam incompletam, & remotam. *Ratio* eſt, quia cauſa limitatæ virtutis producit effectum intenſiorem in materia magis diſpoſita, quàm minùs diſpoſita; Cùm ſecundùm Philoſophum 2. *de anima*, actus activorum ſit in patiente benè diſpoſito: diabolus autem eſt agens limitatæ virtutis: ergò vexationem intenſiorem cauſare poteſt in hominem: conſtat autem pharmacis purè naturalibus tolli, vel ſaltem minui diſpoſitiones illas: ergò. Quare, licèt herbæ, lapides, harmoniæ, aliæque res corporales ſua naturali virtute totaliter dæmonis vexationem excludere, vel maleficium tollere nequeant, poſſunt nihilominùs, prout optimè diſcurrit Richardus de Media villa Quodl. 3. q. 8. illam vexationem mitigare; non ea quidem ratione, quaſi ſimilia naturalia in dæmonem, ceu purum ſpiritum agerent; ſed agendo in ipſum vexatum: haud parùm enim malus ſpiritus non bona hominis temperio adjuvatur ad illum exagitandum: naturalis

ralis autem virtus, quæ medicamentis inest, valet ad humores temperandos, & corporis passiones mitigandas, ita, ut minùs subjiciantur actioni dæmonum.

Cæterùm, licèt naturalibus pharmacis vis quædam inchoata, indirecta, atque incompleta concedatur, ea nihilominus sine prudentis Exorcistæ præceptis vix proficient. Econtrà, si solum accedat Exorcistæ præceptum post debitas instructiones formatum, absque omni alio pharmaco naturali, tota infirmitas ex maleficio præternaturali procedens, sæpè erit sopita, imò radicitùs extincta, prout frequentissima testatur experientia. Quòd si tamen naturales quædam reliquiæ supererssent, per pharmaca naturalia expellendæ forent. Vide de hoc celeberrimum. P. Prognolum in Alexicac. Tom. 2. Disp. 2. à. n. 384. Codroncum Medicum lib. 4. *de morbis veneficis*, cap. 2. Senertum lib. *de morbis veneficio inductis* cap. 10. suprà citatos, qui tenent, omnem Medicorum conatum, remediorúmque naturalium effectum esse frustraneum in hujusmodi morbis curandis.

Dico 2. Pollent pariformiter quædam N. 55.
corporalia vi quadam intentionaliter agendi in dæmonem. Ita Sanchex apud Cornelium à Lapid. in cap. 6. Tob. v. 8. Brognol. l. c. n. 415. *Ratio* est, quia maligni spiritus res illas corporeas, puta sulphur

phur, rutam, aliásque id generis herbas apprehendunt tanquam instrumenta, quibus utitur Exorcista ad eos irridendos, & affligendos: dæmon enim, ait P. Sanchex, superbissimus suffumigationem rei tam vilis ferre non potest, abit, & fugit. Dæmon siquidem superbiâ suâ excæcatus ab ortu creationis suæ se tantùm æstimavit, ut DEO similis esse voluerit. Cùm autem agnoscit, se contemni, ac ludibrio haberi, próque majori contemptu res corporeas ac fætidas maleficiatis applicari, non vult tales injurias, ac ludibria: Ex qua nolitione sequitur tristitia, quæ secundùm D. August. lib. 4. de Civit. cap. 15. est *dissensio in his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.* Hoc autem contingit præcipuè, dum illi proponuntur ea, quæ afflictionem æternarum pœnarum suggerunt, ùt fumus sulphuris, ignis, ac rutæ: nam *de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.* Apoc. 9. Ruta insuper est rememorativa amarissimæ Christi Passionis, qua diabolus victus est, & prostratus.

N. 56. Verumtamen, licèt similia actione intentionali possint in dæmonibus aliquam causare tristitiam: non tamen facilè credendum est, eos ob similium applicationem velle ab obsessis, vel maleficiatis recedere: si enim, prout experientia quotidiana demonstrat, dæmones non recedunt, licèt Exorcista eis objiciat signum Crucis,

Crucis, Sanguinem pro nobis effusum, cæteráque Redemptoris nostri mysteria, quibus sunt devicti & prostrati; quid rutam, sulphur, aliáque id generis plura pavebunt ratione significati, si significatum ac mysterium ipsum parvipendunt? Longè ergò meliùs & consultiùs erit, si posthabitis ejusmodi sensibilibus, Exorcista toto conatu remediis spiritualibus incumbat, præsertim, cùm corporalia plùs sæpè miseros excrucient & torqueant maleficiatos, quàm dæmones ipsos, prout in prima parte Armamentarii dictum.

Et certè, si quædam maleficiatis sunt N. 57
nociva, res fœtidæ primum sibi locum vendicant inter omnia noxia, affligunt miserum maleficiatum, & dæmonem exhilarant. Pertentent Exorcistæ, quantùm possunt, res varias adhibere obsessis, vel maleficiatis, quibus intentionali actione dæmones torqueri putent, & oleum ac operam perdent. Recipiant galbanum, sulphur, asam fœtidam, aristolochiam, hypericonem, rutam, carnem vel limaturam ungulæ asini, canis, ac diaboli stercora, ex eisque factô fœtidô suffumigiô maleficiatum fumigent, ut dæmonem actione intentionali torqueant, & ejiciant; non aquam duntaxat verberabunt, sed dæmonem refocillabunt: dæmon enim nulla re magis, quàm fœtidâ delectatur: quare, si corpus aliquod assumit, illud vel est cadaver fœtidum,

vel ex aëre fœtido formatum; Si in corpore humano habitat, graviſſimos denuò fœtores cauſat. Si ex corpore recedit, ſæpè aërem circumſtantem undequaque fœtoribus intollerabilibus replet, ac inficit. Si ſagis, aliisque ſuis familiariſſimis apparet, formam fœtidiſſimi hirci exhibet. Quid ergò mirum, ſi ſimilia fœtida non abhorreat? Sed

N. 58. Dices: plura ſunt naturalia, quibus vis quædam ſupernaturalis ad dæmones fugandos eſt attributa; ſic enim docet Valeſius *Sacræ Philoſophiæ cap. 28.* piſci tobiaco fuiſſe attributam quandam vim ſupernaturalem ad fugandos dæmones, ſicut igni infernali eadem tributa eſt ad eos cruciandos. Conſtat pariter ab experientia ſimilibûs plurimùm torqueri dæmones, nec poſſe ſufferri à ſagis & maleficis: non ſemel enim odorem ejusmodi rerum fœtidarum ſentientes, illicò recedere ſunt animadverſi.

℟. Valeſium nullâ prorſus ratione ſuffultum hanc eis ſupernaturalem attribuere virtutem, cùm nullo textu Scripturæ, nulla authoritate cujusdam Concilii, aut alicujus S. Patris hanc ſuam ſingularem opinionem ſtabilire poſſit. Deinde virtus ejusmodi vel eſſet phyſica, vel moralis? non *phyſica*; utpote quæ à Theologis tum Sacramentis in ordine ad cauſandam gratiam, tum igni infernali ad cremandos phyſicè eò

eo modo, quo concremantur ipsa corpora, spiritus ex fundatissimis denegatur rationibus, quas videre licet præsertim apud Scotum, & Scotistas passim, ita, ut supervacaneum videatur quandam adducere: consequenter nec rebus corporalibus ulla similis virtus supernaturalis concedenda videtur. Non *moralis*, cùm enim hæc vel ex meritis Christi, vel Ecclesiæ piis precibus descendat, sine sufficienti ratione, institutione, ac permissione, de qua tamen nihil prorsus constat, nullatenus videtur attribuenda.

An porrò dæmones multùm similibus torqueantur, ac crucientur, nulli magis, quàm Exorcistis sedulò muneri suo incumbentibus constare potest: sed quinam illi? quisnam magis expertus celeberrimo P. Brognolo? at hic per plura folia contrarium demonstrat. Quis doctior Lyrano, Cornelio à Lapide, Celada, allisque S. Scripturæ Expositoribus passim? at hi inchoatam duntaxat virtutem eisdem attribuunt. Denique, si meam tenuitatem, quid sentiam, quæras: dicam veritatem, me per plures annos oneri exorcistico submissse humores, & nunquam vidisse, per corporalia effectum oriri optatum. Et quid mirum! S. Scriptura Matth. ult. modum describens ait: *in Nomine meo dæmonia ejicient*: En! non rebus corporeis, sed Nomine JESU: non rebus naturalibus, sed N. 59.

potestate divinitùs tradita ejiciendi sunt dæmones, & consequenter etiam maleficia curanda.

Ecclesia pariformiter nullibi in Ritualibus corporalia, sed mera consulit & præcipit spiritualia: ergò. Quare ex duplici potissimùm ratione remedia naturalia adducere supersedeo: Prima est, ne falcem in alienam immittam messem, præscribens naturalia solis peritis Medicis cognita: plùs quippe nocere possem, quàm prodesse. Altera ratio est, quòd similia vi valdè exigua polleant, utpote inchoata duntaxat, atque indirecta. Optimè ergò concludit Senertus de morbis à fascino & incantatione provenientibus capite 10. *Remediis naturalibus omnibus in morbis à veneficio provenientibus inductis, nemo certè sibi sanitatem pollicere potest: etenim, cùm diabolus non solùm dispositionibus mediciis vulgò totis utatur, sed & ignotas introducere possit; & Medico ignotum sit, quibus modis diabolus ad nocendum usus sit, talia remedia aliquid juvare, morbum verò tollere planè non possunt; imò, si DEus permittat, diabolus remediorum naturalium vires debilitare, & infringere potest. Ideò, si remedia naturalia non sufficiant, ad divinum auxilium, & curationem recurrendum.*

De qua sit

CA-

CAPUT QUARTUM.

De curatione morali & divina maleficiorum.

Quæstio prima.

Quid & quotuplex sit curatio moralis maleficiorum?

ADvertendum: Neutiquam esse confundendam curationem moralem maleficiorum cum curatione divina: Licèt enim omnis curatio divina modô ordinariô per artem exorcisticam, aut applicationem rerum ab Ecclesia benedictarum facta, simul sit moralis, hæc tamen vicissim non semper est divina, utpote cùm fieri pariter possit per destructionem signorum maleficorum, aut per positionem contrariorum, ùt mox quæstione sequenti dicemus. Dæmon enim in suis maleficiis concinnandis quandam divinorum operum affectat imitationem, ut DEO similis, quod dudum appetiit, esse videretur. Unde sicut DEus per signa quædam sacra, quæ Sacramenta vocamus, humano opitulatur generi, ita dæmon per signa magica ad hominum exitium promovendum, salutémque evertendam, quædam sensibilia instituit signa, non quasi causas morales, sed ceu puras conditiones, tamdiu nocumentum expacto inferendi, quamdiu N. 60.

signa illa permanserint, ut vel simili modò maleficos in suo servitio conservet, atque venenum sui implacabilis odii effundat.

Neque tamen signa illa certa sunt, atque infallibilia, qualia sunt Sacramenta, sed sæpissimè falsa & deceptoria: Væ quippe generi humano, si serpens ille antiquus in quoslibet venenum suæ nequitiæ infundere posset: quare positis etiam signis dæmon nulli divinitùs nocere permittitur, qui divinâ fiduciâ fretus, à DEO protegitur, prout fusè p. 1. c. 1. Armamentarii dictum. Unde directè ad quæsitum.

N. 61. Dico: Curatio moralis maleficiorum nil aliud est, quàm certis adhibitis remediis licitis non physicam, sed moralem duntaxat habentibus contrarietatem cum maleficio, illud tollere & destruere. Dicitur 1mò: *Certis adhibitis remediis licitis*, non enim de illicitis, vanis, & superstitiosis impræsentiarum agitur, sed de licitis, qualia sunt destructio signorum, Sacramenta, & sacramentalia instituta ad destructionem maleficiorum, de quibus in progressu plura dicentur. Dicitur 2dò: *non physicam, sed moralem* &c. hæc enim causæ sunt morales, Deum ad dæmonum incursus impedendos moventes, vel certè pacti destructio, quo dæmon se nocumentum illaturum promisit.

Unde patet, curationem moralem potissimùm esse duplicem; prima siquidem contingit per destructionem signorum maleficorum,

corum, aut positionem contrariorum, altera verò per applicationem tum Sacramentorum, tum Sacramentalium. Quare sequitur.

Quæstio secunda.

An liceat maleficii signa destruere, ut dæmon nocere desinat?

Dico. Non solùm licet, sed & meritorium est destruere signa maleficii intentione curandi maleficiatum: Ita Scotus in Tris. in 4. dist. 34. q. un. cum communi. N. 62.

Probatur breviter 1. Talis destructio neque est tacita dæmonis invocatio, neque ulla ejusdem honoratio: destruens enim non pascisitur cum dæmone, sed pactum dissolvit, neque dæmonem invocat, sed invocationem per magum signo illo factam tollit & impedit; fermè, sicut, si quis cum hoste pactus sit, ut datô signô occurrat, & mœnia conscendat, licitum & bonum esset illud destruere signum, atque ita impedire inferendam noxam, quin ullatenùs invocetur vel honoretur hostis: ita pariter non invocabitur vel honorabitur dæmon, si ejus signa destruantur.

Conf. Si saga certis carminibûs, aliísque nefandis precibûs cuiquam nocere vellet, nullum supereresset dubium, licitum esse eandem impedire: cur ergò non similiter liceat destructione signorum impedire-

dire, si positis signis dæmonem ad nocendum accersat? Pariter si quis pactum cum sicario, alióve homine malitioso fecerit, ut certô positô signô occidat, aliúdve nocumentum inferat, quis dicat, illicitum esse tollere signum? Quis in ejus destructione honorem quemquam sicario deferendum censeat? Ergò pariformiter nullus in destructione signi magici diabolo deferetur honor, nec ullum adeo censeri poterit peccatum. Vide plura in P. Delrio Disq. mag. lib. 6. c. 2. sect. 1. q. 3. pereleganter hanc materiam perstringente. Sed

N. 63. Objicitur, mò: Divus Hieronymus in vita sancti Hilarionis refert, ad Virum hunc sanctissimum adductam fuisse puellam à dæmone possessam, atque dæmonem exclamâsse, se invitum in puellam ingressum, neque egressurum nisi priùs signis maleficii ablatis: *Noluisse autem Virum sanctum, antequam purgaret virginem, signa jubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni ejus accommodâsse fidem*, ùt ait idem Divus Hieronymus: ergò.

R. Negandô consequentiam; verba quippe Divi Hieronymi aliud nil referunt, quàm sanctum Hilarionem noluisse signa perquiri, ne populo ignoranti incantationibus dæmon recessisse videretur, aut ne sermonibus ejus, quòd absque signis perquisitis exire nequeat, fidem accommodâsse censeatur: quòd si ergò absit error atque ita

ita scandalum populi, neque falsis hujuscemodi dictis fides accommodetur, à sensu contrario optimum erit desumptum argumentum, id vel maximè licere: an porrò expediat, mox quæstione sequenti dicemus.

Objicitur 2do. Cùm signum amovetur, nec expectatur sanitas à DEO, nec Sanctis, nec ab humana voluntate, nec à causa naturali: ergò à diabolo. Subsumo. Sed juxta Divi Leonis aphorismum sermone 19. de Passione. *Beneficia ejus cunctis sunt nocentior vulneribus.* ergò. N. 64.

Confirmatur 1mò. Amotio signorum est cultus diaboli: est etenim protestatio, quòd possit nocere, quomodocunque voluerit, item quòd sit verax atque fidelis, servans pactum, quamdiu pacti adsunt posita signa.

Confirmatur 2dò. Qui signum tollit intentione noxam ulteriùs inferendam tollendi, miscet se pacto, quod maleficus cum diabolo iniit: pactum enim aliud non erat, quàm ut positô signô nocere incipiat, amotô verò nocere desinat; sed hoc denuò est illicitum: ergò.

R. Ad argumentum, in casu non expectari illum positivum effectum, sed meram cessationem, seu privationem actionis, ne videlicet dæmon ulteriùs noceat: hanc autem privationem licitè à dæmone expectari, in comperto est: sic pariter recepta à diabolo chyrographa, quibus ali-

qui eidem suam animam venalem faciunt, comburuntur, ne diabolus ulteriùs noceat.

Ad Confirmationem primam negatur antecedens cum sua probatione: tollere siquidem signa, tantum est protestari, dæmonem ex permissione divina nocere à noxa inferenda, non quia sit verax & fidelis, sed quia vî pacti haud ampliùs allicitur: constat enim dæmonem vî pacti ordinariè, sine pacto rarò nocere.

Ad Confirmationem secundam denuò negatur antecedens cum sua probatione; qui enim pactum destruit, se pacto non immiscet. Deinde licet fortè maleficus cum dæmone pactum inierit duplex, unum videlicet ad positionem signi inchoäre vexam, & alterum ad destructionem signi cessare à vexa, reverà tamen destruens maleficii signa non intendit dæmonem inducere ad servandum pactum, sed intendit præcisè destruere signum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum allicie-batur: quæ duo valde diversa sunt. Vide plura alia similia argumenta soluta apud Delrium citatum, item apud P. Lessium lib. 2. de mag. cap. 44. Dubio 6.

Mihi enim in omnibus brevitati studenti ad alia utiliora properandum.

Quæst.

Quæstio tertia.

An necessarium vel utile sit perquirere maleficii signa?

Dico, quantumvis licitum sit perquirere maleficii signa, id tamen nullatenus est necessarium. Ita sæpissimè laudatissimus P. Candidus Brognolus in Alexicac. Disp. 3. de curatione morali n. 482. N. 95.

Probatur primò ex facto Divi Hilarionis, qui signa maleficii perquiri nolebat, antequam à dæmonio liberâsset virginem, prout mox quæstione præcedenti relatum. Neque dicas, exinde sequi, duntaxat illis, qui Hilarioni sanctitate & miraculorum donô sunt similes, non esse necessarium, quærere maleficii signa: esse nihilominus absolutè necessarium donô miraculorum carentibus.

Verùm negatur absolutè suppositum, videlicet expulsionem dæmonum, aut curationem maleficiorum potestate Exorcistica factam esse miraculosam: ad hanc siquidem DEus concursu suo ordinario vî decreti & promissionis factæ concurrit, non secus, ac ad effectum reliquorum Sacramentorum: horum autem effectus neutiquam censetur miraculosus: ergò nec Exorcismorum effectus miraculosus dicendus erit.

Pro-

Probatur Conclusio 2dò ratione: signa illa maleficii v. g. certæ ligaturæ, nodi, plumæ, aliáve id generis plurima ex se & ex natura sua non sunt nociva, sed dæmonis duntaxat ad nocendum allectiva; ergò rejecto per Exorcismos dæmone omnem cessare noxam diabolicam necesse est.

Subsumo. Sed omnibus manifestum est, dæmonem posse expelli sine perquisitis signis: potestas siquidem Exorcistis in ordine Exorcistatûs tradita absoluta est, non conditionata; illimitata, non limitata, & restricta, atque à dæmonis voluntate dependens, prout pluribus est probatum parte 1. Armamentarii cap. 1. quæst. quarta, & alibi. Sæpè ergò nec dubium, quin irrequisitis signis possit expelli. Confirmatur: diabolus non est necessariò & coactè alligatus signis: potest enim nocere etiam sine signis, & desinere etiam nocere positîs signîs, & non desinere sublatîs signîs: ergò &c.

N. 66. Dico 2dò. Etsi ex historiis fide dignis constet persæpè utile fuisse ad tollendum maleficium, sustuliss maleficii signa, hujus tamen praxis Exorcistis nec videtur absolutè consulenda, neque ordini Exorcistatûs satis honorifica. Ita colligitur ex proximè laudato Brognolo.

Prima pars satis liquidè demonstratur à P. Delrio disq. magica lib. 6. c. 2. sectione 1. q. 3. quo loco plures refert historias, lu-

culen-

culentâ experientiâ testatas, maleficia per ablationem signorum maleficorum fuisse sublata.

Altera pars ex eo suadetur, quòd prima Veritas in Evangelio sæpè promittat liberationem absolutam & illimitatam, quin unquam mentionem faciat perquirendorum signorum, ut fusè prima parte Armamentarii ex diversis textibus tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum est probatum. Tum etiam, quia vel maximè condecens est, Exorcistam operi exorcistico incumbentem, procedere secundùm potestatem sibi traditam ejiciendi dæmones, & curandi maleficia per Exorcismos, parùm attendendô pacta diaboli, sibi ceu Judici legitimo subjecti: non enim Judex forensis iniqua hominum sibi subditorum pacta scrutatur, sed tradita sibi desuper potestate utitur: cur ergò Judex spiritualis pacta dæmoniaca iniquissima, atque omni jure nulla attendat? cur pacta dissolvat, quæ nullo jure sunt valida?

Certè ipsa experientia non rarò testatur facillimô negotiô curari malficia sine perquisitis signis persolum præceptum, & sæpissimè non curari etiam concrematîs signîs. Testatur id in arte exorcistica nulli secundus P. Brognolus loc. cit. Testari id pariter possum crebrâ propriâ experientiâ: vidi quippe non semel concremati maleficii signa, & personam minimè sanari; N. 67.

nari: vidi econtrà sine perquisitione signorum personas maleficiatas non rarò per Exorcismos illicò sanitati restitui. Et quid multis veritatem istam sole meridiano clariorem comprobem, cùm, licèt ipsa prima Veritas crebram de dæmonibus ejiciendis in Evangelio mentionem faciat, perquirenda nihilominus signa altum sileat, nec eandem Patrum comprobet authoritas, sed factum eorundem neget, ut mox de divo Hilarione dictum.

Præterea licèt concrematio signorum pactum dissolvat, & maleficium tollat; quis tamen credat, dæmonem non posse nova ponere, si velit, qui ceu leo rugiens circuit, quærens, quem devoret? aut certè quis credat, non sæpè signa in tantùm occultari, ut nullâ industriâ inveniri queant? quis tamen credat, maleficium tunc fore incurabile? certè si verum foret ejusmodi judicium, vana esset Ecclesiæ potestas, vanus Exorcistatûs ordo: non enim Exorcista potestate propria, aut dependenter à dæmonis voluntate, sed virtute & potestate divina solvit maleficia, ùt late in prima parte Armamentarii cáp. 1. q. 1. dictum. Quis autem sanæ mentis credat, divinam impediri aut retardari virtutem per dæmonis instrumenta?

N. 68. Denique quantumvis licitam dixerim signorum maleficorum perquisitionem, ea nihilominus per accidens non rarò est peri-

periculosa: quidam enim per speculum purissimum & chrystallinum eadem perquirenda judicant: in loco enim, ubi signa sunt recondita, speculum desuper retentum maculandum judicant: sed unde macula ista? ex veneno ordinariè admixto respondent: verùm si venenum esset admixtum, non uni sed omnibus, plùs ex humo effossa, quàm recondita, nocerent, quod experientia ipsa reprobat: Sæpè enim manibûs contrectantur sine omni prorsùs nocumento. Alii certîs ritibûs virgam scindunt, quæ signa maleficii non secùs, ac virga coryli thesaurum latentem denotat: sed unde virtus ista, quæ quisquillias duntaxat à saga reconditas indicet, non item alias ejusdem prorsùs generis & speciei? certè eadem non videtur sibi divinitùs tradita, nec à natura concessa; ergo necessariò à diabolo expectanda. Nec paritas ulla est de corylo; hic enim universaliter omnia ejusdem generis metalla denotat, & non tantùm à dæmone abscondita; econtra virga à dæmone duntaxat, vel sagâ recondita signa. Addo, plures etiamnum de licititate coryli dubitare. Alii sagas & maleficos imò ipsosmet diabolos consulunt, qui ea nonnisi cum animæ lucro indicant, & per novum maleficium tollunt, quæ omnia & plura his similia sunt absolutè prohibita.

Porrò

N. 69. Porrò si quæras, quomodo cognosci possint loca, in quibus maleficii signa sint abscondita?

Respondeo: cùm in locis diversis abscondi soleant, videlicet sub liminibus, in lectis, vel ipsis lectisternis, vestibus, domus angulis, aut allis locis, in quibus solent homines, vel jumenta morari, aut per illa transcendere: aliquando verò soleant occultari in puteis, sub ahenis, cadis ad corrumpendam cerevisiam, aut vinum adustum &c. quare cùm ita sit, optimum erit, si maleficiò affectus ipsemet observet, quo loco maximè affligatur, v. g. si in lecto, talibus indutus vestibûs &c. aut utrum animalia contremiscant, transire nolint, aut omninò concidant in certo loco: Ibi enim probabiliùs abscondita manent maleficii signa: quæ inventa, igne priùs benedicto, aut saltem aqua prius benedicta aspersò, comburenda sunt. Secùs enim, si igne priùs non benedicto comburantur, fumus ascendens nova sæpè maleficia causat, prout duabus personis in pago non procul Frisingâ dissito, factum scio, ubi hæ personæ ita infectæ sunt, & tandem per benedictiones curatæ. Sed

N. 70. Objicitur contra Conclusionem: in Rituali Romano expressè habetur: *Jubeat Exorcista dæmonẽ dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut maleficia signa, vel instrumenta, qua, si obsessus ore sumpse-*

sumpserit, evomat, vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur.

Confirmatur: Hæc fuit praxis communis antiquorum, & etiamnum est modernorum Exorcistarum, à qua utique non est facilè recedendum.

Respondeo, ex rituali rectè inferri licitatem, non necessitatem: neque enim Rituale in omnibus est obligatorium, ùt constat ex verbis Constitutionis Pauli V. quæ incipit *Apostolicæ Sedi*, atque habetur in principio Ritualis præfati, ubi expressè jubentur servari duntaxat, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem: econtrà verò reliqua, ad visitationem, curam infirmorum &c. ad majorem præscribuntur commoditatem, ùt constat expressè ex Rubrica Tractatu *de Visitatione & Cura infirmorum*, ubi sequentia habentur: *Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus vel ægrotorum conditio feret, arbitrio Sacerdotis dici vel omitti possunt.* Eadem autem videtur esse ratio tollendorum maleficiorum; consequenter eadem dispositio. Ad Confirmationem dico, quantumvis plures omni tempore maleficii signa perquisierint, ex eo tamen nullam inferri necessitatem; cùm sæpissimè signis etiam non inventis maleficia curaverint, & etiamnum curent, prout experientia ipsa testatur.

Quæstio quarta.

An liceat ponere signa, quibus positis expirat, vel destruitur pactum dæmoniacum?

ADvertendum: Signa posita in ordine ad pactum dæmoniacum dissolvendum esse duplicia: alia quippe sunt, quibus pactum præcisè dissolvitur, ita, ut nullus effectus positivus, sed mera cessatio à malefaciendo expectetur. Alia verò, quibus non nuda cessatio, sed positivus simul effectus expectatur. H. N.

N. 71. Dico: licet contrariùm signum apponere, quo posito obligavit se dæmon à nocendo desistere; dummodo signum appositum bonum sit, vel saltem de se indifferens, & eo fine apponatur, ut cesset dæmon à nocumento, & confœderatio facta dissolvatur. Ita Lessius lib. 2. de Magia c. 44. Dub. 6. n. 55. Suarez lib. 2. de superstitione cap. 17, n. 16. Palao de superstitione tract. 17. punct. 10. Disput. 11. n. 10. Sanchez, Sylvester. Probatur. Licet omnimodè evertere ac impedire pactum dæmoniacum, intentione, ut dæmon cesset à noxa inferenda: sed tale signum contrarium præcisè pactum evertit ac impedit: ergò. Confirmatur: Licet destruere signa maleficii, ut pactum evertatur: ergo pariter

pariter ad eundem effectum licet ponere signa contraria: Licet pariter sine deprecatione aut amicitiæ nota vetbô adigere dæmonem, ut nocere desinat: ergò id pariter licebit facere signis contrariis positis.

Dixi tamen notanter *1mò* dummodo signum de se bonum sit, vel saltem indifferens, si enim ab intrinseco malum sit, vel aliàs prohibitum, palam est illicitum esse.

Dix *2dò, & eo fine apponatur, ut cesset à nocumento.* Si enim non nuda cessatio, sed positivus insuper effectus speraretur, illicitum esset. Ratio porrò dispar est, quia hoc esset signum amicitiæ, & benevolentiæ, quo à dæmone gratus sibi speraretur effectus: illud econtrà non est signum amicitiæ, sed nuda pacti destructio, quo etiam ergà inimicos uti licet. Ex his. N. 72.

Infertur 1mò. Sequentia esse licita. N. 73.
1mò. Si venefica te tangat, eandem ad pactum dissolvendum repercutere licet.
2dò. Si à saga sis læsus, eidem panem & salem tribuere: dicitur enim teste Lessio, tali modô maleficium reddi inefficax.
3tio. Licet Judicibus lavare maleficos, & pilos eorum abradere, quando torquendi sunt, si timeant in pilis aliquod maleficium occultari, quo insensibiles tormentis reddantur.
4tò. Eadem ratione licitum est, fagas, aliósque maleficos in aheno, aut caldario conservare, quin unquam ad caldario conservare, quin unquam ad ter-

ram dimittantur. 3tò. Tandem hac ratione plura alia, quæ prorsùs videntur inutilia, excusari possunt: e. g. diversæ herbæ naturales, fructus arborum, atque similia plura contra maleficia adhiberi solita.

N. 74. Infertur 2. Illicita esse sequentia. 1mo, Si quis tempore nocturno à strygibus vexatus, cussinum dejiciat, intentione, ut stryx in eo resideat. 2dò. In simili casu eas invitare, ut sequenti die precariò quidquam accepturæ adveniant. 3tiò. Sagas quoquo modo cogere, ut accurrere, leque manifestare debeant. Hæc & plurima similia, ubi positivus speratur effectus illicita sunt, atque superstitiosa. Sed si

N. 75. Objicitur contra Conclusionem: contrarium signum apponatur, effectus expectatur à dæmone: ergo.

Confirmatur: Si ex opposito signo speratur dæmonem à noxa esse cessaturum, speratur dæmonem fore fidelem in pactis & promissis suis: Sed hoc est ei honorem tribuere: ergò.

Respondeo negando ant. cum supposito argumenti; nullus enim speratur effectus sed sola cessatio noxæ: quòd verò sanitas maleficiato denuò restituatur, præcisè per accidens, imò cessationis à noxa inferenda effectus est.

Ad Confirmationem negatur Major argumenti: dæmon enim ordinariè nocet alle-

allectus à sagis: cùm ergò cessantibus signis haud ampliùs alliciatur, meritò speratur, eum haud ampliùs nociturum; non propter fidelitatem, & veracitatem suam, sed propter cessationem signi allectivi.

Cæterùm licèt hæc omnia vera sint, tum à Theologis, tum ex communi praxi comprobata; homini nihilominùs Christiano dignius videtur assumptô inexpugnabili Fide scutô à Christo omnibus traditô diabolicis simul & magicis resistere potestatibus: non enim jubemur diabolo resistere per positionem signorum contrariorum, sed in fide & fiducia, divo id docente Petro. 1. Pet. 5. *Cui resistite fortes in fide.* Quare ut scutô hôc inexpugnabili omnia facili negotio maleficia tollantur & dissipentur, sit

Quæstio quinta.

Quomodo maleficia singula sint per Exorcismos, destruenda, & curanda?

ADvertendum: 1mò. non esse sermonem de maleficiis purè naturalibus, hæc enim non per Exorcismos, sed per medicinas naturales esse curanda, jam suprà c. 1. confessi sumus, ea ratione ducti, quòd naturalia naturalibus sint curanda. So- N. 76.

la ergò quæstio est de maleficiis super- seu præternaturalibus, ac simul de mixtis sup. cap. 1. q. 1. explicatis.

N. 77. Advertendum 2dò: Remedia, item & dispositiones, fusè prima parte Armamentarii cap. 5. & 6. pro personis energumenis liberandis traditas, esse pariter à personis maleficio aliquo infectis usurpandas: cùm enim in maleficio hyperphysico & mixto dæmon vel realiter vel potestativè præsens sit, atque mala itentidem causet; quidquid contra dæmonem vim & efficaciam habet, paritet contra maleficia habere necesse est: quare si Exorcista maleficia tollere, & auferre desideret, materiam locô proximè citatô traditam observet. Præsertim verò vivam tum in semetipso, tum in suo patiente fidem excitare studeat: sicut enim *omnia possibilia sunt credenti* Marci 9. v. 22. Ita è contrario hæsitanti ac fluctuanti nihil possibile. Quòd si ergò Exorcista plurimos atque efficacissimos usurpaverit Exorcismos, & hæsitaverit in corde suo, *non æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Jacobi 1. v. 7.

N. 78. Quare antequam Exorcismum applicet, benè motiva fidei in prima parte Armamentarii cap. 3. proposita meditabundus perpendat, eámque suo patienti inculcare studeat; quinimò pro facilior memoriæ adjutorio quosdam Sacræ Scripturæ versiculos, tanquam à prima Veritate,

te, tam falli quàm fallere nescia, prolatos, sæpiùs ruminare, ac considerare plurimum juvabit, quorum aliquos pro minùs in Scriptura versatis adduco.

Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Psal. 26. v. 1.

Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Psal. 26. v. 3.

Si consurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. ibi.

In Te Domine speravi, non confundar in æternum. Psal. 30. & 70. v. 1.

Invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Psal. 49. v. 15.

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. ibidem v. 13.

Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. ibidem v. 14.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. ibid. v. 15.

Nullus speravit in Domino, & confusus est. Eccles. 2. v. 11.

Non est confusio confidentibus in te. Dan. 3. v. 41.

Cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui confidunt in eum, non infirmantur. Macab. 2. v. 61.

Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis: omnis

enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Matth. 7. v. 7. & 8.

Cerditis, quòd possim facere hoc? secundùm fidem vestram fiat vobis. Matth. 9. v. 28. & 29.

Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Matth. 7. v. 29.

Omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis. Matth. 21. v. 22.

Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Marci 9. v. 22.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient. Marci 16. v. 17.

Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. Joan. 14. v. 12.

Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Rom. 10 v. 12.

Hæc, ecce, & plurima verba sunt primæ veritatis, de quibus ipsamet Matth. 24. v. 35. testatur: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt:* Sæpiùs ergò & præsertim ante, & sub actuali Exorcismo Exorcista mentis suæ oculos ad eandem dirigat, fiduciámque certam concipiat liberationis futuræ.

N. 79. Neque veritati consentanea videtur doctrina Sanchezii lib. 2. moral. cap. 24. & post

& post ipsum Georgii Teretii in confessione & instructione Idiotæ, maleficiatos per solos Exorcismos rarò curari? contrarium quippe testatur expertissimus in arte P. Brognolus, contrarium experientia certa, prout plurimos possem afferre casus, nisi brevitas silentium indiceret, contrarium denique ratio ipsa: etenim si præter Exorcismos ordinariè alia Sacramentalia, & ab Ecclesia specialiter benedicta essent adhibenda, illa utique non essent instituta ad morbum naturalem curandum (hoc enim non Exorcistis, sed Medicis incumbit) sed ad dæmonem abigendum, ne ulteriùs nocere queat: atqui longè potentior & efficacior est Exorcismus, quàm omnia reliqua benedicta: hic enim ex opere operato infallibiliter suum consequitur effectum, prout in prima parte cap. 1. est explicatum, Sacramentalia verò ex opere duntaxat operantis suum habent effectum, ùt constat ex Theologorum sententia, ergò.

Nihilominus in maleficiis mixtis, vel diuturnis & inveteratis præter Exorcismos remedia naturalia esse adhibenda innegabile videtur; non ea quidem intentione, ut maleficium quà tale, sed ut morbus naturalis ceu maleficii effectus curetur. Cæterùm, cùm diversa sint maleficiorum genera, de singulis in particulari viderur tractandum. Unde sit

Modus destruendi maleficium infantium ac parvulorum.

N. 80. CUm ad omnem maleficiorum curationem necessaria sit vera fides, atque roborata fiducia, cujus parvuli ob defectum usûs rationis impotes sunt: Postquam Exorcista ex signis p. 1. c. 1. specificatis maleficium cognoverit, imprimis eorum parentes, vel defectu eorum nutrices, aliique curam habentes instruendi sunt in sequentibus; 1mò parvulos ordinariè maleficiis affici ob negligentiam parentum, aut aliorum curam eorundem habentium, qui eos DEO commendare, atque signo S. Crucis munire negligunt, prout dictum in parte 1. cap. 2. q. 2.

2dò. Nil aliud ad curationem requiri, quàm fidem vivam, & roboratam fiduciam: in quem finem breviter disponendi sunt modô parte 1. c. 6. præscriptô.

3tiò. Ipsimet parentes corde & animo ante Crucifixi imaginem genuflexi actus fidei & fiduciæ eliceant, quod commodè sequenti vel simili formula fieri potest.

N. 81. O Mein HErr, und GOtt Christe JEsu, mein Erschaffer, und mein Erlöser, siehe dein ich dein unwürdigste Creatur, druch dein heiliges Blut erlöset, bette Dich an Fußfällig samt dem Vatter und Heil. Geist, als meinen Allmächtigen, Allerweisisten, Barmhertzigisten Vatter, dich demüthigst bit-

bittend, du wollest dich diser armseeligen Creatur, die von deinem ärgisten Feind so sehr gequället wird, gnädigist erbarmen: dann als ein Allmächtiger GOTT kanst du ihr augenblicklich helffen, als ein allwissender GOtt erkennest du, wie ihr zu helffen, als ein Barmhertzigister Vatter begehrest du ihr zu helffen, inmassen du alle vätterlich einladest: Kommet zu mir, die ihr arbeitet, und beladen seyd, ich will euch trösten und stärcken. Aber sihe, weilen dise kleine und unmündige Creatur zu dir zu kommen, dich um Barmhertzigkeit anzuruffen, unfähig, also komme ich an statt ihrer mit dem Evangelischen Blinden ruffend und schreyend: JEsu du Sohn David erbarme dich ihrer: und wann ich villeicht durch mein Mißvertrauen auf dein unendliche Barmhertzigkeit, oder andere meine Sünd und Nachläßigkeiten ein Ursach wäre dises Unheyls, jetzt vor deiner Göttlichen Majestät darnider liegend, mit zerknirschtem Hertzen, bitte und seuffze ich um Barmhertzigkeit, und Nachlassung aller meiner Nachläßigkeiten, Sünd und Laster mit kräfftigem Versprechen, nit allein mein Leben hinführan zu besseren, dich von Hertzen zu lieben, sondern auch dahin beflissen zu seyn, damit dises mein Kind, so es seinen Verstand erreichet wird haben, dir grossen Gutthat halber dir danckbarist diene, dich beständig lobe und liebe. Ich bitte dich derohalben durch deine unendliche

Güte,

Güte, und Barmhertzigkeit, durch die Glory deines allerheiligisten Namens JEsu, durch die unendliche Verdienst deines bitteristen Leydens, durch die Verdienst deiner allerheiligisten Mutter Mariä, meiner heiligen Patronen, und absonderlich durch die grosse Liebe des Heil. Schutz-Engels dises Kinds, du wollest dich seiner (oder ihrer) erbarmen, ihne (oder sie) trösten, stärcken, und von aller Zauberey, von allem teuflischen Gewalt erledigen, auch hinfüro unter deinem Göttlichen Schutz und Schirm erhalten. Amen.

Finita hac oratione poterit etiam sequentem contra dæmonem agjungere detestationem.

Und du vermaledeyter Teuffel, du abgesagter Feind GOttes, du Abtrinniger von meinem und deinem Erschaffer, durch den Gewalt, so ich durch den Heil. Tauff samt dem Heil. Glauben bekommen, aus tragender Pflicht und Schuldigkeit zu disem meinem Kind befihle und schaffe ich dir in dem allmächtigen Namen JEsus, daß du unverzüglich zernichtest alle Zaubereyen, so durch dich selbsten, oder durch deine zauberische Diener, oder Dienerinen gemachet, dich hinweck machest, und hinführo keinen Gewalt mehr habest: Allermassen ich dises Kind habe befohlen unter den Schutz deß allerheiligisten Namen JEsus, in welchem alles

alles die Knie biegen muß, was im Himmel, auf Erden, und unter der Erden ist.

Peractîs omnibûs præfatîs jubeat Exorcista, ut tenens infantem in ulnis suis, coram se stante genuflectat certâ fiduciâ fretus liberationis futuræ: quo facto ipse stans sequentia recitet.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JEsu Christe Fili DEI vivi, qui dedisti Apostolis & fidelibus tuis potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent; Te suppliciter exoramus, ut per merita, & intercessionem Beatissimæ Matris tuæ, omniúmque Sanctorum tuorum, quæ nos unà cum his famulis tuis devotè imploramus, infantem istum ab omni potestate satanæ & ministrorum ejus potenter eripere, atque ab omni ægritudine clementer liberare digneris, qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs sancti DEus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Exor-

Exorcismus ad maleficium parvulis illatum destruendum, ab Exorcista sedente, capite cooperto, fide firmissima & voce clara faciendus.

N. 82. EGo N. ut Minister Christi & Ecclesiæ in nomine JEsu Christi præcipio tibi dæmon, qui maleficium perfecisti in corpore istius infantis, ut statim sine omni mora destruas omne maleficium, ab eo auferas omnem ligaturam, facturam, fascinationem, ac quamcunque molestiam ac vexationem; atque totaliter ab eo recedas, trahendo tecum omnes fœces, ac immunditias, si quas in corpus illius immisisti: nec ampliùs habeas potestatem ei apparendi sub quacunque forma vel figura, aut vexandi illum intrinsecè vel extrinsecè, die vel nocte: aut perturbandi sensus ejus interiores, vel exteriores: vel quocunque alio modo molestandi: sic volo, sic jubeo ùt minister Christi & Ecclesiæ in Nomine ✝ Patris, & ✝ Filii & ✝ Spiritûs sancti. Amen.

Postea

Posteà surgens sequentem superaddat Benedictionem.

Dominus noster JEsus Christus ✝ apud te sit, ut te defendat: intra te ✝ sit, ut ✝ te conservet: ante te ✝ sit, utte ducat: post te ✝ sit, ut te custodiat: super te ✝ sit, ut te benedicat, qui cum Patre & Spiritu sancto in unitate perfecta vivit in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis ✝ Patris, & ✝ Filii, & ✝ Spiritûs sancti descendat super te, & maneat semper. Amen.

Modus parvulos à maleficiis præservandi.

CUm Divo testante Augustino serm 2. Dom. 23. post Trinitatem potissima infectionis parvulorum causa sint ipsa peccatâ parentum, ac negligentia, DEO eos commendandi, commissa, summè ad parvulos à maleficio præservandos præprimis necessarium est, ut parentes ipsimet, vel eorum curam habentes se in gratia constituant, eos sæpè Deo commendent, signo Crucis muniant, aliáque præstent, quæ pro præservandis energumenis liberatis remedia sunt præscripta parte 1. c. 6. Experientia quippe constat, fagas, aliòsve maleficos N. 83.

ficos nullam habere potestatem, parvulos signo crucis communitos, & à parentibus Deo commendatos maleficiis inficiendi, prout mirabile exemplum refert Casparus Schottus in Physica curiosa lib. 1. p. 2. q. 23. §. 4. ubi dicit, sagam confessam esse, se à dæmone plùs quàm quinquagies deportatam, ut puerum sui affinis occideret, sed tamen prævaluisse nunquam, eoquòd semper illum invenerit signô crucis & sanctis orationibus à parentibus benè munitum: nec mirum; etenim ut ait Sapientissimus Salomon Ecclesiastici cap. 3 *Benedictio Patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* 2dò juvat plurimùm, non solo crucis signo & communi Benedictione munire parvulos, sed simul actum detestationis contra diabolum cum formali præcepto, ne ullatenùs sive per se sive per sagas nocere præsumat, apponere, quod hac vel simili convenienti formulâ à parentibus fieri poterit.

Ich befihle dir, du abtrünniger Teuffel, von deinem und meinem GOTT, ja dem gantzen hölliſchen Geſchwader in dem allerheiligiſten Namen JEſu, daß keiner ſich getraue in das Zimmer (oder Kammer) herein zu kommen, noch ein Hex, oder Zauberer herein zu führen, meinem Kind den mindiſten Schaden zuzufügen: ſo fliehet dann ihr unreine Geiſter, dann alſo befihle ich euch im Namen GOttes † Vatters, und deß

des † Sohns, und des Heiligen † Geistes.

3tiò. Si fortè præter opinionem animadverteretur parvulum denuò cruciari, illicò signô crucis super infante formato dæmoni præcipiant, ut nocere desinat, atque totaliter recedat. Hoc quippe profuisse plurimùm sæpiùs expertus sum.

4tò. Cibus & potus aquâ benedictâ aspergatur, & signô crucis muniatur. Quinimò fructuosè aliquoties ab ipso Sacerdote benedicetur.

5tò. Cùm homines malefici per Exorcismos ecclesiasticos devicti, omni nisu nova fabricarę maleficia, aut alio saltem modo nocumentum inferre satagant infantes accipiendô in brachia, ut interim halitu fœtido inficiant, & ossa confringant, moneantur nutrices, ne mulieres suspectas accedere, nec ulnis aut brachiis eos tenere permittant.

6tò. Denique benè provideantur Brevibus sacris, Agnis DEI, Reliquiis Sanctorum, & aliis ab Ecclesia benedictis: specialiter verò eliminentur omnia suspecta amuleta fortè à vetulis, carnificibus, circumforaneis ceu remedia (ùt jactitant) præstantissima, & efficacissima: sicut enim nulla est conventio Christi ad Belial, ita nullus effectus exorcismorum, ubi signa diabolica sunt admixta.

Modus destruendi maleficium in matrimonio factum.

N. 84. PLurima mala oriri ex impedimento Ligaminis seu in matrimonio facto, unà cum signis illud dignoscendi, suprà cap. 1. q. 4. n. 20. tradidimus: aliud ergo restare non videtur, quàm illud tollendi præscribere remedia.

Primó ergo ante omnia jubeat Exorcista per S. Exomologesin expurgari conscientiam, vix enim, aut ne vix quidem dæmon corpus illius deseret, cujus anima sibi per peccatum est subjecta: deinde more consueto in fide & fiducia secundùm regulas generales sæpiùs datas instruantur.

2dò. Doceat Exorcista maleficiatos conjuges causam maleficii cum Raphaële Tob. 6. v. 16. *Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium: Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.*

3tiò. Ulteriora verba S. Angeli Raphaëlis, ceu salùberrimum consilium subjungat. *Tu autem, cùm acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.*

3tiò. Itidem exemplô Raphaëlis finem matrimonii doceat, ibidem v. 22. *Accipies Virgi-*

Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus.

5tò. His peractis, in fide & fiducia debitè instructi ipsimet conjuges ante Crucifixi imaginem genuflexi sequentem recitent orationem:

Gebett die Hexerey der Eheleuthen zu vertreiben.

SIhe, O Allermildester, Barmhertzigister JEsu! sihe an deinen allergeringsten Diener (oder Dienerin) der ich mich gantz unwürdig erkenne, vor deiner Göttlichen Majestät zu erscheinen: allermassen mir wohl bewust meine vilfältige Sünd und Laster, mit denen ich dich beleydiget, absonderlich, da ich mit rechter Meynung das heilige Sacrament der Ehe nicht empfangen, auch den Ehestand mit rechter Maß nicht gebrauchet: muß derowegen vor deiner Göttlichen Majestät erkennen und bekennen, daß ich gar wohl verdienet, von dem Teuffel geplaget, und im Ehestand verhinderet zu werden. Aber ich erkenne beynebens, daß du seyest ein Allgütigister, Barmhertzigister Vatter, bereit deinem Diener (oder Dienerin) zu helffen, wann er dich nur mit lerknirschtem Hertzen anruffen thut: so reuen mich dann alle meine Sünden, mit welchen ich deine Göttliche Majestät, absonderlich in dem Ehestand, beleydiget hab, und N. 85.

ruffe eines Ruffens: O JEsu mein Barmhertzigster Vatter verzeyhe mir meine Sünd, jage und treibe von mir ab alle Zauber- und Hexerey, alle teuffliſche Geſpenſter, welche mich in dem Eheſtand verhinderen; dann ich verſpriche, dich hinfüran zu lieben, und wegen diſer Gutthat allzeit zu dancken, abſonderlich wann mir deine unendliche Barmhertzigkeit ſolle Kinder beſcheren, verſpriche ich ſolche zu erziehen in der Forcht und Liebe GOttes, auch allzeit anzuhalten, zu preyſen und zu loben den allerheiligiſten Nahmen JEſus.

Actus deteſtationis diaboli.

Du aber, vermaledeyter Feind GOttes, du abſcheulichiſter Teuffel, du abtrunniger Rebell von meinem und deinem HErrn, packe dich hinfort mit aller deiner Boß- und Araliſtigkeit; dann durch die Macht und Gewalt, ſo mir von meinem GOTT verlihen, befehle ich dir in dem Allerheiligiſten Nahmen JEſus, daß du alſo ald zernichteſt alle Hex- und Zauberey, welche du mir (oder meinem Weib) gemachet, ja dich völlig hinweg macheſt; auch fürdershin keinen Gewalt mehr habeſt, mich in dem Eheſtand zu verhindern, immaſſen ich lebe, und allzeit zu leben begehre unter dem Schutz des Allerheiligiſten Nahmens JE SUS.

Gro-

6tò. Moneat Exorcista, ut in fide & fiducia perseverent, inhæsitanter credentes totum maleficium illicò divina virtute destruendum. Tandem more solito Exorcismum contra dæmonem pronunciet.

Exorcismus ad maleficium in matrimonio factum destruendum.

EGo N. Minister Christi & Ecclesiæ, authoritate mihi tradita à Deo & ab Ecclesia in ordine Exorcistatûs venio contra te, maledicte dæmon, spiritus immunde, qui dereliquisti DEUM Factorem tuum, & oblitus es Domini Creatoris tui, qui usum Sacramenti Matrimonii à Christo instituti ad peccata carnalia evitanda, ad conservationem Reipublicæ Christianæ, ad multiplicationem naturæ humanæ, & ad novos milites in Ecclesia DEI procurandos impedire præsumis; & in nomine Domini nostri JESU Christi præcipio tibi, ut statim sine ulla mora destruas omne, quod perfeciſti, maleficium in hac creatura DEI, atque totaliter recedas ab ea: nec ampliùs potestatem habeas illudendi ei, aut per-

turbandi sensus ejus sive externos, sive internos, vel in ea causandi odium, abominationem adversús alterum conjugem, aut ipsum impediendi, quin possit uti matrimoniô suô ad generandam & enutriendam prolem gratam Deo & hominibus (si persona maleficiata sit uxor, dicat: ad generandam, concipiendam, portandam, pariendam, & enutriendam prolem gratam DEO, & hominibus) sed longè ab ea fugias, & tecum trahas omnes fœces, immunditias, & omnes diabolicas infectiones, quas in corpus istud usque modo intulisti, ac tollas omnes diabolicas colligationes, ac quascunque removeas noxas, ita, ut creatura ista remaneat libera & sana, acsi nullam molestiam diabolicam unquam in se ipsa sensisset: sic igitur ut Minister Christi & Ecclesiæ tibi præcipio immunde spiritus, ut exeas, & recedas, in nomine ✝ Patris, & ✝ Filii, & ✝ Spiritus sancti, Amen.

Deinde benedicens utrique subjiciet:

N. 87. Creator cœli & terræ, qui primis parentibus, matrimonii fœdere sociatis dixisti: crescite & multiplicamini, & replete terram:

ram : ille sua vos benedictione adversùs omnes diaboli infestationes fœcundet, atque multiplicet: & christiani sobolis salutarem propagationem misericorditer vobis concedat in Nomine † Patris, & † Filii, & † Spiritus Sancti. Amen.

Aspergat pariter aquâ benedictâ, dicens:

Benedicat vos omnipotens DEus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Denique, quia signa maleficii persæpè latent abscondita in thalamo, toróve conjugali, utilissimum erit eosdem benedicere, atque formale adjungere præceptum, quòd si dæmon ibidem sive realiter sive potestativè inhabitet, stationem suam illicò deserat, nec imposterum ullam habere præsumat potestatem conjugibus, vel quibuscunque aliis quoddam inferendi nocumentum.

Benedictio Thalami.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic † Domine thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, & senescant, & multiplicentur in longitudinem dierum cum incolumitate mentis & corporis, & ad regna cœlorum

perveniat, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Creator & Conservator humani generis, Dator gratiæ spiritualis, Elargitor æternæ salutis, Tu Domine emitte benedictionem tuam, super hunc thalamum & lectum, ut quicunque in ea requieſcet, in virtute cœlestis defensionis ad vitam æternam proficiat, & à suis doloribus & languoribus, omnibúsque insidiis & machinationibus diaboli & ministrorum ejus liberetur per Christum Dominum nostrum. Amen.

Exorcismus.

COntra te maledicte dæmon, vel si fortè plures sitis, contra vos spiritus immundi, & apostatici constitutus sum à DEO ego N. Minister Christi & Ecclesiæ. Quapropter potestate mihi à DEO & ab Ecclesia in ordine Exorcistatûs tradita præcipio vobis in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut si fortè in hoc loco vel lecto aliqua fabricâstis, & etiamnum conservatis maleficia, illicò destruatis, & ad nihilum redigatis. Eadem authoritate vobis præcipio in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut totaliter à lecto & loco isto recedatis, &

& fugiatis, nec imposterum ullam habeatis potestatem conjuges in hoc thalamo commorantes quocunque modò molestandi, vel à conjugio impediendi: sic enim vobis præcipio, ùt Ministeri Christi & Ecclesiæ in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Modus Conjuges à maleficio præservandi.

UT conjuges à maleficio præserventur, sequentia servare satagant. *1mò* servent consilium Archangeli Raphaëlis supra n. 84. adductum. *2dò* Antequam tempore nocturno somno indulgent, specialiter Deo per ferventes orationes se se commendent. *3tiò.* Maritus contra dæmonem præceptum faciat, ne cubile intrare, aut quamcunque molestiam inferre præsumat. *4tò.* Rebûs benedictîs more sæpiùs dicto, tum ipsimet conjuges, tum etiam lectus eorum provideantur. N. 89.

Modus destruendi maleficium abortûs, difficilis partûs, lactis exsiccationis &c.

PRæmissa denuò generali instructione de fide & fiducia concipienda, moneat, abortum, aliáque mala infantibus evenire potissimùm x negligentia parentum, quòd eosdem Deo commendare negli-

gant: Ita enim docent Theologi communiter in Tract. de gratia, & clarè D. Prosper lib. 2. c. 23. causam inquirens, cur non obstante decreto divino, quòd Deus omnes homines salvos facere velit, tot nihilominus infantes in utero materno pereant, affirmat, dicens: *Non irreligiosè arbitror credi neque inconvenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus qua utique, si benè eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Quare seriò cohortetur parentes, ut frequenter pro incolumitate prolis Deum precentur.

2dò. Specialiter benedicat matres prægnantes, aut lactis exsiccationem patientes, atque dæmonem omnium similium malorum authorem repellat hac, vel simili formula.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Salvam fac ancillam tuam.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui beatæ semper Virginis Mariæ uterum mirabiliter fœcundâsti, ut de Spiritu Sancto verum Deum & Hominem, Salvatorem nostrum JEsum Christum conciperet, imploramus clementiam tuam, ut huic famulæ tuæ sublato omni dæmonis impedimento & maleficio, salutarem matrimonii fructum largire digneris, per eundem Christum Dominum nostrum.

Exorcismus ad dissolvendum maleficium difficilis partûs, abortûs, vel lactis exsiccationis.

EGo N. ùt Minister Christi & Eccle- N. 91.
siæ contra te, (vel si plures sitis) contra vos, spiritus maligni, qui vestris maleficiis hanc DEI creaturam infestatis, venio, & in nomine Domini nostri JEsu Christi vobis præcipio, ut illicò destruatis omnia maleficia, atque totaliter cum omnibus vestris fæcibus recedatis, ita, ut hæc Dei creatura prolem conceptam sine difficultate parere (vel lacte materno alere) & ad majorem Dei gloriam educare queat. Exite ergo & fugite cum omnibus vestris fœcibus & maleficiis: ita enim vobis præcipio

cipio in Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Modus tollendi maleficium impedimenti butyrizationis.

N. 92. Sicut hoc maleficium frequentissimum est, ita diversimodè à sagis fabricatur: jam enim vaccæ non aliud reddunt lac, nisi merè sanguinolentum: jam optimum redditum lac illicò corrumpitur, ut in tenuissimum filum duci queat: jam secundùm apparentiam optimum, nullo tamen conatu in butyrum transit. Unde ad omnia & plura similia solvenda maleficia, sequentia serventur.

1mò. Si vaccæ lac sanguinolentum reddant, signum est, eas prævie à saga fuisse emulctas, vel certè quoad sanitatem fuisse destructas: præsertim, si præter morem sub actuali mulsione inquietæ sunt. Unde opus est, ipsas vaccas benedicere, dæmonique præcipere, ne imposterum potestatem habere præsumat eisdem quomodolibet nocendi, vel easdem per se aut certè per sagas emulgendi. Quinimò stabulum ipsum benedicendum & rebus ab Ecclesia benedictis præmuniendum erit.

2dò. Casu, quo lac optimum immediatè corrumpitur, necessarium est, ut vas in quod lac intromittitur, specialiter benedicatur; dæmonique præcipiatur, ne potestatem habere præsumat lac corrumpendi.

Mo-

Modus hic omniò videtur esse legitimus, & non semel ab experientia ipsa comprobatus: audivi quippe personas non rarò conquerentes de illato maleficio nulla arte solubili, quod nihilominus post instructionem præviam per præceptum ab ipsismet efformatum cessavit illicò, præceptum verò aliud non fuit, quàm ut super lactario vase formatô crucis signô dicerent: *Præcipio tibi dæmon in nomine Domini nostri JEsu Christi, ne ullatenus præsumas lac corrumpere, nec butyrizationem impedire, sed totaliter ab eo recedas & fugias.* Quo facto aquâ benedictâ aspergatur, ac demum lacte in vas majus lactarium infuso novum fiat præceptum, ne dæmon impedimentum butyri efficiendi ponere præsumat.

3tiò denique observandum erit, si lac etiam secundùm apparentiam optimum in butyrum nullo adhibito conatu transeat, efficacissimum remedium afferre poterit solertia Exorcistæ, si videlicet ipse lac unà cum lactario vase benedicat, illúdque rebus benedictis præmuniat, jubeátque, ut omnis labor in nomine JEsu incipiatur, continueter, & finiatur. Quare ut totum in compendio habeatur, sequens benedictio & Exorcismus deservire poterit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Ore-

Oremus.

Omnipotens & misericors DEUS, qui necessitatem humani generis prævidens, clementer adminicula temporalia contulisti, te humiliter imploramus, ut † benedicere digneris hoc lac unà cum vase lactario, ut quod tua nobis misericordia piè contulit, diabolicâ malitiâ non depereat, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Exorcismus ad destruendum maleficium impedimenti butyrizationis.

N. 93. EGo N. ùt Minister Christi & Ecclesiæ in nomine Domini nostri JEsu Christi, tibi dæmon (vel si plures fitis) vobis dæmonibus, qui nefandis maleficiis vestris lac corrumpere, atque butyrum efficiendum impedire præsumpsistis, vobis (inquam) præcipio, in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini nostri JESU Christi, ut illicò omne maleficium tollatis & destruatis atque totaliter recedatis, ita ut nullam imposterum potestatem habeatis, lac quomodolibet corrumpendi, vel butyrum faciendum impediendi: sic enim volo, sic jubeo ùt Minister Christi & Eccle-

Ecclesiæ, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Amen, Denique surgens aspergat aquâ benedictâ, dicens: Benedictio DEI omnipotentis † Patris, & † Filii, & † Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper. Amen.

Modus tollendi maleficium frumenti aversionis.

N. 94. Quandoquidem ab experientia constat, dæmonem non solere furtivè avertere vel auferre frumentum adhuc in agris repertum, sed cùm tempore oportuno fuerit in horreum invectum, & excussum; ideò necessarium haud erit illud in agro etiamnum existens benedicere vel exorcizare, sed sufficere, dummodo benedictio adhibeatur tempore accomodo ante actualem excussionem: Nihilominùs, cùm pacta diabolica sint diversa, & juxta diversas maleficiorum praxes mutabilia, consultaneum erit post præviam domini, ad quem frumenta spectare dignoscuntur, in fide & fiducia instructionem, eadem in agro adhuc extantia sancta præmunire benedictione & Exorcismò dæmonem repellere; quod hac vel simili formula fiet:

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Domine Sancte Pater omnipotens, qui ab initio feciſti hominem ad imaginem tuam, & condidiſt cœlum & terram, ſolem, & lunam, ſtellas, & omnia cœleſtia, & terreſtria, qui dominaris poteſtati maris, qui habes poteſtatem abyſſi magnæ: qui condidiſti omnia elementa: tu bene † dicere, & ſancti † ficare digneris hanc creaturam ſegetum (frumenti) ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & duos pisces, & ſatiâſti quinque millia hominum, omnésque, qui uterentur eis, bene † dicere, & ſancti † ficare dignâre, ut in eis ſit ſanitas animæ & corporis, in nomine Patris, & † Filii, & Spiritûs † Sancti, neque diabolus ullam habeat poteſtatem ex hoc frumento quidquam furtivè ſubducendi vel avertendi, ſed ab omnibus hominibus, pecoribúsque, qui ex his guſtaverint, omnem putredinem, & omne phantaſma diaboli, & omnem morbum ac dolorem expellere digneris, qui in Trinitate perfecta vivis & regnas DEUS per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Exorciſmus.

EGo N. ùt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, poteſtate in Ordine Exorciſtatus mihi tradita tibi dæmon, imò omnibus dæmonibus præcipio in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut totaliter

ab

ab isthoc frumento recedatis & fugiatis, neque ullam habeatis potestatem quidquam de frumento isto furtivè abducendi, vel ad alium avertendi: sic enim volo, sic jubeo ut Minister Christi & Ecclesiæ in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Posteà aspergat aquâ benedictâ more consueto.

Modus hic, sicut est facillimus, ita legitimus, & à Scriptura non minùs quàm ab ipsa experientia comprobatur: Scriptura siquidem omnia facienda docet in nomine JEsu, prout sæpissimè dictum: experientia verò luculentum præbuit testimonium anno 1724. dum enim sub istud temporis curriculum in terra Ertingana præ reliquis fertili duobus in locis simile deprehensum esset maleficium, atque domi nos segetum jam maturarum in tantùm affligeret, ut iisdem in agro relictis ubique remedium quærerent oportunum: quæsitus desuper, suasi, ut modò præfatò benedicantur, semotáque omni diffidentiâ in horreum invehantur, ac tempore accommodo excutiantur, & optimo successu, prout cum gaudio est relatum.

Modus curandi maleficium diversorum morborum.

N. 96. EXorcista apud Personam infirmam, quam non absque ratione fundata maleficiò affectam suspicatur; sequentia servet.

Primò, si actualiter vel in toto corpore, vel in certa saltem corporis parte dolorem sentiat, Exorcista post præviam infide & fiducia instructionem præceptum lenitivum cum signo † Crucis adhibeat: quòdsi enim dolor sit verè à maleficio proveniens, illicò evanescet, vel ad aliam corporis partem advertenter decurret. Quo aninmadverso alterum adhibeat præceptum, ut dæmon totaliter ab omni cesset vexatione; infirmus verò, si lecto affixus decumbat, sine timore surgat, & se pro ultimato formando præcepto præparet. Quòdsi verò nullum actualem sentiret dolorem, Exorcista præceptô probativô in prima parte descriptô maleficii signa eliciat, atque præceptô lenitivô mox iterùm dolorem causatum reprimat.

2dò. Cognitô maleficiô, atque personâ patiente benè dispositâ, secundum temporis opportunitatem, ante Crucifixi imaginem genuflexi DEum pro liberatione deprecentur, ac tandem ultimatum præceptum formetur.

Gebett

Gebett zu Christo JEsu von aller Zauberey erlediget zu werden.

N. 97.

Allmächtiger HErr und GOTT Christe JEsu! der du sambt dem Vatter und heiligen Geist die gantze Welt mit unzahlbahren Gnaden und Gutthaten erfüllest: Inmassen du deine Allmacht, Weisheit, und Gütigkeit zu erzeigen von der Schoos deines himmlischen Vatters herunter gestigen, die menschliche Natur angenommen, aus Maria der Jungfrauen gebohren, unter Pontio Pilato gelitten, gecreutziget, gestorben und begraben, auch am dritten Tag widerum von den Todten auferstanden bist, unsere Gegentheil die rebellische Geister (welche vor Hoffart aufgeblasen ihren Erschaffer verlassen) als ein Löw von der Zunfft Juda zu überwinden und ihre hoffärtige Köpff zu zerknirschen. Der du ebenfalls uns von den Nachstellungen des Teuffels zu befreyen deinen Jüngeren den Gewalt gegeben, alle teuflische Gespenster in deinem Nahmen auszutreiben, und alle Zauberey zu vernichten. Sihe, zu dir komme ich mit demüthigister Bitt, du wollest durch deine unendliche Barmhertzigkeit, durch die unfählbahre Wahrheit in allen deinen Versprechungen, durch die Glory deines Allerheiligisten Nahmens, und endlich

lich durch die Verdienst deiner allerheiligsten Mutter Mariä und aller Heiligen mich erledigen von allem teuflischen Gewalt, von aller Zauber- und Hexerey, und von allen seinen Nachstellungen: Dann ich bin bereit hinfüro zu leben auch zu sterben unter dem Schutz des allerheiligisten Nahmens JEsus, Amen.

Exorcismus ad destruendum maleficium diversorum morborum.

N. 98. CONtrà te maledicte dæmon, rebellis DEO tuo & DEO meo, constitutus sum ego N. Minister Christi & Ecclesiæ; ideo authoritate mihi tradita à DEO & ab Ecclesia in ordine Exorcistatus tibi præcipio in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut illicò destruas omne maleficium sive in corpore sive extra corpus fabricatum: eadem etiam authoritate & potestate in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini nostri JEsu Christi tibi præcipio, ut illicò exeas, fugias, & recedas cum omnibus tuis fœcibus & immunditiis, sine ullo nocumento creaturæ inferendo: nec imposterùm ullam habeas potestatem hanc DEI creaturam quæ-

quocunque modo molestandi, vel maleficiis afficiendi: sic enim volo, sic jubeo ut Minister Christi & Ecclesiæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Recitatô Exorcismô poterit proba liberationis fieri modô consuetô, ac denique persona præmuniri modô in prima parte cap. 6. præscriptô.

Quodsi tamen circumstantiæ loci vel temporis viam breviorem suadent, poterit Exorcista breviter super parte vexata & maleficiata formandô signum sanctæ Crucis ✝ pronuntiare præceptum dicendô: *Præcipio tibi dæmon in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut cum omnibus tuis maleficiis illicò recedas & fugias, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Taliter enim facili sæpè negotio maleficium tollet, prout frequenter vidi practicatum.

Denique idem procedendi modus servandus pariter videtur in tollendo maleficio ingestionis rerum solidarum in corpus humanum, sicut enim dæmon similia vi pacti cum malefico facti invisibiliter ingessit corpori humano, ita vi præcepti ab Exorcista facti ea denuò sive visibiliter, sive etiam inadvertenter tollere potest: sic enim refert P. Brognolus in Alexiaco,

ad præceptum in SS. Nomine JEsu à se factum ex corpore lapidem excidisse, sic pariter alii Exorcistæ præcipiunt, ut cum omnibus suis fœcibus & immunditiis sine ullo nocumento creaturæ recedat.

Hoc unicum videtur monendum, ut Exorcista similibus quocunque modo ex corpore ejectis, eadem igne priùs benedicto comburat, hominémque in vera Dei confidentia corroboret, dæmonem imposterùm non habiturum potestatem similia corpori ingerendi.

Modus curandi maleficium Taciturnitatis præsertim in strygibus & sagis à Judice torturæ subjectis.

N. 99. MAleficio taciturnitatis solent affici non solæ personæ nullum cum dæmone consortium vel pactum habentes, sed præcipuè sagæ & malefici: dum enim Judici legitimo sistuntur, ita diabolus ora eorundem claudit, ut nullis tormentis ad veritatem confitendam adigi possint.

Maleficium porrò taciturnitatis in primi generis hominibus suppositâ legitimâ dispositione facilè per præceptum modo in progressu frequenter specificato solvitur. Alterum nihilominus difficillimæ videtur curationis: cùm enim personæ maleficæ ut plurimùm in malo sint obstinatæ, difficillimè fides & fiducia divina unicè ad

ad maleficium solvendum requisita inseritur & implantatur cordi eorum, quare Exorcista forte à Judice vocatus sequentia servet.

Primò: ad pacta maleficii tollenda optimum est, si à ministris ad reum torquendum paratis, vestibus, antequam ad torturam ducatur, servatis honestatis legibus exuatur, & subuculâ benedictâ induatur: sæpè enim maleficii taciturnitatis signa in vestibus sunt recondita.

2dò. Consultum est, pilos omnes tum capitis, tum barbæ & totius corporis honestè abradere, videlicet si vir sit, à viris, si fœmina à fœminis: non quidem ea intentione, ut exemplo Samsonis fortitudo in pilis latens deficiat, sed ut maleficii signa, vel in pilis vel in secretioribus corporis partibus latentia tollantur, & destruantur: ordinariè siquidem maleficii stygmata quædam diabolica, vel syncipiti, vel alteri corpotis parti præsertim secretæ impressa, & sacratissimas Hostias cuti insanatas habent, ita, prout sæpe confessæ sunt sagæ & malefici apud Sprenger & Delrium, ut nullaratione quidquam confiteri potuissent, nisi priùs tonsæ fuissent.

3tiò. Eadem de causa prudenter totum corpus prævie aquâ calidâ abluatur, ne fortè corpus unctione quadam ceu maleficii signo sit inunctum.

4tò. Attendatur sollicitè, ne ad alvum

expurgandum ire permissi propria excrementa respiciant: hoc enim fatentibus maleficis novum taciturnitatis, imò insensibilitatis signum est maleficum. Dixi *sollicitè attendendum:* quamvis enim suprà in modo procedendi ordinario signa maleficii parùm curanda dixerim, hic tamen in defectu veræ fidei & fiduciæ sollicitè videntur attendenda: cùm modus tollendi maleficia ordinarius ob dispositionis defectum non procedat.

5tò. Potissimum est remedium, si Judex, vel Exorcista specialiter deputatus omnes adstantes genuflectere divinumque auxilium ad dæmones reprimendos implorare jubeat, atque firmæ fidei & confidentiæ in DEum actus eliceat, inhæsitanter credendo, DEum ad diabolicum magiæ vitium tollendum procul dubio ad præceptum contra dæmones ab ipso faciendum concursurum, ne delictorum confessionem impediant, quo facto more consueto sequitur.

Exorcismus ad repellendum dæmonem obsidentem & præsertim in hominibus maleficis maleficium Taciturnitatis causantem.

N. 100. EGo N. qui à DEO & Ecclesia ejus sponsa in ordine Exorcistatus authori-

ritatem & potestatem accepi ad dæmones effugandos; hac authoritate & potestate suffultus & innixus, in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini nostri JEsu Christi, præcipio tibi dæmon, si præsens sis, vel vobis spiritus apostatici, quicunque, vel quotcunque huic creaturæ assistitis, ut statim ac sine ulla interposita mora recedatis ac fugiatis ab hac creatura DEI, nunc sub legitimi Judicis potestate constituta: nec ullam ampliùs habeatis potestatem eandem accedendi, nec intrinsecè nec extrinsecè illi vestrum auxilium impendendi: nec illam ullo modo sublevandi, nec impediendi, quin tortura ac cætera tormenta illi inflicta vel infligenda suum producant effectum, nempè in ea solitos efficiendo dolores ac torsiones: nec guttur ejus aut fauces constringendi, nec vocem impediendi, quin liberè sine ullo timore, pavore, vel impedimento diabolico omnia sua crimina clarè fateatur, non solùm dum sub tormentis manet, sed etiam post tormenta: neque illam inducendi ad desperationem,

neque illi apparendi sub quacunque forma vel figura: nec perturbandi sensus ejus externos vel internos; sed nunc sine ulla mora ab ea, & ab hac domo procul fugiatis, & longè recedatis: sic volo, sic jubeo ùt Minister Christi & Ecclesiæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde reus torquendus subuculâ benedictâ indutus unâ cum toto loco vicino aquâ benedictâ aspergatur, Agni, Dei, seu ceræ papales, Reliquiæ Sanctorum, aut alia ab Ecclesia benedicta collo ejus appendantur, ùt bene monet Delrius lib. 5. disq. mag. Appendic. 2. q. 25. Brognolus, & alii.

N. 101. Neque ullatenus formidanda videtur pœna irregularitatis ab Exorcista tollente taciturnitatis maleficium in hominibus maleficis incurrenda: Imprimis enim tollendo maleficium, personam maleficam in statum duntaxat naturalem reponit, quin ullatenus ad mortem ejus concurrat: patrùm enim ipsius interest, sive sublatô maleficiô crimen fassa criminaliter plectatur, sive nihil confessa seu innocens dimittatur. Deinde accusans quendam criminaliter etiam cum expressa protestatione sanguinis, longè plùs concurrit ad mortem ipsam, quàm maleficium tollens, ùt in confesso est; atqui nullus etiam Religio-

sorum

sorum pœnam irregularitatis incurrit accusando quendam de attrocissimis quibusdam criminibus, qualia sunt blasphemia, apostasia, hæresis, simonia, magia, sacrilegium &c. dummodo protestationem præfatam superaddat, ùt citatis juribus docet Reiff. lib. 5. Decret. Tit. 1. num. 30. Ergò minùs Exorcista incurret, præsertim, si contra causam sanguinis protestetur. Denique ne crimen magiæ in gravissimum reipublicæ detrimentum nimiùm grassetur, ad illud denuntiandum omnes sine exceptione tenentur sub pœna peccati mortalis, & pœna excommunicationis, uti habetur in Bulla Gregorii IX. incipiente: *Excommunicamus.* Innocentii IV. incipiente: *Noverit* Quæ habentur in fine Directorii Inquisitorum inter litteras Apostolicas pro S. Officio, & post alios tradit Brognolus in Alexicac. Tom. 2. Disput. 1. à. n. 108. Binsfeldius, Navarrus, Alphonsus à Castro, Diana, aliique communiter: plùs autem concurrit denuntians, quàm præcisè maleficium tollens: ergò, si primum sine pœna irregularitatis fieri potest, cur non & alterum?

Modus procedendi cum sagis & maleficis cum dæmone pactum habentibus, sed pœnitentibus.

QUantumvis personæ maleficiæ à dæmone nec sint possessæ, nec ullo maleficiô N. 102.

leficiô ordinariè affectæ, diabolum nihilominus (martinellum suum dictum) sibi assistentem habent, à quo ad omnium generum vitia alliciuntur, imò minis, & verberibus coguntur, & à pœnitentia agenda revocantur. Quare, si quæ fortè (quod rarum est) timore Dei perculsa, ad seriam pœnitentiam redeat, non à dæmonibus solùm, sed ipsis etiam maleficis gravissimas patitur persecutiones; imò, nisi Deus specialiter protegat, maleficîs artibûs incantatur, & dæmoni devovetur: Ut ergò prudentia Exorcistæ, vel Confessarii etiam huic miserè afflictæ personæ remedium ferat, sequentia servet.

N. 103. *Primò*, omni nisu conetur adjuvare in fide, integra & contrita confessione deponenda, in qua de sequentibus quærere, ac interrogare poterit: *1mò*, an & quoties DEum abnegaverit. *2dò*, an, & quoties dæmonem ceu Deum suum adoraverit, vel sacrificium obtulerit, syngraphamdandô se subscripserit? articulum hæreticum crediderit? *3tiò*, an Beatissimam Virginem, Sanctos, Sacramenta, totâmque Catholicam fidem abnegârit? *4tò*, an à dæmone, vel maleficis novô fuerit initiata baptismo, confirmatione? *5tò*, an Imagines sacras inhonorârit, conspuendô, verberandô, pedibus conculcandô? &c, *6tò*, an SS. Eucharistiam acceperit: ita inhonorârit? *7timò*, an se obligaverit dæmoni semper

per sacrilegè confiteri, communicare, & quoties ita confessa fuerit, communicaverit, S. Hostiam ex ore exemerit, & quibus eam contumeliis affecerit? *quò*, an præsens Sacrificio Missæ saltem intentione & affectu S. Hostiam, B. Virginem, aliáque inhonorârit? *quò*, an, & de quibus dæmoni juramentum præstiterit? 10. an promiserit se statutis diebus ad conventus diabolicos venturam, & quotquot poterit, post se tracturam? 11. quoties ad conventus venerit, an ibi dæmonem adoraverit, sacra, præsertim S. Hostiam conculcaverit? 12. an nullam S. hostiam corpori suo, præsertim partibus secretioribus (prout ordinariè contingit) insanaverit? dæmoni abscondendam tradiderit, unguenta diabolicá assumpserit? 13. an certa unguenta habuerit? à quo ea receperit? quæ in ipsis conficiendis adhibuerit? an infantulos è vivis ab ipsis sublatos, vel è sepulchris effossos, vel quædam ab Ecclesia benedicta? &c. 14. an non libros, instrumenta & unguenta magica retineat, eáque ad comburendum confessario extradere velit? 15. An & quot homines seduxerit, maleficiô affecerit, in amentiam egerit, occiderit? 16. an non quibusdam sanguinem, matribus lac exsuxerit, ubera venenô infecerit, & ita parvulos occiderit? 17. An non hominibus nocuerit, tempestates, tonitrua, grandines, imbres

cau-

causaudo, vel obtentum à dæmone pulverem, vel aliud quid simile spargendo, unde posteà ranæ, locustæ, limaces, & aliæ hujus generis agrorum pestes prodierint. 18. An greges & armenta maleficiis affecerit, vel omninò peremerit? 19. An alteri pauperiem fecerit, vel damnum dederit in bonis fortunæ. 20. An non læserit personas sibi valdè conjunctas, v. g. parentes, liberos, maritum &c. Item an Clericos, Religiosos, ob quod censuram excommunicationis incurrerit? 21. An cum bestiis, dæmone, hominibus maleficis præsertim sibi sanguine junctis se commiscuerit. 22. An thesauros arte magica quæsierit, aut aliter divitias, honores, vel victoriam à dæmone expetierit? 23. An quibusdam dæmoniacis usa contra vulnera ac tormenta, & quibus? 24. An conata animas evocare? an convenerit de apparendo post mortem? 25. An finxerit spectra? 26. An spectris cultum aliquem exhibuerit? & quem, ac qualibus? an pacta cum illis fecerit? familiaria cum illis colloquia habuerit &c. 27. An procuraverit spectrorum apparitiones? 28. An Exorcismis vetitis & diabolicis usa ad morbos quosdam curandos? 29. An habuerit dæmonem inclusum, vel includere sit conata? an paredrium seu familiarem habuerit, sub quo pacto quamdiu & ad quid? 30. An & quibus philtris usa, iisque quosdam ad amorem illici-

tum

tum, quosdam ad odium allexerit? 31. An nullum abortum fructus animati vel inanimati, aut sterilitatem procuraverit? Hæ potissimæ videntur quæstiones personis maleficis pro qualitate & diversitate circumstantiarum à Confessario faciendæ. Verùm Exorcista ulteriùs.

2dò proponat eidem delicti enormitatem, diaboli tyrannidem, Dei misericordiam, ac promptitudinem ad peccata delenda, libertatem arbitrii, pacti diabolici invaliditatem, & quòd syngrapha, peracta peccatorum confessione nihil sit valitura. N. 104.

3tiò. Jubeat cum maxima fide & devotione, ac præcipuè profunda cum humilitate ut DEum adoret, dæmoni abrenuntiet, Sanctos omnes, præsertim Beatissimam Virginem veneretur, dæmonẽ verò detestetur, ejúsque pacta & conventiones rescindat.

4tò. Protestari jubeat, se deinceps nullam cum dæmone societatem, nullam conventionem habituram, sed sub protectione Dei & Sanctorum victuram.

5tò. Cùm testante P. Candido Brognolo in manuali p. 1. cap. 2. art. 3. § 10. num. 126. regulariter dæmonem inter & maleficum duo fieri chirographa soleant, in quibus conventiones continentur, quorum unum apud dæmonem conservetur, alterum apud maleficum: vel, si non datur chirographum, utpote sagis ignaris, & vili plebeculæ, aliud saltem signum factum

ctum vel consignatum propria manu ipsius sagæ, & ab ipso dæmone aliqua nota confirmatum, sed denuò duplex, ita, ut unum apud dæmonem, alterum apud maleficum conservetur: hinc maleficus chirographum vel signum apud se retentum dilacerare vel comburere debet. De altero verò minimè sit sollicitus, utpote cùm per pœnitentiam legitimam, dæmonis abrenuntiationem, & misericordiæ divinæ invocationem sufficienter revocetur, ùt docet Sanch. in præcep. Decal. Lib. 2. cap. 40. n. 53. Suarez tom. 1. de Relig. Lib. 2. de superstit. cap. 17. n. 4. Brognolus & alii communiter. Poterit nihilominùs Exorcista in nomine JEsù præcipere dæmonibus ut syngraphum restituant.

6tò. Sequens contra dæmonem præceptum efformet.

Exorcismus ad repellendum dæmonem à strygibus, ac maleficis ad pœnitentiam revertentibus.

N. 105. EGo N. ùt Minister Christi & Ecclesiæ authoritate mihi tradita à Deo & ab Ecclesia in ordine Exorcistatus præcipio tibi, dæmon, in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut nunc immediatè sine ulla mora recedas totaliter ab hac creatura Dei, quæ suorum pecca-

peccatorum contrita tibi abrenuntians ad DEUM confugit, & ad abyssum sanctissimi Nominis JEsu se recepit: nec amplius potestatem habeas corpus ejus intrandi, vel eam perturbandi, aut inquietandi, sive intrinsecè vel extrinsecè molestandi: nec sub quacunque forma aut figura apparendi: vel ad desperationem eam inducendi, aut alio quovis modo infestandi. Recede ergo spiritus maledicte, quia sic tibi præcipio ùt Minister Christi & Ecclesiæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Posteà Exorcista stans maleficum pœnitentem sequente benedictione seu oratione deprecativa muniat.

℣. Propitius esto Domine peccatis nostris.
℟. Ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum.
℣. Adjuva nos DEus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & misericors DEus, qui omnem animam pœnitentem, & confitentem tibi, magis vis emendari, quàm perdere: nec ullum respuis, sed quantumvis peccantibus per pœnitentiam pia miseratione placaris, respice super hunc famulum tuum, & averte ab eo iram indignationis tuæ, & omnia ejus peccata dimitte (si fuerit fæmina, dicat) super hanc famulam tuam &c. &c. & averte ab ea &c.

DEus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris, Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum (si fuerit fæmina dicat, hanc famulam tuam) de tua misericordia confidentem cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves, ut tibi jugitur famuletur, nullis tentationibus à Te separetur, ac diabolicis infestationibus perturbetur.

Omnipotens & misericors DEus, respice propitius ad preces nostras, & libera mentem istius creaturæ ad asylum tuæ misericordiæ confugientis de malarum tentationibus cogitationum: ac corpus de dæmoniacarum insultibus infestationum: & illumina cor ejus, ut tua valeat implere præcept, ac Spiritûs Sancti dignum fieri habitaculum mereatur, per Dominum &c. in unitate ejusdem.

Modus

Modus maleficos pœnitentes præservandi.

QUandoquidem certum experientia teste videatur, dæmonem tum per se, tum per maleficos nulli insidiari magis, quàm maleficis pœnitentibus; ideò, ut magis magisque præserventur, à Confessario de sequentibus instruantur.

1mò. Ne imposterùm dæmonem etiam sub diversissimis formis & figuris sibi apparentem timeant, sed etiam mox in SS. Nomine JEsu discedere præcipiant; solet enim vaferrimus hostis jam sub specie viri terribilis, jam sub specie leonis rugientis, aut alterius animalis, etiam sub specie amasii allicientis comparere, minas & terrorem incutere, imò & verbera infligere; quòdsi tamen eidem in fide fortiter resistant, & per præceptum repellatur, mascà imbecillior apparebit. N. 106.

2dò Moneat, ut de enormibus suis peccatis frequenter doleant, atque eorundem veniam petant, Sacramenta frequentent, ac singulariter SS. Nomen JEsu invocent, Beatissimæ Virginis, Angeli tutelaris, aliorúmque sanctorum Patronorum suffragia implorent.

3tiò. Quotidie Deo gratias agant, quòd ex faucibus infernalis leonis sint erepti: studeántque sæpissimè actus veræ fidei & fiduciæ erga DEum elicere.

4tò. Si quid hominibus sive in bonis animi, corporis, fortunæ vel famæ nocuerint, pro possibili resarcire studeant. Tandem etiam conducent præscripta præservativa parte 1. cap. 6. q. 12. illic videnda & revidenda.

Modus procedendi cum illis, qui datô Chirographô ad certum tempus se dæmoni obligârunt.

N. 170. EA est quandoque indurata hominum malitia, ut vel concupiscentiâ carnis, vel pecuniarum allecti, aut alterius temporalis prosperitatis emolumentô permoti, animam suam dæmoni venalem habeant, eámque chirographô, proprio sanguine subscriptô in omnem æternitatem cruciandam devoveant. Et reverâ experientiâ teste compertum habetur, homines illos finitô temporis assignati curriculô à dæmone non infestari duntaxat, sed quandoque etiam miserrimè strangulari, & interfici, nisi remediis spiritualibus provisi ab ejus tyrannide liberentur. Quare, cùm timore perculsi, quandoque ad DD. Parochos, aut Confessarios, spe liberationis consequendæ confugere soleant, meritô quæritur, quomodo ejus farinæ hominibus consulendum? Hinc

N. 108. Respondeo, conducere omnia & singula mox suprà pro liberandis personis mag-

maleficis præscripta: sicut enim illi, ita à dæmone infestantur.

Quòd si nihilominus contingeret, ejusmodi hominem tempore præscripto jamjam fermè elapso comparere, & auxilium opportunum quærere, ita, ut dæmon vel visibiliter, vel saltem invisibiliter jam insidias struat, atque animam æternùm cruciandam eripere velit, Parochus, vel Confessarius sequentia servet.

Primò. Personâ breviter saltem in fide instructâ, atque coram se quasi pro tribunali sedente, genuflexâ, præceptum contra diabolum efformet, nè ullam contra præsentem creaturam, ad DEum ceu Patrem misericordiarum, & Ecclesiæ sinum confugientem, habere potestatem præsumat, dicendo v. g.

Ego N. quâ Minister Christi & Ecclesiæ, præcipio tibi dæmon, in virtute SS. Nominis JEsu, ne ullatenus huic creaturæ, quæ ad DEum, ceu Patrem misericordiarum, & Ecclesiæ sinum recurrit, appropiare, minùs eam quomodòlibet molestare præsumas, sed ulterius judicium à me, ceu Ministro Christi & Ecclesiæ ferendum expectes. N. 109.

Secundò. Minimè opus est, ut se simili personæ Stolis, & Cingulis benedictis alliget: cùm non sua præsentiâ, sed potestate divinitùs accepta eam protegat, defendit, atque à dæmonis infestatione liberet: jubeat solùm, ut doloroſam peccatorum

confessionem deponat, eáque servet, quæ mox superiùs sunt præscripta.

Quòd si tamen persona ob modicitatam fidei sub actuali Confessione, aliisve actibus infestaretur, eam breviter in fide & fiducia confortare, atque contra dæmonem novum præceptum de non infestando, formare necesse esset.

Tertiò. Finita tum Confessione Sacramentali, tum aliis actibus præscriptis, si chirographum repetere nolit, sicut revera repetere necesse non est, Litanias omnium Sanctorum cum sequenti oratione recitet, ac tandem Exorcismum contra dæmonem formet.

Gebett zu Erlangung Göttlicher Gnad und Verzeihung jenes, der sich dem Teuffel unterschriben.

N. 110. BArmhertzigster HErr, und GOtt, HErr Himmels und der Erden! sihe an diss deine Creatur, die du aus Nichts erschaffen, und mit dem kostbaristen Blut deines vilgeliebten Sohns erlöset hast: Sihe an das Geschöpff deiner Allmacht, welches dich so schändlich verlassen, und mit eigner Handschrifft deinem ärgisten Feind, dem Teuffel sich unterschriben hat: Sihe an deinen ungetreuen Diener, welcher deine Güte, und Barmhertzigkeit verlassen, sich dem höllischen Tyrannen zu dienen verpflichtet hat. O unglückseeliger Sünder, der Himmel und Erden beleydiget, und unwürdig ist seine Augen

gen gegen dem Himmel zu erheben. Aber Barmhertzigister Vatter, Gütigister HErr und GOtt! dessen Erbarmnussen seynd über alle deine Werck, dessen Barmhertzigkeit kein Zeit, noch Maß; zu dir kommet abermahl dise deine unwürdige Creatur mit gantz zerknirschtem Hertzen, mit völligem Vertrauen bittend, und seufftzend um Gnad, und Nachlassung ihrer Sünden. Wir wissen, O HErr! daß du ein zerknirschtes, und demüthiges Hertz nit verachtest, daß auch die gegebene Handschrifft deiner Barmhertzigkeit keine Hindernuß mache. Dannenhero kommen wir alle durch das rosenfarbe vergossene Blut deines geliebtisten Sohns bittend, du wollest dich diser armseeligen Creatur erbarmen, sie zu Gnaden abermahl aufnehmen, die gegebene Handschrifft zernichten, damit der höllische Tyrann hinführo kein Recht mehr fürwenden möge. Amen.

Qua oratione devotè recitata, Exorcista vel Confessarius Exorcismum sequentem modô priùs præscriptô efformet.

Exorcismus contra dæmonem infestantem eum, qui Chirographi cautione animam suam eidem subscripsit.

CONtra te maledicte dæmon, qui N. hominem præsentem pretiosissimo III.

Sanguine Domini nostri JESU Christi redemptum, in tantum decepisti, ut animam suam propriô chirographô tibi venalem traderet, constitutus sum Ego N. ceu Minister Christi, & Ecclesiæ: ideóque, quia hæc DEI creatura plena fide & fiducia rursus ad DEum Creatorem, & Redemptorem suum revertitur, Eundémque vera cordis contritione sibi propitium fieri supplicat, quem tam graviter offendit, tibi, imò omnibus dæmonibus, in virtute SS. Nominis JEsu præcipio, ut totaliter ab ea recedatis, & fugiatis, neque imposterùm ullam ampliùs potestatem habeatis, eam, non obstante chirographi cautione recepta, quam ex corde detestando revocat, quomodolibet infestandi, vel molestandi: Fugite ergò partes adversæ, sic enim vobis impero ceu Minister Christi, & Ecclesiæ: In Nomine ✝ Patris, & ✝ Filii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

N. 112. *Quartò.* Si Confessarius chirographum repetere velit, sicut revera potest, personam secundùm dicta parte prima Armamentarii pluribus in locis, instruat, sibi ceu

ceu Ministro Christi, & Ecclesiæ omnem datam esse potestatem spirituum immundorum secundùm illud Matth. 10. & Marc. 3. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum.* Consequenter cum restitutio chirographi, licèt non necessaria, saltem utilis esse credatur, diabolum etiam propria renitente voluntate, virtute divina cogendum, ad illud restituendum. Quare omnes præsentes pro facienda chirographi restitutione, DEum supplicibus priùs interpellent precibus, atque mox ante præscriptam Orationem post Litanias recitent, & in fine ejusdem specialiter supplicabundi superaddant, ut DEus sua virtute dæmonem ad chirographum restituendum cogat; Confessarius verò ceu Judex à Deo constitutus sequentem Exorcismum contra dæmonem efformet.

Exorcismus ad compellendum dæmonem ad Chirographum illi datum restituendum.

EXorcizo te impie satan, qui tuo cum desiderii principatu semper affectas tyrannicum in homines imperium. Exorcizo te per JEsum Christum, qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, ut ab hac creatura, quæ tuis fraudibus decepta se tibi N. 113.

bi tradidit, omne tuum imperium festinùs amoveas: Ex hoc enim momento rursus te deserens, divinæ misericordiæ se committit, ut Ei serviat, cui se totam debet, quique servientibus sibi æternæ vitæ mercedem promisit. Exorcizo te per pretiosissimum sanguinem Christi JEsu, quo deletum est chirographum decreti, quod erat nobis contrarium; tibique ceu Minister Christi, & Ecclesiæ in Virtute SS. Nominis JEsu præcipio, ut chirographum, quo hæc creatura se tibi obligavit, illicò restituas, nec penes te diutiùs serves, ut omnibus constet, DEO peccatorem in gratiam recipiente, nullum tibi restare imperium: redde ergo, & restitue, sic enim volo, sic jubeo in Nomine † Patris, & † Filii, & Spiritus † Sancti, Amen.

Ultiò tandem Chirographum receptum in despectum diaboli comburat, vel si in rei memoriam reservare velit, illud specialiter benedicat: ac tandem remedia præservativa mox superiùs pro maleficis pœnitentibus præscripta, observanda proponat.

Mo-

Modus animalia bruta à maleficiis liberandi.

DÆmones (ait Doctissimus Abulensis quæst. 126. in cap. 8. Matth.) *Tanto ardore hominibus nocere desiderant, quòdsi non possunt nocere eis in se ipsis, saltem volunt nocere in quibuscunque rebus eorum:* Præsertim verò ex inveteratô adversùs hominem odiô animalia bruta sub dominio hominum constituta aggrediuntur, eáque triplici modo molestant: *1mò*, corpora eorum ingrediendô, & possidendô, atque in iis aliquid bonum. vel malum suprà bestiarum naturam operando: qualiter Christo permittente integra legio porcos invasit. N. 114.

2dò, extrinsecè eorum operationibus resistendo: v. g. equis in via resistendo, ne progrediantur, canes à latrando impediendo.

3tiò. Damnum eorum corporibus inferendo; ita, ut vel infirmentur, mutilentur, aut omninò moriantur. Quare signum maleficium animalium brutorum à verô naturali morbo dignoscendi, est, cùm aliquid præter naturæ cursum operantur, quorum operatio ad præceptum Exorcistæ, vel applicationem rerum benedictarum desistit. Ut ergo etiam hæc tollantur, sequentia serventur.

Primò. More consueto Pater Familias, aut illi sub quorum dominio vel cura constituta

ſtituta ſunt animalia, in fide & fiducia inſtruantur, & de dæmonis vilitate & impotentia hominibus verà fiducia præditis nocendi moneantur. Secundò. Cùm DEus ordinariè ſimiles permittat hominibus tribulationes ob peccata eorum, optimum erit illa vera cordis contritione & confeſſione ſacramentali deponere: deleto quippe reatu culpæ facilè ceſſabit reatus pœnæ. Tertiò Exorciſta moneat, ut omnes præſentes ante Crucifixi imaginem genuflexi devotè, ac plena fide & fiducia liberationem petant: ac poſtea Exorciſmum ſubjungat.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEus, qui ab origine mundi creans hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam ad ipſius uſum & levamen feciſti etiam animam viventem ſuper terram in genere ſuo: jumenta, equos, boves, & oves, cæteraque animalia & beſtias terræ juxta ſpecies ſuas: Te humiliter deprecamur, ut hoc animal (vel animalia) liberare digneris, à quocunque

cunque maleficio, ligatura, signatura, infestatione dæmonum, ac ministrorum ejus, ac qualibet lue, peste ac morbo contagioso, ut tradita ei (vel eis) sanitate deservire possit (vel possint) ad usum Domini sui, qui in Ecclesia tua gratiarum tibi referat actiones. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcismus ad dæmones ab animalibus expellendos.

EGo N. ùt Minister Christi & Ecclesiæ, contra vos, spiritus maligni, qui vestris maleficiis has bestias, & ad usum istius hominis animalia spectantia infestatis, venio: & in nomine JEsu præcipio vobis, ut statim exeatis ab hisce animalibus sub dominio, vel cura istius hominis constitutis, & à quibuscunque rebus ad illum pertinentibus ac totaliter recedatis à loco isto, ac destruatis omne, quod perfecistis maleficium: nec ampliùs potestatem habeatis nocendi eis, ac vexandi ea sive intrinsecè sive extrinsecè: nec apparendi eis sub quacunque forma, vel figura: nec impediendi eorum operationes naturales, ita, ut liberè & sine ulla molestia, vel N. 115.

retar-

retardatione eorum dominus vel custos eis uti possit, quandocunque opus fuerit. Fugite ergo ac recedite spiritus maledicti: quia sic præcipio vobis, ut Minister Christi & Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Postea Exorcista animalia aquâ benedictâ aspergat, ac benedicat præsepia, ovilia, aquam, sal, & alia hujusmodi benedictionibus infrà apponendis in appendice. Ulteriùs moneat dominum, aut custodem eorum, ut liberè utatur eisdem, atque sine ullo timore cum eisdem disponat: præmuniat pariter stabulum, præsepe, & alia rebus benedictis, & schedulis, in quibus præceptum sit scriptum, ne dæmon imposterum lædere valeat; imò ipsimet Patresfamilias vel custodes pecorum quandoque præceptum forment, ne dæmon eorum pecoribus nocere præsumat.

Optimum tamen est DEI auxilium seriis precibus implorare, Deúmque vera fide & fiducia implorare, ut opera diaboli destruat, ejúsque potentiæ resistat: etenim si DEus pro nobis, nec diabolus, nec ejus organa quidquam nocere possunt.

Denique benè consideret Exorcista, à dæmone necdum varios morbos, sed & pestem ipsam causari, prout Authores, pas-

sim

sim pluribus confirmant historiis: quare prudenter consideratis circumstantiis optimè faciet, si in peste animalium non simplici duntaxat benedictione sed etiam Exorcismo saltem conditionato utatur.

Modus destruendi maleficia pluviarum, grandinum à dæmone excitatarum.

DÆmones DEO permittente sive per se sive per magos posse excitare pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, aliáque similia meteorologica constans est Authorum sententia, atque manifestè ex Scriptura colligitur Psal. 77. â v. 49. Ubi grandines & cæteræ plagæ Ægyptiacæ dicuntur *immissiones per angelos malos.* Item Job. 1. dæmonem causato vento vehementi oppressisse filios Job. D. Paulus pariter vocat dæmones *aëreas potestates & principes aëris hujus*, quòd magnam habeant potestatem in aëra. Constat pariter luculentis exemplis tum antiquis, tum recentioribus, prout ea videre licet apud Remigium lib. 1. de Morali. cap. 25. Schottum in Physica curiosa lib. 1. c. 34. & alios passim. N. 116.

Solent autem dæmones ordinariè à maleficis allecti similia gravissima causare mala: malefici verò ad dæmones alliciendum solent in aquam immittere ollam fictilem, cui aliquod arcanum dæmon incluserit; vel etiam

etiam lapides tantæ magnitudinis, quantam vellent grandinem decidere: interdum candelas inversas super stagnum tenere, donec guttæ defluant: alias pulverem medicatum in aquas spargere: ut plurimùm verò acceptâ à dæmone virgâ nigrâ aquam diverberare, donec vapores, fumosque emittant, quibuscum unà sublimes efferuntur. Alii filices post tergum occidentem versus projiciunt: sæpè scopam in aqua intingunt, cœlúmque versus spargunt; alii aliis ritibûs utuntur, & sæpè integras regiones devastant: quare, ut similibus etiam malis obvietur, Exorcista fide maxima sequentes ex Rituali Frisingensi faciat adjurationes.

Exorcismus contra imminentem tempestatem fulgurum, & grandinis &c.

N. 118. PEr Signum † Crucis de inimicis † libera nos † DEus noster, in Nomine Patris † & Filii & Spiritûs Sancti, Amen.

Dicitur symbolum fidei, scilicet Credo in DEum &c. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater Noster. ℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus ℟ Et fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. ℣. Exúr-

ge

ge Christe, adjuva nos, ℟. & libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. & cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine JEsu Christe, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, quique flumini Jordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, & tuas sanctissimas manus & brachia sacritissima in Cruce † extendisti, quibus aërem sanctificasti, obsecramus immensam Pietatis & Bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & post me, & supra me, à dextris & à sinistris video aërem perturbare, dissolvere, & annihilare digneris, ut alligata potestas dæmonum impiè desævientium deficiat, & turbetur ad laudem tui SS. Nominis, & Potentissimæ Majestatis tuæ, qui vivis & regnas &c.

Postea conversus ad nubes, signat eas signo crucis dicens: circumdet te nubes Deus Pater, † circumdet te Deus Filius, † circumdet te Deus Spiritus Sanctus. † Destruat te Deus Pater, † destruat te Deus Filius, † destruat te Spiritus † Sanctus. Comprimat te Deus Pater † comprimat te Deus Filius † comprimat te Spiritus † Sanctus. ℟. Amen,

Obsecratio. Sanctus Matthæus. S. Marcus. S. Lucas. S. Joannes Evangelista, qui

Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgârunt, ipsi suis meritis & precibus hanc tempestatem à termino isto, & ab omnibus Christianorum finibus ab eodem Domino nostro JEsu Christo removeri obtineant, & depelli.

Exorcismus.

ET ego peccator, & Christi Sacerdos, seu Minister licèt indignus, Authore & virtute Ejusdem DEI & Domini nostri JEsu Christi, Summi Imperatoris, non mea potentia innixus & confisus, vobis præcipio, immundissimi spiritus, qui has nubes, seu nebulas concitatis, in virtute ejusdem DEI & Domini nostri JEsu Christi, † per SS. Ejusdem Incarnationem: per sanctam Nativitatem: per Baptismum & Jejunium ipsius, per Christi sacratissimam Crucem † & Passionem: per sanctam Resurrectionem, per admirabilem Ascensionem: per tremendum adventum Ejus ad judicium: per merita intemeratæ semperque Virginis Mariæ, & SSmi N. ac per merita Omnium Sanctorum, ut exeatis, quatenus nocere non possint hominibus animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscunque rebus humanis usibus deputatis. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

ipse

Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nubes commovetis, de quo de nube lucidâ dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit: † ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce Corporis sui sanctissimi in ea extensione, aërem purgavit; † Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortémque devicit, & ligavit, atque æternæ gehennæ mancipavit ignibus: † Ipse vobis imperat, qui infernô spoliatô surrexit à mortuis: † Ipse vobis imperat, qui post 40. dies nube susceptus virtute sua ascendit in cœlum: † Ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem ℟. Amen.

Postea ostendat Crucem in aëra dicens: Ecce signum SS. Crucis, fugite partes adversæ; vicit enim vos, & mundum Dominus noster JEsus Christus Filius DEI, Imperator summus, Leo de tribu Juda, Radix David.

Postea aqua benedicta in modum Crucis aspergat per quatuor latera.

Dicendæ etiam sunt Lytaniæ, si nondum quievit tempestas. Symbolum Athanasii. Quicunque vult &c. Antiph. Salve Regina. Sub tuum præsidium. Cant. Benedicite omnia, cum ℣. Gloria Patri. in quolibet ℣. Dicti Cantici. Deinde ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu. ℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Ora pro nobis S. DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur &c. ℣. Exurge Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter Nomen tuum. ℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c. ℣. Dominus vobiscum &c.

Oratio.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui dedisti famulis tuis in Confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis patrociniô confidentes, à cunctis hostibus & periculis redde securos.

A domo tua quæsumus, Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua prævenientè clementiam sentiamus.

Largiri, & fructus terræ conservare dignare, Domine Deus noster, ut temporalibus gaudeamus auxiliis, & proficiamus spiritualibus incrementis. Per Christum Dominum nostrum.

N. 118. Cæterùm, licèt in Rituali Frisingensi omnia ab his, aut suprà scriptis precibus, &

& adjurationibus aliena, absque Sedis Apostolicæ, vel licentia Ordinarii, contra tempestates adhiberi, gravissimè prohibeatur; nihilominùs, quia simplex præceptum in SS. Nomine JEsu factum, tum à S. Scriptura, tum ab Ecclesia universali est approbatum, & in præfatis adjurationibus jam contentum, ingruente graviori tempestate, ubi fortè prædicta omnia, & singula servari nequeunt, optimè Exorcista faciet, si contra tempestatem à dæmone fortè excitatam verâ fide & fiducia breviter præceptum formet, dicendo:

EGo N. quà Minister Christi, & Ecclesiæ, potestate, à Deo, & ab Ecclesia receptâ, in virtute SS. Trinitatis, & in nomine Domini nostri JEsu Christi impero tibi dæmon, imò omnibus vobis dæmonibus, qui fortè hanc tempestatem excitatis, ut illicò unà cum omnibus maleficis ab aere fugiatis & recedatis, neque nullam habeatis potestatem has nubes commovendi, vel grandines excitandi: fugite ergò partes adversæ, dæmones infernales; sic enim vobis impero in nomine Patris † & Fili † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Quæstio sexta.

Quomodo maleficia singula sint per res ab Ecclesia benedictas destruenda, & curanda?

N. 119. ADvertendum, Benedicere, in rei veritate idem significare, ac sanctificare, seu consecrare: sic Gen. 2. *Benedixit DEus diei Sabbathi*, & Luc. 9. Christus *acceptis quinque panibus, & duobus piscibus respexit in cœlum, & benedixit illis.* Quamvis enim omnis creatura DEI, quatenus à DEO est, bona sit: tamen, ùt idem Apostolus testatur, etiam per verbum Dei, & orationem sanctificatur. Porrò munus Benedictionis impertiendæ peculiariter ad viros Ecclesiasticos, sive DEO consecratos pertinet: etsi non semel etiam homines Laici rebus à se benedictis, permulta perfecerint admirabilia. *Solet namque*, ùt D. testatur Ambros. in Epist. ad Gal. cap. 4. *prospere procedere, quidquid simpliciter in DEI devotione fit.* Quinimò Sacerdotes, etiamsi mali sint, pro officio nihilominus dignitatis suæ gratiam transfundunt, ut testatur divus Augustinus lib. quæstionum novi & veteris testamenti: quod enim Aaroni Num. c. 6. dicitur: *Vos ponite nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis*, hoc omnibus Sacerdotibus, ùt benè declaratur in

in Decreto Gratiani cap. 1. q. 1. can dictum est.

Nec tamen effectus admirabiles rebus ipsis ab Ecclesia benedictis, ùt falsò calumniantur hæretici, sed accepta Deo referimus, qui pia fidelium vota non reiiciens, per hasce res, ùt per moralia instrumenta, etiam miracula operari dignatur, ùt plurimis adductis testantur exemplis Metaphrastes, Surius, Delrio, & alii.

Quòd si non semper benedictiones speratì sequuntur effectus, plures hujus rei causæ assignari possunt: prima, quia non eadem ratio est benedictionum, quæ Sacramentorum: hæc enim ex institutione Divina certa & efficacia sunt signa gratiæ: at benedictiones nulla promissione divina firmatæ sunt, nisi eâ, quæ orationi ast adjuncta: petite & accipietis. Altera est, quòd non omnibus gratia sanitatum sit communis; *Alii*, inquit Apostolus 1. Cor. 11. *datur gratia sanitatum, alii operatio virtutum &c.* præcipuæ tamen causæ videntur peccata hominum, modicitas fidei, & confidentiæ in DEum, aut certè, quia DEus per afflictiones à peccatis abstrahere, patientis meritum adaugere, & spectantibus virtutum specimen præbere intendit. Ut autem ad rem deveniamus

Dico: Generaliter loquendo res de consuetudine Ecclesiæ suis temporibus benedici solitæ maximæ sunt efficaciæ, ut sunt N. 120.

sal, aqua, herbæ, thus, aurum & Myrrha in festo trium Regum benedicta, frondes palmarum, oleum olivarum, cerei sacri, cera paschalis, seu grana sabbathi sancti: Agni DEI &c. Ratio est, quia non ob alium finem ista benedicuntur, nisi ut illis tollatur omnis potestas adversarii, prout tum ex formulis benedictionum, tum ex SS. PP. luculentis exemplis patet. Sic enim oleo benedicto usus legitur Hilarion apud S. Hieron. D. Martinus apud Severum Sulpitium in ipsorum vitis: Monachi Ægyptii apud Ruffinum lib. 2. cap. 4. Pane benedicto pariter usum S. Hilarionem testatur D. Hieronymus in ejus vita, S. Marcellum Metaphrastes mense Decembri, & alii plurimi, prout omnis generis exempla restant videnda apud Auctores passim hanc materiam pertractantes. Specialiter verò præter hæc generalia & communia passim alia usurpantur, & sæpe cum fructu applicantur, prout aliqua exhibemus.

Contra maleficia præsertim contractionis nervorum, claudicationis, aliorumque dolorum in juncturis manuum vel pedum adhibent lavacrum benedictum, ita ut aqua benedicatur benedictione communi contra maleficia, benedictione S. Ignatii Confessoris, cui pariter infunditur aqua SS. Trium Regum, & aqua diebus dominicis benedici solita cum sale pariter benedicto: Hoc balneum non semel expertus sum efficaci-

ficaciſſimum etiam contra inveterata malaficia.

Alii aquæ ſimplici benedictæ pro balneo conficiendo ſequentes commiſcent herbas

Pro forma Balnei. N.

Spicæ Nardi. pug-med. 121.
Origumi.
Majoranæ.
Calaminthi montanæ. } ana. pug. med.
Thymi vulgaris.
Sticados.
Junci odorati.
Calami aromatici.
Ditami cretici. } ana. pug. med.
Hyſopi montani
Roſarum rubrarum. manipul. 1.
Florum ſquinnati. pug. 1.
Rutæ.
Hypericonis. } ana. pug. med.
Salviæ.

Quæ omnia in aqua benedicta bulliant ad conſummationem tertiæ partis: dein Balneum benedicatur, & abluat ſe maleficiatus ſemel in die.

Contra maleficia diverſa quidam ſequentia adhibent.

Recipe pro maſſa nigra, tum pro ſuffumigio, tum etiam apud ſe portanda. N. 122.
Camphor:
Sem. nigell.

Asæ fœtidæ.
Myrrh. rubr.
Oliban. ana. q. placet.

Contunde in Mortario æneo l. a. in massam nigram.

Recipe pro forma olei, seu unguenti.

M. 123.

Rutæ capratiæ.
Rutæ domesticæ.
Herbæ parid.
Hypercionis.
Salviæ.
Majoranæ.
Absynthii.
Foliorum persici.
Sabinæ. } ana. pug. 1.
Abrotani.
Formiculariæ.
Anethi.
Meu.
Athemisiæ.
Appii.
Celidoniæ.
Juniperi.
Foliorum papaveris.
Sinapis.

Bacarrum lauri. unc. 1.
Nucum cupressi. num. 12.
Radicum esculæ. } ana. unc. 1.
Mori.

Car-

Cardamoni.)
Ditami.) ana. man. 1.
Thuris.)
Sandrachæ. } ana. unc. 1.
Mirrhæ.)
Sandalorum alborum.)
Citrinorum.) ana. unc. semis.

Incidantur incidenda, & contundantur contundenda, & bulliant in libr. 10. olei antiqui, & tunc accipe.

Caryofilorum.)
Cinamomi. } ana. unc. 1.
Nucis muscatæ.)

Hæc priùs contusa ligentur in tela linea, ac in ipso reponantur oleo, seu unguento, ut sic omnia bulliant usque ad consummationem humiditatis: postea exprimantur & addantur drach. tres olei odoriferi de spica, & cùm frigidum fuerit, adde grana 14. musci electi, quæ in vase vitreo collocata ponantur in fimo in putrefactionem per dies circiter quadraginta, dein benedicantur benedictione propria infrà in appendice videnda, sicque ex dicto oleo quotidie Sacerdos ungat pulsus capitis, manuum, ac pedum, nec non oculos, aures, nares, ac partes cruciatas maleficiati, si honestè fieri poterit.

Forma fumigationis.

N. 124. Recip. Storacis calam. drac. 1. cum dimidia.
Belgivaini drac. 1.
Nucis muſc. } ana. drac. 1. cum
Cariophilorum. } dimid.
Lignialoes ſerup. 1.
Ambræ Griſæ gran. 1.
Laudani ping. drac. 2.
Muſci electi. gran. 2.

Pulverizentur pulverizanda, & cum modico draganti infuſi, & moliti in aquæ roſarum, fiat maſſa, & formetur ad formam trociſi, & benedicantur, atque ſæpius maleficiatus ipſe, veſtimenta, aliáque ad ipſum pertinentia fumigentur.

N. 125. Plurima his ſimilia videantur apud Candidum Brognolum in Alexicac. Diſp. 2. curatione naturali à N. 332. Verùm antequam ulteriùs progrediar, ſeriò moneo, rogóque Exorciſtas, ne ſuæ ſcientiæ, vel etiam experientiæ nimiùm fidant, paſſim in authoribus inventas medicinas uſurpando, & maleficiatis porrigendo; hoc quippe Medicorum eſt dignoſcentium herbarum qualitates, non Exorciſtarum: & quod fortè uni proficit, alteri plurimùm nocet; quare fateor, me nunquam auſum ullam medicinam porrigere maleficiatis, ſed ſimplicibus benedictionibus fuiſſe contentum; quòdſi enim præter opinionem mors miſeri maleficiati ſequatur, prout non ſemel ſe-

cutam

cutam testatur Alexander Albertinus in suo malleo dæmonum, Exorcista in foveam cadit lethalis culpæ: licèt enim mortem minimè intendat, voluntariè nihilominùs se exponit periculo, ita ut mors ipsi saltem indirectè sit libera & voluntaria. Simili ratione non licet Exorcistis passim adhibere balnea, diversa unguenta, & olea ad simplicem etiam unctionem ex diversis herbis præparata, neque massas ex diversis herbis, oleis, lapidibus &c. confectas: cum enim balnea in certis duntaxat infirmitatibus sint proficua, in aliis plurimùm nociva, sine prudentis Medici consilio Exorcistis prohibita videntur, nisi clarè constaret, infirmum nulla alia laborare infirmitate, præterquam ex maleficio proveniente. Unguenta pariter, olea, & massæ diversæ, eo ipso, quòd ex diversis herbis & lapidibus, quarum virtus naturalis Exorcistis est incognita, sæpissimè sunt nociva. Vide dicta superius Parte 1. cap. 4. q. 7. à n. 125.

AC-

CAPUT QUINTUM.

De Spectris.

Quæstio prima.

An dentur, & quid sint spectra?

N. 126. ADvertendum. Spectrorum nomine non aliud impræsentiarum intelligitur, quàm simulacra quædam extraordinaria, variis locis, formis, modis, & temporibus vigilantium, sanæque mentis hominum potentiis sese offerentia; atque à Latinis dicuntur spiritus, lemures, umbræ, lares, penates &c. à Germanis verò Gespenster, Geister, Gesichter &c. Dixi notanter: *Vigilantium, sanæque mentis hominum*: non enim de phantasmatibus furiosorum, phreneticorum, febricitantium, melancholicorum, vesano amore æstuantium, & meticulosorum agendum putamus. Dixi *2dò* simpliciter: *potentiis sese offerentia*, non enim soli conspectui, sed omnibus quinque potentiis exterioribus spectra objici in comperto est, H. N.

N. 127. Dico 1. Dari spectra, eáque tum hominibus, tum pecoribus esse plurimùm persæpè molesta, & authoritas suadet, & experientia frequentissima comprobat.

Utra-

Utraque pars fusissimè probatur ab Authoribus passim, nec vocat in re adeò clara, & omnibus nota, detineri. Videantur P. Delrio disq. mag. lib. 2. quæst. 27. Casparus Schottus in Physica curiosa lib. 2. capite 2. Brognolus in Alexicacon. Petrus Tyræus fusissimè hanc pertractantes materiam.

Dico 2. Spectra se hominum potentiis præsentantia sunt diversorum generum; alia siquidem sunt purè phantastica, alia artificialia, alia naturalia, alia dæmoniaca, alia magica, seu hominum maleficorum, alia animarum damnatarum, alia animarum purgantium. Ita communis & certa, & patet inductione. N. 128.

Primò siquidem aliqua videntur esse spectra, quæ talia non sunt, sed purè ex corruptione phantasmatum talia esse videntur, qualia sæpè patiuntur phrenetici, furiosi, aliique mox relati, de quibus nullus nobis erit sermo.

Secundo, spectra *artificialia* sunt, quæ per artem conficiuntur ad instar verorum spectrorum: possunt enim per artem confici homines, & dracones ignei, aliæque diversi generis bestiæ, quæ hominibus ceu veriſſima sæpè videntur spectra: verùm neque hæc ad propositum conducunt.

Tertiò spectra *naturalia* ea dicuntur, quæ licèt sint effectus naturæ, naturalium tamen causarum ignaris spectra videntur, dæmonúmque ludibria: & talia sunt plurima,

rima, quorum præcipuum locum obtinet ignis ille, quem Meteorologici fatuum appellant: Fit autem, dum exhalationes pingues & viscosæ ab aëre frigido & nimis condensato, & ab aliis succedentibus vehementiùs agitatæ, calefiunt,& tandem omninò inflammantur. Mira certè vis similium ignium: apparent enim inter equorum iter agentium aures, jam totos circumdant, ac quodammodo quasi inflammant; Jam homini itet facienti, atque vinô, irâ, aliâque causâ efferveſcenti, assident: jam in cæmeteriis juxta sepulchra, bustuaria, patibula videntur:jam etiam homines in campis aberrantes seducunt, ut in loca paludosa, aut stagna sese præcipitent. Certum nihilominus videtur, dæmones sæpè se similibus conjungere fatuis ignibus, ut sic homines decipiant, aquis suffocent, vel alio modo miserè perimant.

Plura alia similia spectra naturalia passim enarrantur & explicantur ab Authoribus: verùm quia nec hæc ad propositum noſtrum quidquam faciunt, ea studiosè præterimus.

N. 129. Nihilominus prætermittendum non videtur, sæpè dari spectra purè humana, miros tumultus & strepitus causantia: voces & suspiria emittentia, sæpè sub diversis formis apparentia, quæin rei veritate aliud non sunt, quàm homines pessimi & malitiosi, hoc utentes remedio, ut suam libi-

libidinem, aliámve valeant explere malitiam: sed hæc melliùs non arcentur, quàm fuste vel baculô paratô, & sensibiliter applicatô, prout frequens testatur experientia.

Quartò, spectra *dæmoniaca*, eáque frequentissima sunt ipsi dæmones sub formis diversissimis apparentes: licèt enim certum sit, eosdem è cœlo pulsos in infernum fuisse præcipitatos: nihilominus certum pariter est, non omnes esse mundi centro ita addictos, quin universas mundi partes peragragre possint, ut communis est sensus omnium. N. 130.

Quare, cùm nullus sit locus, qui eorum malitiâ non sit infectus, etiam secundùm doctrinam Trithemii lib. quæstionum ad Maximilianum Cæsarem q. 5. à diversis locis diversa sortiuntur nomina: sic enim alii dicuntur *ignei* vel *ætherei*, quia circa superiorem aëris regionem versantur. Alii dicuntur *aërei*, eò quòd in aëre nobis propinquo commorantur, atque Deo sic permittente suam exercent virtutem, tonitrua, fulgura, & tempestates excitando in perniciem hominum. Alii dicuntur *aquatici*, seu in mari, & fluminibus commorantes, atque tempestates excitantes, navigia in profundum demergentes. Alii dicuntur *terrestres*, qui varias terræ partes occupant: nam alii in sylvis versantur, in nemoribus, & quandoque in veste candida

& in forma puellarum, aut Matronarum se ostendant, nunc venatoribus insidiantur, imò & ipsimet clamores ad instar venatorum excitant: nunc pastoribus gregum se repræsentant, sua servitia eis deferunt, ut ita simpliciores decipiant. Alii in campis latitant, alii in desertis, & locis solitudinariis: alii in montibus, speluncis, & cavernis. Alii dicuntur *domestici*, seu *familiares*, qui in occultis locis habitant, & ab antiquis *lares* vel *parentes* dicti sunt: hi crebriùs in forma virunculorum apparent, & fæmellarum, specie pigmæi, & cuncta ferè domestica ministeria obire, equos curare, domum verrere, ligna ferre, aquam comportare, & similia obire munera consueverunt. Hi quandoque tantum audiuntur, quandoque etiam videntur, & hominibus quasi amore flagrantes sese associant, imò & incubi & succubi fiunt. Alii denique dicuntur subterranei, qui sub terra in cavitatibus, & metallorum fodinis commorantur, thesauros custodiunt, quos & avaritia hominum in terra abscondit: ne rursus in usum hominum proveniant, eos subducunt, furantur, & ad alia loca deducunt. Apparent sæpè sub forma nigri & horridi canis aut mulieris semianguinei capitis; hi ordinariè sunt furiosi, perturbati, & pessimi, etiam mortem hominibus inferentes, quamvis etiam nonnunquam hominum societate gaudere videantur, ride-

rideant, & hominibus per modum Nani apparent.

Quintò spectra *magica* sunt ipsimet homines magi, & sagæ sub diversis formis apparentes, hominésque molestantes: licèt enim dæmon nequeat homines transmutare in bestias, aliámve formam ipsis dare intrinsecam, extrinsecè nihilominùs ita eos transmutare potest, ut sub diversis appareant formis. *Primò* siquidem illis ipsis, quos sub bestiarum forma apparere vult, ferarum exuvias aptissimè circumdat. *Secundò* ex aëre & terra speciem & effigiem belluæ aut alterius formæ efformat, & membra phantastica membris humanis ita circumponit, ut quoad externam speciem veræ bestiæ tam sibi, quàm aliis videantur. Et hoc, sicut & priori modo apparentes, relinquunt bestiarum vestigia terræ impressa, dúmque ferina illa membra sauciantur, etiam membra eorum sauciata, & amputata reperiuntur, nisi dæmon ictum impediat. *Tertio* potest dæmon illum, quem in bestia vult transformare, subtrahere aliorum oculis, & alicubi in loco abdito soporare, ipse verò assumpto bestiæ corpore ex apta materia, quam optimè novit, formato, & sibi circumdato, illa coram hominibus agere, quæ bestiæ patrant: potest insuper phantasmata hominis soporati ita immutare, & dirigere, ut ipse omnia per seipsum effeciisse putet. N. 131

Quare, si corpus illud phantasticum saucietur, sæpè etiam per dæmonem corpus sagæ sauciatur, ùt plurimæ passim referunt historiæ. *Quartò* demum possunt sagæ & magi etiam in propria apparere specie, & dæmon hominis eosdem videntis ita illudere potentiis, quasi aliæ apparerent formæ.

Ex his modus secundus videtur cæteris frequentior, licèt tertius non sit infrequens, imò ordinarius tunc, cùm apparent sub specie catorum, picarum, aliarúmque formarum corpore humano solito minorum.

N. 132. *Sextò* spectra *animarum damnatarum* sunt animæ damnatæ quandoque ex permissione divina apparentes. Exhibentur autem quandoque in corpore proprio ex sepulchro reassumpto, & ope dæmoniaco moto: aliquando in corpore ex aëre & terra compacto, formâ horridâ, oculis scintillantibûs, ore hiante, linguâ tumidâ, & corpore ex omnibus junctûris flammas emittente. Verumtamen, ùt benè docet Delrio disq. mag. lib. 2. q. 26. sect. 3. Brognolus in Alexicacon. Disputat. 2. num. 361. vix unquam damnatorum animæ ex inferni barathro sinuntur egredi, sed, licèt se animas hominum damnatorum dicant, sæpissimè dæmones sunt, se mendacissimè animas damnatas asseverantes, *tum*, ut homines illam in hæresin inducant, quæ asserit,

asserit, omnes sceleratorum hominum animas post mortem in dæmones, vel in alia animalia secundùm propria demerita converti. *Tum*, ut homines benè etiam, & in gratia DEI defunctos infament, dicentes, eos esse damnatos.

Cùm autem dæmones in specie visibili apparent, plerumque in corporibus hominum vel animalium mortuorum, necdum corruptis apparent, licèt etiam propria virtute ex aëre (qui tamen mixtus sit aliquo alio elementari corpore denso, terræ, vel aquæ, ùt docent communiter Scotistæ post Scotum 2. report. dist. 8.) formatis apparere possint. N. 133.

Utrùm verò animæ separatæ ex aëre alicui alteri elemento commixto corpora formare queant, plurimùm controvertunt Theologi: Scotus in 4. dist. 10. quæst. 7. & distinct. 49. quæst. 14. validissimis rationibus cum Henno, Aureolo, Capreolo, Faventino, & aliis affirmativam defendit. Suarez econtra in 3. p. quæst. 45. disp. 32. sect. 2. Dominicus Sotus, Peltanus, aliique negativam præferunt. Tu probabiliorem crede, quæcunque lubet, & in praxi, quam unicè intendo, non aberrabis.

Septimò tandem ceu spectra sæpè comparent *animæ purgantium*, & in piacularibus flammis detentorum, prout plurimæ fide dignissimæ testantur historiæ. N. 134.

Quæstio secunda.

Quænam spectra frequentiùs, quibus potissimùm hominibus, & quibus in locis appareant.

N. 135. Dico 1. Omnium frequentissima sunt spectra dæmoniaca, & magica, seu hominum maleficorum, rarissima spectra hominum damnatorum: rariores apparitiones animarum purgantium. Ita P. Delrio & Brognolus loc. cit. Ratio *primi* est, quia dæmones sunt ministri malitiæ, ceu lictores & carnifices ad punienda hominum peccata, vel etiam ad augenda eorum merita, si fortes in fide resistant, deputati; sunt etiam infensissimi generis humani hostes omni momento nocere parati: ergò non dubitandum, quin divina voluntate sæpiùs licentientur ad comparendum hominibus. *Secundi* ratio videtur esse potiùs negativa quàm positiva, scilicèt quòd sponte sua inferno excedere nequeant, neque ulla satis efficax apparet ratio, cur DEus frequentem permittat egressum: non enim sunt ministri justitiæ, sicut dæmones, sed rei æterno inferorum carceri mancipati. Inter damnatorum autem spiritus illi potissimùm DEI permissione videntur, qui graves exercuerunt tyrannides in subditos, vel

vel inno enter ab aliis in peccatis sunt occisi, vel seipsos violenter interemerunt, aliáque gravissima perpetrarunt crimina, prout ex variis patet historiis. Ratio *tertii* denuò *tum* experientia comprobatur, qua constat, quòd viris etiam sanctis rarò admodum comparuerint. *Tum*, quia ordinariè etiam non apparentes per Sacrificia Missæ, aliáque opera meritoria juvari possunt. Neque omnes illi spiritus piaculari-bus flammis mancipati sunt, qui bona consulunt, suffragia aut restitutionem fieri petunt, ùt benè docet Bedraza in summa in primum præceptum §. 10. Thyræus de spirituum apparitionibus cap. 16. n. 9. Victoria, Brognolus & alii; hæc enim omnia dæmones Deo permittente *tum* per se, *tum* etiam per homines maleficos facere possunt, & sæpe faciunt. Minus illi spiritus ex hoc solo motivo boni, & piaculares credendi sunt, quòd alicubi thesaurum latentem indicent, dicentes, se tamdiu pœnis non posse liberari, donec thesaurus latens fuerit erutus, vel, donec restitutio fiat ab hæredibus: sic enim docet communis Theologorum apud Dicastillo D. 1. de restitutione num. 38. contra popularem errorem. Nam defunctus, antequam obiret, vel fecit, quantum potuit, aut certè, quantum sub gravi culpa debuit ad præceptum restitutionis implendum, vel thesaurum denuò eruendum, vel non

fecit? si posterius, eò ipso est in loco, unde non datur egressus. Si prius: tunc certum satisfactionis tempus à districto Judice est præfinitum, quo completo, æquum non est, eundem ulteriùs detineri.

N. 136. Dico 2. Animæ purgandæ apparent potius fidelibus, quàm infidelibus, piis potius, quàm impiis, consanguineis, quàm extraneis, quoniam ab iis subsidium sperant, non ab aliis. Damnatæ animæ iis apparent frequentius, qui pœnarum infernalium ipsis authores fuerunt. Denique dæmones sæpiùs apparent hominibus flagitiosissimis, vel etiam sanctissimis: illis, ut ceu ministri justitiæ persequantur, his, ut perversa sua voluntate eosdem à tramite sanctitatis avertant; prout passim testantur historiæ apud Authores sæpè laudatos videndæ. Unum nihilominus semper mihi credi tu hucusque difficile fuit, quòd his nostris temporibus quibusdam, præsertim fœminis, secundùm propriam earum asseverationem tam crebræ fiant animarum purgantium apparitiones, cùm raræ admodum legantur factæ Patribus reverà sanctissimis, omnibus virtutibus ornatis; raræ etiam Matronis omni sanctitate præfulgidis, cùm similes fœminæ vix aliâ sanctitatis notâ, quàm animarum liberatione, splendeant.

N. 137. Dico 3. Quod locum spectrorum attinet, solent hæc hominibus apparere in diversis locis; nihilominus inter loca spectris malis

malis infestata præcipuè videntur esse. 1. incultæ & desertæ solitudines, prout innuere videtur Isaias cap. 34. v. 14. ubi spiritu prophetico post devastationem Idumææ, prædicit: *Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem.* Et S. Joan. Apoc. cap. 18. v. 2. de Babylone excidenda, & in solitudinem redigenda loquens, ait: *Et facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.* Sic etiam S. Raphaël. *Apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.* 2. Frequenter spectra mala in locis humidis, & paludosis esse solent, & probabiliter sæpè ignibus fatuis sese immiscent, ut viatores seducant. 3. Frequenter in sylvis & nemoribus commorantur, ubi jam quasi venationes instituunt, jam alias hominibus transeuntibus molestias inferunt. 4. Persæpè etiam arces & castella diruta & antiquata incolunt, ita, ut prorsus fiant hominibus inhabitabilia. 5. Non rarò pariter commorantur in locis, ubi versantur crudeles homicidæ, imò etiam in templis, aliisque locis sanctis, & domibus privatis, prout plurimæ testantur historiæ. Econtra animæ purgandæ ut plurimùm sunt in locis, quæ priùs inhabitârunt, vel ubi priùs deliquerunt: sic enim sæpè videntur, ubi commissa sunt prælia: quamvis etiam ex voluntate divina alibi possint suas exsolve-

re pœnas. De animabus damnatis idem ac de purgantibus dicendum videtur.

Quæstio tertia.

Quænam sint signa dignoscendi spectra diabolica ab Angelis bonis?

N. 138. TRansformat se frequenter Angelus malus in Angelum lucis, imò Sanctorum, ac ipsiusmet etiam Christi Domini formam induit: instituit colloquia ad formam sanctissima, consulit optima, Sanctos mirum in modum deprædicat, Christi merita exaltat, etiam in locis sacris inter filios DEI adstat, bonis & sanctis viris se manifestat, insolitas suadat austeritates, & macerationes corporis, miracula falsa quasi vera patrat, ut vel sic sub schemate boni latens instillet venenum: sed non omne, quod splendet, aurum est, non omne, quod bonum videtur, bonum est. Quare, ut prudens Exorcista in cognitionem malorum spirituum fraudis & deceptionis devenire, eósque sua statione pellere possit.

N. 139. Dico. Signa dignoscendi Angelos bonos ab Angelis apostatis, potissimùm sunt sequentia:

1. Si spiritus apparentes SS. Trinitati, SS. Nominibus JESU & MARIÆ reverentiam exhibeant, certum est, esse spiritus

tus bonos: quare, si is, cui apparent, dubitet, boni sint, an mali, præcipere juvat, ut in signum certitudinis capessendæ dicant: *Laudetur SS. Trinitas, laudetur SS. Nomen JEsu & Mariæ &c.* Quòd si enim spiritus absolutè renuant, aut tergiversentur, certò mali sunt.

2. Si spiritus apparens, & in SS. Nomine JEsu de veritate edicenda adjuratus, quis sit, & qualis sit, subitò dispareat, licèt denuò in forma priori vel alia appareat, malus est: quare dubitans, sicut quilibet ordinariè dubitare debet, de bonitate vel malitia spiritus apparentis, fortis in fide spiritum apparentem adjuret dicens: *In Nomine Domini nostri JESU Christi te conjuro, ut dicas, an bonus vel malus sis spiritus,* vel, *ut SS. Nomen JESU glorifices.* Si quippe sit spiritus malus, disparebit subitò; si econtrà sit spiritus bonus à DEO missus, cum jubilo SS. Nomen glorificabit.

3. Si signum S. Crucis, Reliquias Sanctorum, ceream effigiem Agni DEI, aquam lustralem, aliáque ab Ecclesia benedicta horreat, vel separari jubeat, malus est spiritus.

4. Si appareat formâ non humanâ, sed canis, hirci, serpentis, suis, draconis, bufonis, vel similium animalium, aut in specie æthiopis, malus est genius. Econtra, si formâ appareat humanâ, dubium est, & priora tria signa, vel unum eorum ad certam

tam capessendam experientiam usurpandum.

5. Si in forma columbæ, vel agni appareat, bonus est spiritus: non enim legitur, teste Delrio, diabolos has aliquando formas assumpsisse.

6. Si in specie hominis desperati, superbi, libidinosi, vindictam appetentis, vel aliàs perturbati animi ostentationem præseferentis appareat, malus est spiritus.

7. Si suæ apparitionis causam, prætexat vanam, curiosam, parùm necessariam, aut quam nescire expediret, spiritus damnatus est.

8. Si sua oratione mentem hominis excitet ad superbiam, vanam gloriam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minus ordinatum affectum, malus est spiritus.

9. Si causam prohibeat tractari cum Superioribus, vel cum Confessario, malus est spiritus: nam boni spiritus non invertunt ordinem à Scriptura sacra, & SS. Patribus traditum, cùm facilè possint movere superiores.

10. Si aliqua dicat, quæ sunt contra fidem, contræ præcepta DEI vel decalogi v. g. ut homo se ipsum crucifigat, inedia interficiat &c. denuò malus est spiritus; bonus enim præcepta firmare, malus econtra infringere statuit.

11. Si

11. Si in corpore humano cæteroquin benè formato appareat, pedem nihilominus capreæ, equi, vel alterius animalis habente, malus est genius: multis enim historiis comprobatum est, DEum non permittere dæmonibus, ut in corpore humano secundùm omnia benè formato appareant.

12. Si magnos excitet tumultus, insolitos edat ejulatus, quasi compedibus constrictus appareat, Angelus bonus non est, sed vel dæmon, vel damnatus, vel purgandus.

13. Si opprobria & contumelias sibi ex sancto zelo illatas impatienter, & indignabundè sustineat, probabiliùs denuò malus est spiritus. Sic, velut legitur in vita B. nostri Ruffini, cui dæmon in forma Christi Crucifixi sæpiùs apparere consuevit, S. Franciscus eundem liberare volens, hanc tradidit regulam: *Ut verè scias, quòd ille, qui tibi apparet in forma Crucifixi, non est Christus, sed diabolus: cùm iterum tibi apparuerit, dicendo: Ego sum Christus; respondeas illi: Aperi os tuum, & implebo illud stercore.* Quod cum feciſſet Frater Ruffinus, indignatus dæmon, cum maximo tumultu inde receſſit, disrumpendo lapides, & rupes montis subasii.

14. Si voce utatur stridula, subsibilante, confusa, obscura, & quasi ex dolio, vel per testam rimosam, malus est spiritus, ùt docet

cet Remigius lib. 1 dæmonal. cap. 8. Ratio est, quia instrumenta in tali corpore non sunt satis apta ad perfectam vocem edendam.

15. Secundùm mentem D. Antonii Abbatis, *Non est difficilis bonorum, malorúmque spirituum discretio: si enim post timorem successerit gaudium, à Domino sciamus venisse auxilium: si autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur.* Hæc ille. Quin imò, si extrema gaudii luctus occupet, malus est spiritus: econtra, si aliqualem timorem perfecta in Domino sequatur lætitia, bonus est.

Hæc sunt signa non obscura dignoscendi visiones malorum spirituum à bonis. Licèt autem uno die spiritus bonus appareat, & altero eadem formâ tectus apparens idem videatur, non contineò judicandum, eundem esse spiritum bonum: diabolus enim æmulus Angelorum bonorum altero die eandem potest assumere formam, ut totum destruat, quod Angelus bonus implantaverat.

Quæstio quarta.

Quænam sint signa discernendi spectra diabolica ab animabus purgandis?

N. 140. DIco, pleráque signa dignoscendi spectra diabolica ab angelicis spiritibus in cœlo cum DEO regnantibus,

tibus, pariformiter signa sunt dignoscendi eadem ab animabus purgantibus: quibus sequentia videntur superaddenda.

1. Licèt forma humana sit omnibus spectris communis, nihilominus forma humana perfecta, & nil habens peregrinum, & ab humana alienum, probabilius solis humanis spectris propria est, ut docet Thyræus, Schotus, & alii. Quare sagæ apud Remigium lib. 1. dæmonal. cap. 7. fatentur, facies suorum martinellorum (sic suos diabolos vocant) *esse sub obscuras, & atras; lumina penitus abdita, & instar flammæ micantia; oris rictus sparsos, profundos, ac perpetuò olidi, sulphureique aliquid æstuantes; manus strigosas, & villis atque hamis deformes; pedes corneos ac bifidos; staturam nunquam justam, sed aut brevitate, aut vastitate semper aliqua insolentem &c.*

2. Voces solis brutis, aliisque monstris propriæ, item soni, qui cum ingenti tumultu fiunt, probabiliter sunt solorum spectrorum diabolicorum: nam animæ purgantes non apparent, ut terreant, sed præcipuè, ut se prodant, suæque miseriæ levamen accipiant.

3. Suspiria, gemitus, fletus, vox tristis & lachrymalis sine impatientiæ signo, probabile est indicium spectrorum humanorum: licèt enim hoc etiam dæmones possint, id nihilominùs propriè purgantibus animabus convenit.

4. Si

4. Si amore JEsu, vel amore DEI auxilium spirituale petant, animæ sunt purgantes.

5. Sermo apertè malus, blasphemus, item detractiones, convitia, mendacia, turpiloquia, aliáque id generis plura, distinguunt spectra diabolica ab animabus purgantibus, non tamen à damnatis, nec à spectris magicis.

6. Revelatio occultorum plerumque spectra diabolica indicat, & ab animabus purgantibus distinguit: dæmones enim naturali scientia plura cognoscunt occulta, quæ animæ defunctorum scire nequeunt, nisi Deo ipsis revelante, de quo tamen certò non constat.

7. Molestiæ excitantes ad peccatum, vel conjunctæ cum simili gesticulatione; item solùm vexandi causâ factæ, signa sunt malorum spectrorum; non enim boni spiritus ad peccatum excitant, vel similia faciunt, sed humiliter se produnt. Quare spectra illa certas domus infestantia, & miros tumultus strepitúsque excitantia, atquè homines ita vexantia, ut inhabitare nequeant, malorum spectrorum indicia sunt.

8. Si adjutorium cum certa determinatione exigant, atque eo præstito importuniora fiunt, spectra diabolica sunt; nam animæ, cùm satisfeceris, vel non redeunt, vel semel duntaxat ad agendas gratias.

Sic

Sic Nicolaæ Alberiæ, teste Bodino, satan ad fossam patris apparuit, tanquam è sepulchro prodiens, qui Missas plurimas celebrari, certásque peregrinationes suscipi jussit; nec tamen propterea miseram exagitare destitit: Et quamvis se priùs avum illius respondisset, tandem Beelzebub esse confessus est.

9. Si suæ apparitionis causam falsam prætexunt, v. g. dicunt, se comparere vi conjurationis magicæ, vel, ut revelent curiosa, parùm necessaria, dæmones sunt.

10. Spectra, quæ etiam interdiu apparent, & sacris temporibus sentiuntur, probabiliter bona sunt: nam mala & lucem oderunt, & sacra omnia refugiunt.

Hæc potiora sunt signa dignoscendi spectra diabolica ab animabus purgantibus, sed nulla securiora, nulla certiora, quàm prima tria quæstione 3. præcedenti relata.

Quæstio quinta.

Quænam sint signa distinguendi spectra diabolica à magicis, & animabus damnatis?

Dico 1. Difficilem esse discretionem spectrorum diabolicorum à spectris magicis; cùm etiam homines malefici sub diversis soleant apparere formis. Nihilominus fors sequentia deservient. N. 141.

1. Corpora à dæmonibus assumpta frigida sunt, econtra magorum calida: unde etiam, si qui cum diabolo coitum habeant, frigidus, injucundus, & molestissimus est, ùt sagæ uno ore fatentur apud Brognolum in Alexicacon. Disp. 3. n. 558. sentiunt enim corpora dæmoniaca ita gelida, ut nulla glacies eorum frigori valeat comparari; manus marmoreas, duras & rigentes, semen & excrementum destitutum calore. &c. Refert enim Cajetanus in 2. 2. q. 95. art. 3. dæmonem cuidam sagæ de hoc frigore & horrore corporis quærenti, respondisse, se non posse facere melius. Cujus ratio fortè unica est, quia DEus non permittit, ut corpori cadaverico, aut elementari de se frigido calorem communicet.

2. Sæpè etiam ex voce discernuntur; nam vox dæmonum stridula est, confusa & obscura, & quasi per testam rimosam procedens: econtra vox magorum ordinariè magis articulata & clara, si fortè loquantur, quod tamen rarissimum est, ne ex voce deprehendantur.

3. Christus ipse Luc. 24. v. 39. dat signum distinctivum, cùm Apostoli eo viso putarent, se spiritum videre; ad falsam eorum opinionem rejiciendam, dixit: *Videte manus meas, & pedes, quia ego sum; palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Verumtamen licèt

licèt hoc signum certum sit, & infallibile, non tamen est universale, cùm spiritus etiam corpora hominum mortuorum assumere queant. Apostolis nihilominus certum & infallibile discernendi signum fuit: non quidem ex se, & absolutè, sed suppositis verbis primæ Veritatis, ùt interpretatur D. Thomas apud Tirinum in locum præfatum.

4. Dæmones horrent SS. Nomen JEsu & Mariæ, aliaque Sacramentalia; quæ tamen non horrent malefici: quinimò exprimere, atque fucatè & ironicè invocare possunt, ita, ut omnibus animæ purgandæ videantur: quare cautissimè procedendum.

5. Signum cæteris certius & efficacius est adjuratio in SS. Nomine JEsu facta: si enim diabolus revera præsens fuerit, infallibiliter responsum dare coactus erit, prout infrà cap. seq. dicetur.

Cæterùm parum utilitatis afferre videtur discretio spectrorum diabolicorum à spectris magicis: non enim dubium, diabolum semper esse præsentem, quotiescunque ope ejusdem malefici in domibus, aliisque locis apparent: si ergò dæmonem viceris, facili negotio etiam maleficos vinces.

Dico 2. Signum discernendi spectrum diabolicum ab anima damnata, unicum sufficiens esse videtur, videlicet adjuratio N. 142.

in SS. Nomine JESU facta, & capite sequenti uberiùs declaranda: nam, quòd aliqui formas brutorum aut bestiarum solis dæmonibus esse proprias contendant, pluribus repugnat historiis. Ut reliquas silentio involvam, unam ex Chronicis nostris p. 3. cap. 38. adduco: Orabat quodam die Frater Minor Provinciæ Siciliæ alumnus in Ecclesia ferventiùs, viditque fœminam quandam cæteroquin nudam, aureis tamen crepidis indutam, & à duobus lupis comitatam, approximare Ecclesiæ: Cùm autem ad fores Ecclesiæ advenisset, illâ in Ecclesiam ingressâ, substiterunt lupi, & reditum ejus præstolati sunt. Postquam coram summo Altari suam persolvisset orationem, denuò ad lupos rediit. Frater totus attonitus, miratur factum, atque adjurans fœminam locò DEI præcipit, ut edicat, quænam sit mulier, cur ita incedat, & quorsum tendat? paret præcepto mulier, ac respondet: Pater, mulierem me fuisse scias, toto vitæ meæ curriculo vanitatibus, novisque adinvenendis vestium luxibus studiosissimam: cùm verò ad extremum vitæ meæ perveniſſem, totum vera cordis contritione deposui, atque remissionem culpæ obtinui, condemnata ob remanentem adhuc pœnæ reatum ad purgatorium, ut ita nuda coram omni populo compaream: lupi verò, quos præsentes intueris, duo fuerunt Parochi,

rochi, mei olim Confessarii: & quia suo officio minimè functi, in lupos infernales conversi sunt; te rogo & obsecro, ut mei miserearis, Deóque in orationibus tuis pro me misera & afflicta supplex fias. Plura similia sæpiùs ab Authoribus referuntur, quæ brevitatis gratiâ prætermitto.

CAPUT SEXTUM.

De modis spectra pellendi.

Quæstio prima.

Quomodo spectra diabolica ex domibus, aliísque locis potestate exorcistica sint pellenda, & ejicienda?

ADvertendum, certum esse experientiâ ipsâ lugubribus sæpè casibus confirmante, dæmones non homines duntaxat, sed & domos, arces, aliáque loca infestare, ac quasi possidere, ita ut multoties inhabitabilia fiant: jam enim in umbrarum forma se hominibus ostendunt, jam sibilant, loquuntur, rident, aliósque rumores & tumultus excitant: jam vasa verè, jam ad apparentiam duntaxat, confringunt, habitantes perturbant, somnum impediunt: jam lapides jaciunt, verbera infligunt, jam mortem ipsam inferunt, jam miras alias insolentias perficiunt, N. 143.

ciunt. Quare, ut illos faciliter pellendi & ejiciendi modum tradam,

N. 144. Dico 1. Si Exorcista potestate sibi divinitùs tradita ex domibus, aliisque locis infestatis dæmones expellere velit, sequentia pro praxi ante expulsionem observanda sunt.

1. Antequam ullum adhibeat præceptum expulsivum, diligentem faciat à Dominis & habitatoribus domûs infestatæ inquisitionem de principio & tempore infestationis: item de loco principali, an videlicet in aliqno cubiculo duntaxat, vel an in omnibus & singulis: an nullam possint sibi causam infestationis imaginari: item, an solum dominum, certum famulum, aut ancillam infestet: an major uni, quàm alteri habitatori inferatur molestia; quantos producat effectus: an etiam à vicinis audiatur & videatur: an in spiritualibus etiam exercitiis & orationibus molestentur: denique an, & quæ fuerint adhibita remedia. Ratio harum & plurium similium interrogationum est, quia iis mediantibus in discretionem spirituum deveniri potest.

2. Convocati, & in unum congregati domestici breviter in fide & fiducia instruantur, præsertim in pertinentibus ad Deum, ad Exorcistam, & adversùs diabolum, prout in parte 1. nostri Armamentarii cap. 6. à q. 2. fuit traditum.

3. Ni-

3. Nisi fortè ex signis certis vel probabilibus Exorcista desumpserit, animam esse in piacularibus flammis detentam, & suffragia postulantem, moneat habitatores, vix unquam comparere animam damnatam, sed ordinariè esse dæmones, aut maleficos, prout cap. præced. dictum, & communiter tenent Authores.

4. Moneat habitatores, ut se in omnibus Exorcistæ conforment, præsertim in vera fide & fiducia, omnem abjicientes metum diabolicum: diabolus enim in Dei servos nullam exercere tyrannidem potest secundùm dicta in parte 1. cap. 1. 2. q. 4.

5. Pariter moneat & instruat eosdem de diaboli fraudibus, qui plerumque solet suggerere, se esse ad thesaurum sub terra defossum, custodiendum deputatum; se esse animam alicujus damnati, vel purgantis; se certò non recessurum, quia plenario jure domum possidet: item, gravem ibi esse mortuum peccatorem, cui locus ille à Deo sit destinatus ad pœnam. Hæc & similia plura versipellis hostis suggerit, ut fidem & fiduciam diminuat, atque ita expulsionem impediat, Licèt autem illa quandoque eveniant, ordinariè tamen mera figmenta sunt.

Dico. 2. Quòd si Exorcista ex præcedentibus signa saltem probabilia infestationis diabolicæ comperta habeat, atque dominum, omnésque domûs habitatores N. 145.

fortes in fide, & intrepidos reperiat, ipse in actuali expulsione sequentem observet ordinem.

1. Superpelliceô & stolâ, si haberi possint, indutus, accepta Cruce, candelis benedictis accensis, & aquâ benedictâ, cum omnibus, vel saltem plerisque habitatoribus ad portam domûs processionaliter accedat, ibique Litanias Sanctorum omnium inchoet, modò in aliis Processionibus consuetô.

2. Processionaliter prosequendo Litanias inchoatas revertatur ad locum principaliter infestatum, ibique coram Crucifixi imagine, aut aliâ sacrâ priùs præparatâ, easdem finiat, & si lubet, etiam Psalmum *In te Domine speravi* &c. vel: *Qui habitat in adjutorio altissimi* &c. subjungat.

3. Omnes habitatores domûs iteratô ad actus fidei & fiduciæ eliciendos adhortetur, ipséque ceu Judex à DEO deputatus sedeat, atque capite cooperto, voce gravi & sonora præceptum probativum contra dæmonem pronuntiet, hac, vel simili forma.

N. 146. EGo N. contra vos dæmones Judex à DEO deputatus, omni illa potestate, quam accepi in ordine Exorcistatus, vobis in virtute SS. Trinitatis, & in

& in nomine Domini nostri JESU Christi præcipio, ut si aliquam habeatis potestatem hanc domum (vel locum) infestandi, vel ejus incolas molestandi, illicò, sine ulla tamen cujuscunque læsione, detis mihi signum evidens præsentiæ vestræ, aliquem causando tumultum, vel rumorem, quem priùs me absente causare consueveratis.

Quòd si nullus audiatur tumultus, nec ullum aliud præsentiæ diabolicæ signum percipiatur, Exorcista habitatores bono animo esse jubeat, & ab omni timore diabolico alienos, eò, quòd facultas domum infestandi, & eos molestandi, diabolo sit à DEO sublata: nam dæmon domum infestans, jam accedit, jam recedit, neque omni tempore præsens est: quare si ei absenti porta regressûs spiritualibus seris obseratur, & claudatur, nullus ampliùs ingressus patebit. Unde ulteriùs Exorcista contra dæmonem superaddat.

CUm ergò sim Minister Christi & Ecclesiæ, Judex contra omnes dæmones à DEO deputatus, vobis omnibus

nibus & singulis dæmonibus in Nomine Domini nostri JEsu Christi interdico, ne imposterum quocunque tempore audeatis appropinquare huic locò, vel habitatoribus ejus, nec ullum incolam quocunque modo molestare. In Nomine † Patris, & † Filii, & Spiritus † Sancti. Amen.

Postea verò remedia præservativa præscribat, & applicet, quæ q. seq. sunt præscripta.

Quòd si verò dæmon Exorcistæ pareat, causando strepitum, sicut reverà, si præsens sit, parere necesse habet, mox præceptum lenitivum subjungat, dicens:

Ut Minister Christi & Ecclesiæ in Nomine Domini nostri JEsu Christi tibi præcipio, ut illicò ab omni tumultu vel rumore causando desistas.

Postea præsentes moneat, ut firmiter credant, quòd dæmon, sicut huic suo præcepto probativo & lenitivo paruit, ita & expulsivo parere debeat.

4. Jubeat, ut omnes genuflectant, & dominus habitationis locò omnium contritioni & confidentiæ in DEum actus eliciat, dæmonem detestetur & vilipendat hac vel simili forma.

N. 147. O Mein HErr und GOtt Christe JEsu! sihe, ich dein unwürdigister Diener (oder Dienerin) ligend vor deiner Göttlichen

lichen Majestät bekenne, daß ich dich vilmalen schwerlich beleydiget: ja es kan leichtlich geschehen seyn, daß du von anderen noch Lebendigen, oder schon Verstorbenen schwerlich bist beleydiget worden: aber ich bitte dich, durch deine unendliche Güte, und Barmhertzigkeit, durch deine Treu dein Versprechen zu halten, durch die Krafft und Würckung deines Allerheiligisten Leydens, durch die Verdienst deiner Allerheiligisten Mutter, und anderer Heiligen GOttes, absonderlich des Heiligen N. N. als Hauß-Patronen: du wollest mir armseeligen Sünder, und allen anderen Lebendigen, oder in dem Fegfeur leydenden Seelen, die dich in disem Orth villeicht beleydiget, die Sünd verzeyhen; dann ich verspriche mit deiner Göttlichen Gnad mich hinführo zu besseren, alle mir Untergebene von Sünden abzuhalten, im Guten zu befördern, und nach Befehl meines Beicht-Vatters nach Möglichkeit genug zu thun. Derohalben bitte ich dich demüthigist, du wollest uns allen deine Göttliche Gnad verleyhen, uns von aller teuffliſchen Quall befreyen, damit wir hinfüro unter deinem Göttlichen Schutz und Schirm leben, dein heiligen Namen JESUS beständig mögen loben, und preysen.

Und dir, höllischer Teuffel, ja allen teuffliſchen Gespensteren befehle ich in dem lebendigen Glauben, welchen ich habe auf

Chri-

Christum JEsum meinem HERRN und GOTT, daß ihr alle fliehet und weichet auf das Gebott dises Ehrwürdigen Priesters, und hinführo keinen Gewalt mehr erzeiget über mein Hauß, noch Haußgenossene, inmassen alles lebet und stehet unter dem Schutz und Schirm des Allerheiligisten Namens JESUS, auf welchen ich mein gantzliches Vertrauen genommen.

His omnibus peractis Exorcista sedens, dexterâ per modum minantis extensâ, voce gravi & terribili, cæteris omnibus genuflexis, & DEum invocantibus, Exorcismum expulsivum hac vel simili formâ pronuntiet:

Exorcismus ad expellendum dæmonem à loco infestato.

N. 148. COntra vos spiritus apostaticos, rebelles DEO vestro, osores hominum, perturbatores pacis, plenos omni dolo & fallacia, Ego N. constitutus sum Minister Christi & Ecclesiæ; ideò potestate, & authoritate, quam accepi in Ordine Exorcistatus, vobis in Nomine Domini JESU Christi præcipio, ut illicò, & sine ulla mora ab hoc loco, ejúsque incolis recedatis, neque habeatis imposterum ullam potesta-

testatem habitandi, discurrendi, vel quemcunque tumultum, aut rumorem excitandi in eo, vel ejus habitatores divexandi, aut quocunque modo inquietandi, vel perturbandi, sive de die, sive de nocte, vel eis apparendi sub quacunque forma, vel figura, nec voces formandi, aut quidquid aliud operandi. Exite ergò, ac fugite spiritus maledicti, sic enim præcipio vobis in Nomine JEsu Christi, sic jubeo ùt Minister Christi & Ecclesiæ, in Nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Vel, si mavis, utere formula ipsius B. V. Mariæ, descripta in Mystica Civitate DEI Mariæ de JEsu p. 2. lib. 3. cap. 28. num. 370.

Quis ùt DEus, qui in altis habitat (possunt hæc verba bina vel trina vice repeti) *Princeps tenebrarum, auctor peccati, & mortis, in nomine Altissimi tibi præcipio, ut conticescas, atque jam nunc appage cum omnibus ministris tuis ad profundas, & caliginosas inferni cavernas, quibus æternum addicti estis. Unde jam non exeatis, donec promissus Messias penitùs vos conterat, aut fortè exeundi facultatem concedat.* N. 149.

Cæterum, quia ex dictis p. 1. cap. 4. q. 6. Exorcista nequit dæmonem in stagnum

num ignis & sulphuris mittere, prior formula videtur magis accomodata: Beatissima quippe Virgo ceu Domina inferorum absoluta usa fuit potestate, quæ tamen Exorcistis tradita non videtur.

N. 150. Porrò, quia ex communi paræmia verba movent, exempla trahunt, unicum referre placuit exemplum sub annum 1723. mihi per aliquem nostræ Reformatæ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ communicatum, plus tamen admirandum, quàm imitandum. Advenerat sub annum præfatum circa Festivitatem S. Joannis Baptistæ quidam Rusticus in nostrum Conventum, mira ac tremenda narrans de spectro domum suam diu noctúque infestante, ita, ut penè inhabitabilis fieret: supplicat Conventûs Guardiano, ut miserè afflictio remedium afferat opportunum. Quare Superior, re maturè discussa, duos Patres eidem in auxilium determinat, qui formam hìc à me præscriptam servantes facili negotio dæmonem expulerunt, ita, ut per aliquod temporis spatium nihil amplius audire, nihil videre, verbô, nullum dæmonis vestigium deprehendere potuerint.

Tandem circa Festivitatem S. Michaëlis jam ad extra: jam ad intra, nunc proximè, nunc remotè tumultuantem iterum dæmonem adverterunt habitatores.

Denique ob indispositionem, illorúmque in fide titubationem, plenam, ùt ante, consuetis

suetis terrificis apparendi formis, nec non domesticos per ululatum, & continuum fermè diu noctúque rugitum, aliósque horrendos modos torquendi licentiam avernale sibi deneò vindicabat spectrum. Casu (scribit unus præfatorum Patrum) ad illum perveni locum, ubi secundùm latum & longum, mihi nîl ampliùs simile suspicanti, omnia sunt exposita; quorum tristis & amara expositio ita meam vulnerabat animam, ut ex momento statuerim, è domo non exire citiùs, donec hoc diabolicum monstrum simul ejectum conspicerem. Omnibus in simul convocatis domesticis, instruxi, docui, confortavi, quantum divinus mihi spiritus insufflabat. Quare modô præscriptô processionaliter ante portam domûs Litanias Sanctorum omnium inchoavi, atque easdem prosequendo cubile supremum, ordinarium illius domicilium ascendi: mandavi præprimis, ut dæmon illicò edat signa consueta. Post repetitum jam mandatum aliquem, non verò gravem, percepimus omnes tumultum. Ego exinde magis exstimulatus, simúlque in Domino confortatus, tentavi quod meâ vitâ tentare ampliùs non auderem, nec ulli suaderem: præcepi nempè, ut præsentialiter se sistat, & unâ cum illis, quas alias ostendebat, formis se exhibeat. Hoc præceptum reiteravi quater: ab initio ad hoc mandatum ita ejulabat, ut ampliùs me ipsum

sum loquentem percipere non potuerim: ejulatum autem intendebat juxta intensionem & repetitionem præcepti. Denique coram apparuit tam variabile, abominabile, terribile, tremendum, avernale portentum, ut, si gratia Dei non prævaluisset, certè mortuus in terram cecidissem: omnes enim domestici viso hoc terribili monstro fugam velocius Euro capessebant, me solo relicto. Ab illa visione diabolica, qualem ego in corpore meo circumferam animum, si omnium hominum linguas haberem, explicare tamen potens non essem. Umbram illius, & hanc aliqualiter duntaxat sibi quis præfigere velit, postquam intellexerit, quòd dæmon omnibus illis formis, quibus alias modò ùt bos, modò ùt aper, modò ùt bestia cornuta, modò ùt vetula turpissima, modò ùt æthiops nigerrimus, ignem spirans & evomans &c. apparuerit. Confortatus nihilominus formavi præceptum expulsivum, & revera felici cum successu: hoc enim domestici illi habent solamen, quod ab illa exorcizatione nec signum alicujus præstigii, minùs dæmonis advertant. Hæc ille: cujus nomen animo utique perlubenti detegerem, nisi præfatis litteris, verus utique humilitatis amator, per omnia rogâsset silentium nominis perpetuum. Tu benevole Exorcista ex historia præfata selige, quæ minùs tuum ad simile obeundum munus absterrent animum.

Dico

Dico 3. Formatô jam præceptô expulsivô in loco principaliter infestato, poterit Exorcista observare sequentia. N. 151.

1. Aspergat omnes habitatores domûs, imò & ipsum locum infestatum aquâ benedictâ, quærátque, an etiamnum timeant de præsentia diabolica, vel, an credant, dæmonem divina virtute verè expulsum? quòd si enim priùs in vera fide & fiducia sint confortati, infallibiliter animo hilari & intrepido expulsionem credent.

2. Pro majori assecuratione formet ulterius præceptum probativum, hac, vel simili formula, sive in lingua materna sive latina:

Et Ego N. licèt probabiliter credam omnes dæmones ex hoc loco divina favente gratia totaliter jamjam esse expulsos, ita, ut nullam ampliùs habeant potestatem hìc habitandi, vel quemcunque tumultum, aut rumorem excitandi, aut habitatores quocunque modo molestandi: nihilominus, ut de veritate omnimoda nobis constare queat, iteratò ùt Minister Christi & Ecclesiæ tibi dæmon, vel si plures estis, vobis dæmonibus in Nomine Domini nostri JEsu Christi præcipio, si aliqui reverà sitis præsentes, & quamcunque habeatis potestatem in hanc domum vel locum, ut statim detis mihi signum evidens vestræ potestatis ac præsentiæ, aliquem causando tu- N. 252.

multum, qualem, priùs cauſare conſueveratis.

Si denuò tumultus audiretur, aut aliud certum præſentiæ diabolicæ ſignum perciperetur, habitatores domûs, præſertim verò Paterfamilias, magis in fide & fiducia eſſent roborandi, atque vel eodem, vel ſequenti die aut nocte novum præceptum expulſivum faciendum.

Si verò nullum perciperetur diabolicæ præſentiæ ſignum, Exorciſtæ officium erit magis confortare domûs incolas, nè ullum impoſterum timorem diaboli admittant, quod facili præſtabit negotio, ſi motiva fidei, vilitatem & imbecillitatem dæmonis ipſis explicaverit, de quibus abunde dictum p. 1. hujus Armamentarii.

3. Accadat Exorciſta etiam reliqua loca domûs, eáque aquâ benedictâ aſpergat, atque ubique præceptum expulſivum ſaltem conditionatum faciat, ut videlicet, ſi qui dæmonum etiamnum ſint præſentes, vel quamcunque habeant poteſtatem, illicò fugiant & recedant

4. In loco principali gratiarum actionem deponat, atque has, vel ſimiles Orationes deprecativas ſubjungat, ut Deus ſua virtute, quod per Exorciſtam operatus eſt, perficere dignetur.

Ora-

Orationes facta expulsione diaboli ex loco infestato.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini N. 153.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Fiant aures tuæ intendentes.
℟. In vocem deprecationis meæ.
℣. Dominus sit in loco isto.
℟. Et cum omnibus habitationibus in eo.
℣. Domine Exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritum tuo.

Oremus.

INclina, quæsumus Domine, aures tuas ad preces nostras, quibus te humiliter deprecamur, ut locum istum (vel domum istam) tua benedictione impleas, & efficias, ut in eo (vel in ea) sit sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, mansuetudo, plenitudo legis, confidentia in nomine tuo, & gratiarum actio tibi Deo trino, & uno: neque contra eum (vel contra eam) ampliùs prævalere possit terrimus dæmon: nec possint habitatores ejus à dæmonum illusionibus, præstigiis, incantationibus, maleficiis, apparitionibus, infestationibus, ac vexationibus perturbari; sed omnes sentiant in eo (vel in ea) tuam omnipotentiam in hac sacerdotali benedictione concurrisse, qua potenter

ter eripiantur, liberentur, ac præserventur ab omnibus diabolicis insidiis, molestiis, atque nequitiis, & à quocunque malo mentis & corporis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Visita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle. Angeli tui sancti habitent in ea, qui habitantes in pace custodiant; & benedictio tua sit super nos semper.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens, æterne DEus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Deinde aspergat aquâ benedictâ; postea incensô, (si adsit) thurificetur. Tandem Exorcista domum, & omnes in eo habitantes genuflexos benedicat, dicens:

Benedictio DEI omnipotentis Patris † & Filii, † & Spiritus † Sancti descendat super hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat semper, Amen.

Qua-

Quæstio secunda.

De aliis veris modis & remediis pellendi spectra diabolica.

DIco, præter dictum spectra diabolica pellendi modum, non defi. iunt alii, tam à Patribus, quàm ab experientia ipsa plurimùm recommendati. Tales autem sunt sequentes N. 154.

1. Vera & viva fides, quam bona comitantur opera, & mandatorum DEI observatio, de qua S. Antonius Abbas: *magna, dilectissimi, adversùs dæmonem arma sunt vita sincera, & intemerata in DEum fides.* Et dæmon ipse Cypriano mago, postea Martyri Christi, confessus est, *se Christi fide munitis nocere non posse.*

2. Reliquiæ Sanctorum. Sic enim de semicinctiis & sudariis D. Pauli adhuc viventis scribit S. Lucas in Actibus Apostolorum cap. 19. *Virtutésque non quaslibet faciebat DEus per manum Pauli, ita, ut etiam super languidos deferentur à corpore ejus sudaria, & semicinctia; & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Si ergo Reliquiæ Sanctorum fuerint decenter in loco infestato collocatæ, plurimùm contribuent ad spectra pellenda. N. 155.

3. Valdè efficax remedium est signum S. Crucis vel contra diabolum formatum N. 156.

vel etiam apud se gestatum: efficaciam hujus signi S. Crucis fusius parte prima Armamentarii videre licet: aut si pluribus exemplis hanc catholicam veritatem confirmatam desideres, vide Delrium, Caspa-rum Schottum, & alios.

N. 157. 4. Aqua benedicta præcipuè ad averruncanda diabolica spectra, mox à primis Ecclesiæ Catholicæ temporibus in usu fuit: Sic enim Joannes Diaconus in vita S. Gregorii meminit, monasterium infestatum per aspersionem aquæ benedictæ fuisse liberatum. De B. Theodoro Archimandrita testatum habetur, cùm in cujusdam Tribuni domo homines & animalia omnia à dæmonibus vexarentur, adeò, ut cùm domestici pranderent, aut cœnarent, lapides super mensas jacerentur, & mulierum telæ rumperentur, & tanta serpentium ac murium multitudo domum occuparet, ut præ formidine eam nemo ingredi auderet; dictum Sanctum ingressum totam noctem psallendo, & Deum deprecando traduxisse, *& aquâ, cui benedixerat, totam domum aspersisse, eamque à Spiritibus immundis liberâsse.*

N. 158. 5. Benedictio data cum Venerabili Eucharistiæ Sacramento, vel sola tantùm illius præsentia. Sic Franciscus Lope Gomora apud Schottum testatur, dæmonum ludibria, & apparitiones apud Indos depelli potissimum venerabilis Eucharistiæ Sa-

Sacramenti præsentiâ, Crucifixi imagine, & aquæ benedictæ aspersione. Pura vide in disq. mag. P. Delrio lib. 6. cap. 2. sect. 3. q. 3.

6. Devota enuntiatio, & invocatio SS. Nominum JEsu & Mariæ: plures enim à spectris undique circumdati, unica horum SS. Nominum invocatione spectris subitò disparentibus, ab omni nocumento sunt liberati. Historias vide apud Schottum in Physica curiosa lib. 1. cap. 3. N. 159.

7. Agnus DEI, aliæque res ab Ecclesia benedictæ. Narrat P. Delrio loc. priùs citat. Drepani dæmonem paredrium, seu familiarem per cereum Agnum Dei fuisse pulsum. Plura adducit Schottus lib. 2. cap. 51. §. 6. Quare cerei Agni Dei vel, aliæ res benedictæ in locis dæmone infestatis collocatæ, magnum sunt contra dæmonum infestationes præsidium. N. 160.

8. Bona est Oratio cum jejunio & eleemosyna ad spectra diabolica depellenda. Sic Joannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorii cap. 93 scribit, dicti sancti hortatu Litaniis recitatis, formidabile quoddam dæmonis quasi cornuti spectrum, quod certo cuidam loco ita infestum erat, ut in eo commorari nullus posset, tandem fuisse abactum. Idem refert, oratione in fugam fuisse conversum spiritum nequam, qui in forma catti Religioso viro non parùm fuit molestus. Omitto plura, & N. 161.

hoc solùm innuo, efficacissimas fore preces contra spectra diabolica à Patrefamilias cum tota sua familia in loco infestato recitatas, prout jam supra dictum.

Quæstio tertia.

Quomodo domus semel liberata imposterum à molestiis diabolicis præservanda?

N. 162. Dico remedia domum ab omni infestatione diabolica liberatam imposterum præservandi, sunt potissimùm sequentia.

1. Vera fides, & roborata fiducia, quòd DEus hanc domum, omnésque habitatores certò sit ab omni vexatione diabolica protecturus.

2. Paterfamilias qualibet vespera locum priùs infestatum aquâ benedictâ aspergat, simúlque præceptum formet dæmonem excludens: imò quilibet incola in suo loco privato, dicendo v. g. *In Nomine Domini nostri JEsu Christi præcipio vobis dæmonibus omnibus & singulis, ne ullus vestrûm sive per se, sive per saga, me molestare præsumat, in Nomine † Patris & † Filii, & Spiritus † Sancti. Amen.* Juvabit pariter præfata verba scripta affigere portis & fenestris domûs, ùt in parte 1. hujus Armamentarii jam dictum.

3. Si quem fortè tumultum percipiant, &

& diabolicum esse i[illegible]spicentur, præceptum efferment, ut in Nomine JEsu dæmon illicò recedat.

4. Singulariter ad domum à diabolicis infestationibus præservandam conducit, si Paterfamilias cum tota familia sua in debitam gratiarum actionem, & ad divinum adjutorium ulteriùs impetrandum, per aliquot dies recitet Litanias B. Virginis, Rosarium, vel alias preces juxta piam loci consuetudinem: hortetur pariter suos subditos ad fidem & fiduciam habendam, & vanum diaboli timorem excutiendum, ad Sacramenta piè & devotè frequentanda, & demum ad vitam Christianam, ab omnibus peccatis, præsertim gravibus immunem, ducendam: vitia quippe sunt fomentum & pabulum vexationis diabolicæ.

Reliqua remedia præservativa desumi poterunt ex dictis parte 1. hujus armamentarii cap. 6. q. 12.

Quæstio quarta.

Quomodo spectra magica, seu homines malefici tam homines, quàm habitationes hominum molestantes, sint averruncanda?

ADvert. Spectra magica in locis, maleficis hominibus refertis, esse vix non cæteris omnibus frequentiora, N. 163.

eáque tum hominibus, tum animalibus, tum etiam habitationibus eorum moleſtiſſima: introducuntnr enim per dæmones in loca multis etiam repagulis occluſa, ubi homines & animalia vexant, verberant, impudicè tangunt, maleficiis inficiunt, tumultus excitant, vinum, aliáque potabilia ebibunt, homines comprimunt, ut vix reſpirare queant, ubera ſugunt &c. de quibus ſuprà cap. 1. q. 3. plura. Unde, ut quivis ab iſtis moleſtiis ſe liberare valeat

N. 164. Dico 1. Modus facillimus ſeſe liberandi ab omnibus præfatis moleſtiis, eſt præceptum ſub veſperam, antequam quis ſomno indulgeat, in SS. Nomine JEſu factum, conformiter dictis. q. præc. & p. 1. cap. 6. q. 12. ita tamen, ut expreſsè dæmoni prohibeatur, ne ullam ſagam vel maleficum introducere præſumat. Ita certa, & propria experientia me docuit: dum enim ſub annum 1724. à ſtrigibus tempore nocturno fuiſſem divexatus, tentavi varia: benedixi cellam, aſperſi ſtratum aquâ benedictâ, nil tamen profeci: tandem etiam præceptum faciendum incidit; quo facto alvus in tutò requievi: evocatus ſum tandem ad quandam perſonam energumenam, ex qua mox diabolus locutus dixit: *benè cellæ tuæ januam obſerâſti*, non aliâ certè ſerâ, quàm præceptô in Nomine JEſu factô. Porro ſi tantæ hujus

præ-

præcepti efficaciæ rationem petas, eandem abundè in p. 1. hujus Armamentarii cap. 1. §. 4. videre poteris.

Quinimò præceptum in SS. Nomine JEsu factum tantæ est efficaciæ, ut non solùm omnem dæmonibus sagas in domum, vel quemcunque locum introducendi facultatem adimat, sed etiam, si fortè saga, vel quicunque maleficus dæmonis auxilio jam in loco compareat, dæmone mox per præceptum rejecto, solus maleficus inermis remanere cogatur: non enim dubium, dæmonem semper esse præsentem maleficis, domos, earúmque habitatores molestantibus: si ergò dæmon per præceptum expellatur, solus sine adjutorio diabolico maleficus aderit. N. 165.

Hoc ipsum quondam probare volui: dum enim quidam nostræ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Alumnus conquereretur, se tempore nocturno etiam perfectè vigilem plurimùm à pessimis istis hominibus divexari, quin congruum possit invenire remedium, licèt summa devotione se Deo recommendet, aquâ lustrali aspergat, aliisque spiritualibus præmuniat: suasi eidem, postquam prævio examine benè cognovi, hæc non ex apprehensione aut naturali aliquo affectu evenire, ut mancipium diaboli capiat hôc ipsô remediô: paruit ille; &, cum spectrum post triduum denuò tempore nocturno post matutinum in Choro

ro persolutum, comparuisset, illicò præceptum formare volens dixit: *præcipio tibi dæmon in Nomine JEsu*, & ecce! illicò per maleficam personam in ore percussus præceptum finire nequivit: sensit nihilominus efficaciam SS. Nominis JEsu: comprehendens quippè digitum manûs ita fortiter compressit mancipium diabolicum, ut per spatium quinque circiter *Pater* & *Ave* se extricare nequiverit, licèt antea facillimè semper elabi potuerit: tandem post laboriosam extricationem comminatus ille certam comprehensionem, ait: *En! bestia maledicta jam modum te capiendi calleo: quòd si vel semel adhuc comparueris, certissimè comprehendam.* Verùm magis providè sibi consulens, nunquam ampliùs comparuit.

N. 166. Denique, ut magis capiatur efficacia præcepti dæmonibus facti, benè perpendantur verba ipsius Reginæ cœlorum B. V. Mariæ, quæ Venerabili Matri Mariæ de JEsu Mysticæ Civitatis p. 2. lib. 3. cap. 28. n. 372. sequentem tradidit doctrinam: *Filia, cautela illa, quæ animæ juxta proximè dicta necessaria est, ne se cum invisibili hoste dissertationi exponat, non debet ita timida esse, ut non aliquando interposito Nomine, Authoritate, & Imperio altissimi tacere eum, recedere, & erubescere jubeat: adeoque volo, si sua ferat occasio, id facias sicque persequentes te coërceas: neque enim adversùs nequitiam ferocis draconis validiora sunt arma, quàm si hominis anima imperiosam se illi,*

& superiorem exhibeat. Et eadem parte 2. l. 5. c. 16. num. 884. *Pari ratione constituo tibi, ut quo melius moribundos adjures, ipsa dæmonia ab eisdem facessere imperio & jussione tua cogas: atque hæc quidem virtus, & imperandi facultas in promptu tibi est, licèt infirmis non adsis; certè enim Dominus illis adest, in cujus nomine imperas, & ad cujus gloriam & honorem abigis.* Et tandem parte 3. lib. 8. cap. 3. sic loquitur: *Confice bella Domini adversùs mimicos ejus; & in illius, ac meo etiam nomine orcinum caput contere, superbiam eorum imperiosa coërce, & ad profunda præcipita. Sed & Christi Ministris, quibus loqui te contigerit, suade, idem faciant, ut ita concessa sibi potestate & viva fide animas tueantur, & in his etiam Domini honorem, & gloriam; sic enim divina virtute dæmones oppriment: & expugnabunt.*

Dico 2. Arcentur pariter omnes malefici per præceptum scriptum portæ domûs, atque fenestris affixum. Ita conflat ex parte 1. hujus Armamentarii cap. 1. quæst. 3. ubi de efficacia Exorcismi scripti contra dæmones dictum fuit. Denique, cùm malefici ope dæmonum omnia præstent, habeántque dæmonem sibi semper præsentem, quidquid efficaciam habet ad arcendum dæmonem, habebit pariter efficaciam ad arcendos maleficos: licèt enim homines malefici per se non ita horreant SS. Nomen JEsu & Mariæ, neque alia spiritualia, quemadmodum illa horrent spectra dia- N. 167.

diabolica: nihilominus cum rejecto dæmone absque omni adjutorio diabolico remaneant, illo expulso & rejecto, ordinariè, saltem peraccidens, etiam arcentur malefici.

Quæstio quinta.

De aliis modis spectra pellendi passim ab aliquibus usitatis.

QUæres 1. An convitiis & diris imprecationibus spectra pellantur? modum istum spectra pellendi apud homines, præsertim plebejos ac vulgares esse frequentissimum, nemo est, qui ignorat: sic enim orationibus putant allici, & diris convitiis, imprecationibus & blasphemiis pelli spectra. Sed

N. 168. R. 1. Similibus iracundis convitiis, blasphemiis &c. nullatenùs pelli spectra mala, sed attrahi, non repelli, sed allici. *Ratio* est, quia odio perpetuo contra Deum inflammata gaudent potius & delectantur de offensa Dei, quàm ut illam fugiant, & horreant. Quòd si quandoque experientia docuit, spectra mala & diabolica ob similia convitia & blasphemias fugisse, id dolò pessimò fecerunt, videlicet, ut homines ad hujusmodi remedium sæpiùs adhibendum allicerent, atque in malo confirmarent. Sæpè nihilominus contigit talia spectra non tantùm non fugisse, sed Deo permittente ejusmodi blasphemantibus

bus collum intorsisse, ut multis exemplis probat Delrio Disp. mag. lib. 2. q. 27. sect. 2.

R. 2. Similibus convitiis, maledictis ac blasphemiis pelli spectra bona, seu animas fidelium in piacularibus flammis detentas; non ea quidem ratione, quasi intrinsecam quandam haberent efficaciam ea pellendi, sed quia Dei offensam non sufferentes sponte fugiunt, & auxilium aliquod sibi præstandum diffidunt. N. 169.

R. 3. Convitiis honestis, atque ex bono fidei zelo prodeuntibus spectra diabolica pelli: nam spiritus illi superbiâ tumidi & inflati, vilipensionem fugiunt, & honorem quærunt. Optima porrò sunt convitia illa, quæ ex S. Scriptura decerpta, divinam extollunt potentiam, & diaboli vires debiles, imò nullas asserunt: quæ divinam Majestatem honorant, & diabolo suam vilitatem exprobant, quæ p. 1. cap. 6. q. 6. sub nomine objurgationum sunt descripta. N. 170.

Q. 2. An gladiis, lanceis, aliisque armis spectra pellantur? Multi ad quæsitum sine cunctatione affirmativè respondent, multisque comprobant exemplis: sic Michaël Psellus libellô de dæmonibus editô, prodigiosum factum sibi evenisse narrat de fœmina cujusdam hominis senis puerpera; hæc partûs dolore laborans, linguâ armenicâ sibi semper ignotâ locuta, N. 171.

ve-

vestes laceravit, audacissimè ex lecto prorupit; aliásque incepit insolentias: verùm comparente armento viro rugoso, exusto, & nigro, strictô gladiô eidem mortem minante, se immediatè recepit, compressit, contremuitque. Unde deduxit, dæmones horrere gladios & lanceas. Cujus potissima ratio, quia à Deo excæcati discernere nequeunt inter minantem, an sit homo purus, vel Angelus minitans. Hujus pariter mentis erat Paracelsus, solitus noctu consurgere, & machæram suam Helveticam utraque manu in hostem invisibilem huc illúcque torquere. Sequuntur etiam alii complures, & sæpè milites cæteris animosiores practicant. Unde directè ad quæsitum

R. 1. Nec spectra diabolica, nec animas damnatas, nec purgantes posse pelli, minùs lædi gladiis, lanceis, aliísque armis. *Ratio* est, quia vel apparent in corporibus aëris, vel in corporibus ex sepulchro resumptis, quidquid dicatur, spectra ipsa utpote purè spiritualia non læduntur: nam licèt corpora ipsa scindantur, dividantur, & transfodiantur, spiritus ipsi minimè læduntur, neque ullum sentiunt dolorem: quinimò facili negotio corpora assumpta ab ictu præservant, vel denuò redintegrant: ergò. Quare, si quandoque fugiant id nullo timore perculsa, sed spontaneè faciunt. Sed nec placere potest ratio Pselli,

li, quam sequitur P. Mengo in fuste dæmonum: non enim dæmon adeò dementatus est, ut inter minitantes discernere nequeat, qui longè subtiliora discernit. Paracelsi factum reputat Delrio apud Schottum Physicæ curiosæ lib. 2. cap. 28, vel ferocientis furoris fuisse, vel ex pacto convento, sic molestiarum inducias à dæmone paredrio seu familiari impetrare volentis.

Quin imò, licèt ex pluribus historiis compertum habeatur, spectra hominum mortuorum impediri ab iterata comparitione, si effosso tumulo caput cadaveri abscindatur, vel inversa facie in tumulo collocetur: nullam nihilominus efficacem rationem compertam habeo: vel enim dæmon hominis in peccato mortali defuncti corpus assumit, vel anima damnata, vel certè anima purganda: & nil prorsus impedit, quin corpus inversa facie tumulatum, vel omninò obtruncatum assumere queant. N. 173

R. 2. Spectra magica, seu homines maleficos sæpè pelli, & lædi gladiis, aut aliis armis. Ita certa sententia tum ex ratione, tum ab ipsa etiam experientia. *Ratio est*, quia ex dictis sæpè, imò ùt plurimùm comparent in propriis corporibus, vel certè iis soporatis diabolus eorum nomine comparet, & mala infert, ita, ut phantastica imaginatione delusi, se mala intulisse sibi persuadeant: sed utrôque modô comparentes lædi possunt: nam si in pro- N. 174

prio corpore appareant, omnibus manifestum est, posse lædi, nisi diabolus ictum impediat, quod tamen ordinariè nec facit, nec facere potest, si arma sint benedicta: Si verò diabolus eorum nomine compareat, tunc corpore à dæmone assumpto, læso, ipse dæmon maleficum lædit, vel mutilat. Sic in Malleo Malefic. habetur, tres sagas propè Argentoratum formâ trium ingentium felium agricolam adortas esse: hoc pro possibili se defendente, vulneribus sauciatæ depulsæ sunt: mox tamen mulieres decumbentes, graviter vulneratæ repertæ fuerunt: cùm verò vulnera ulturæ eum coram Judice accusassent, is Judici horam & locum indicavit, quo ipsum feles appetiverunt, & quo eas læsas à se repulerat. Alium mirabilem casum enarrat Delrio, & ex ipso P. Casparus Schottus in Physica curiosa lib. 1. cap. 26. §. 6. de quadam hospita diabolicis præstigiis navem nautæ cujusdam tantâ efficaciâ in littore retinente, ut nulla vi dimoveri potuerit: oneribus tandem ex navi sublatis, in sentina ingens bufo scintillantibus oculis præsentes intuens repertus, ac gladii cuspide in gutture perforatus, in aquam dejectus est, ille, quasi exanimis in tergum provolvitur ventre resupinato, atque per aquam deportatus, alia adhuc recepit vulnera, & repentè navis soluta est. Nauta regressus in hospitium, ut se adjuvantibus promissum da-

daret bibale, reperit hospitam in gutture transfixam, aliisque vulneribus fauciatam, gravissimè in lecto decumbere, & post mediam circiter horam expirare miserrimè. Plures simillimi casus frequentissimi sunt, & uti facilè ominari licet, cuilibet notissima, ubi sagæ vulneratæ, vel omninò occisæ sunt, haud dubiè vel immediatè per gladium ipsum, si in proprio corpore comparuerunt, vel per ipsum diabolum, si is alio corpore assumpto ad earum imperium molestias intulit.

Porrò, si de licititate talis mutilationis quæras, ea ordinariè videtur licita, utpote cùm ordinariè nesciatur status & conditio infestationis, simúlque defensionem sui contra iniquum aggressorem omnia jura permittant. Quòd si verò sciretur adesse dæmonem hac conditione aggredientem, & infestantem, ut ipso imaginariè læso, etiam saga vulneretur, vel omnino occidatur, probabiliùs mutilatio illicita erit: siquidem enim illicita, & superstitiosa est verberatio lactis, alteriúsque rei, ea intentione facta, ut dæmon maleficum lædat, ita percussio corporis phantastici ea intentione facta, ut dæmon interim maleficum lædat, illicita, & superstitiosa erit reputanda. Quare longè alia defensio usurpanda esset ad dæmonem repellendum, videlicet præceptum in SS. Nomine JEsu factum, de quo sæpissimè in progressu dictum. N. 175

N.176 Q. 3. An lumine accenso, vel ostiis obseratis spectra arceantur? R. Nec lumeo accensum, & non benedictum, nec ostia obserata, arcent spectra. *Ratio* est, quia nec naturalem, nec supernaturalem vim & virtutem fugandi habent, cùm de nulla nec ex Scriptura, nec ex Patribus constet. Ostia obserata pariter non obstant, cùm illa perfectissimè reserare sciant; imò etiam ostiô occluso, possunt sibi formare corpora intra ostium, & ita excitare tumultus, vel etiam sine corporibus excitare strepitus, aut alias incipere insolentias. De lumine benedicto haud dubiè contrarium est dicendum: sicut enim reliqua sacramentalia, & ab Ecclesia benedicta magnam contra spectra virtutem habent, ita & lumen benedictum.

N.177 Q. 4. An odoribus quibusdam, herbis, & suffimentis purè naturalibus locatis spectris infestata liberentur? R. Negativè cum Thyræo de dæmoniacis P. 3. Cap. 42. Schotto in Physica curiosa, & aliis. Ratio est manifesta; quia odores & suffimenta solùm olfactum afficiunt: quid quid ergo potentiâ caret olfactivâ, hisce nec affici, nec pelli potest. Quare eandem ob causam, qua odores & suffimenta, rejicimus pariter (salvô aliorum judiciô) herbas quasdam non benedictas, quas in se ipsis quidam dæmoniacis spiritibus intolerabiles censent, quales sunt Artemisia

timisia rubea, Barba Jovis, Solsequium, Levisticus, Salvia, Polegium, folia Sambuci &c. Ratio est, quia hæc omnia mere corporea sunt, atque adeò spiritibus pellendis improportionata.

Dices. supra Cap. 4. Q. 2. Concl. 1. N. 178 Pharmacis naturalibus vis aliqua saltem indirecta & inchoata contra dæmones est concessa: ergo impræsentiarùm frustra negatur. 2. Plures testantur Auctores apud Tostatum Abulensem in 2. Reg. Cap. 6. Q. 43. suffimentis quibusdam dæmones allici, quibusdam pelli; imò hoc experientia ipsa testatur, qua constat, herbas, odores, & suffimenta quædam dæmonibus esse plurimùm contraria, nec cuiquam patere accessum, ubi similia fuerint collocata: sic patet, sorbum vulgò Elsbirlein tam sagis, quàm dæmonibus esse adversum.

℟. Ad 1. Neg. Conseq. non enim eadem ratio est dæmonum humana corpora possidentium, & domos aliáve loca infestantium: dæmones siquidem corpora vexant magis vel minùs secundùm qualitates & majores vel minores dispositiones patientis: quòd si ergo per pharmaca naturalia similiter fuerint expulsæ dispositiones, etiam vexatio diabolica erit alleviata: e contra dæmones non infestant loca dependenter à naturalibus dispositionibus & pravis humoribus: ergò.

Ad 2dum dico, fidem manere penes illos Authores suam sententiam nec ratione, nec authoritate cujusdam concilii vel Sancti Patris stabilientes: quin imò plures eorum in falso fundantur supposito, quasi dæmones corpora haberent; unde mirum non est, quòd & sensus, & corporeas delectationes vel aversiones eis concedant. Cùm verò ex communissima & certa Theologorum sententia purè spirituales sint, nulla materialium virtute pelli vel allici possunt: certè sicut ex communi Philosophorum materiale non agit in spirituale, ita neque similia odoramenta & suffimigia in dæmones ceu purè spirituales agere possunt.

Quæstio sexta.

Quomodo spectra animarum damnatarum ex domibus, aliisve locis expellenda

N. 179 ADvert. nullum prudens posse subesse dubium, dari in Ecclesia Sancta DEI quosdam modos loca non tantùm à spectris dæmoniacis, sed animabus etiam damnatis infestata expurgandi: cùm enim benè constitutæ reipublicæ apprimè sit necessarium se posse tueri adversus hostes sibi infensos, & molestos, id Ecclesiæ sanctæ Dei ceu Reipublicæ optimè à Christo Domino constitutæ,

tæ, atque supra firmam petram fundatæ denegatum dici nequit. Certæ animæ damnatæ non rarò æquè molestant, quàm dæmones ipsi: consequenter neque arma easdem expugnandi, seque ab earum molestiis liberandi deesse poterunt. Sola quæstio est, quænam arma illa; quinam clypei ab earum tyrannide præservandi? neque enim Exorcismi Ecclesiæ hunc in finem utiles esse censentur, utpote, cùm ad solos dejiciendos dæmones dirigantur. Minùs ipsis prodesse possunt suffragia, quibus purgandæ juvantur animæ; cùm non sint in loco liberationis, sed in loco, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Denique neque gladiis, fustibus, blasphemiis, aliisque similibus arcentur, prout ex supra dictis Cap. 6. q. 5. satis claret. Quare R. &

Dico: Animæ damnatæ iisdem prorsus mediis proscribuntur, quibus spectra dæmoniaca ex locis infestatis, dumodo Exorcismus, aliaque ad ipsas solas dirigantur. Ita Thyreus de dæmoniacis P. 3. cap. 85. Schottus in Physica curiosa lib. 2. cap. 43. Ratio hujus petitur ex Scriptura Lucæ 10. v. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici*, sub virtute autem inimici vel maximè animæ damnatæ videntur comprehensæ: cùm reverà hominibus adversentur. Præterea animæ damnatæ non N. 180

minùs spiritus mali sunt, quàm dæmones: ergò iisdem spiritualibus armis debellandæ. Quare quæcunque supra q. 1. contra spectra diabolica sunt præscripta, pariformiter contra animas damnatas sunt usurpanda.

Neque tamen ulla ratione probabilis videtur vulgi sensus, putantis, Exorcistas animas damnatas posse mittere in loca deserta, lacunosa: cùm enim eisdem hæc virtus contra dæmones non sit concessa, ut in prima parte diximus, nec concessa dici debet contrà animas damnatas.

Quæstio septima.

Quo modo, quibusve mediis animæ piaculatoribus flammis detentæ liberentur?

ADvert. Quando ignoratur conditio spectrorum infestantium, diabolicâne sint, an humana, anima bona vel mala; non illicò Exorcismos expulsivos adhibendos, nec illa remedia, quæ contra diabolica statuimus, usurpanda: illa siquidem nullam vim vel efficaciam habent contra spiritus hominum purgandorum. Sed benè signa dignoscitiva perpendantur, ex quibus, si nihil certi haberi potest, sequentia servet Exorcista:

N.181 *Primò.* Præmissîs orationibûs, jejuniîs, sacrificiô Missæ, adhibitîs etiam cereîs sacris

crîs, Agnô Dei, aquâ lustralî &c. locum infestatum accedat.

Secundò. Recitatîs de more Litaniîs Sanctorum omnium, in loco principali, vel maximè aliàs infestato, capite cooperto sedeat, atque imprimis præceptum probativum formet contra dæmonem, quo præsens, & fortè nequiter se animam purgandam simulans, signa suæ præsentiæ ostendere cogatur, excitando de more tumultus, clamores, aliave priùs excitata: quibûs habitîs secundùm dicta superiùs hoc cap. quæst. 1. procedendum erit. Quòd si verò nullum præsentiæ diabolicæ percipiatur signum, præceptum probativum formet contra animam damnatam, conformiter dictis quæst. præcedenti: atque si denuò nullum percipiatur signum, ulteriùs.

Tertiò observet modum observatum à P. Joanne Godi Ord. Prædic. prout habetur in prima Decade quæstionum peregrinarum q. 2. cap. 4. Is enim vocatus in quandam domum, in qua anima purgatorii pœnas debitas luebat, post crepusculum vespertinum cum sociis officium defunctorum recitabat: pòst strepitu exurgente ita orsus est: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti adjuro te creatura DEI, per potentiam DEI infinitam, per Ejus Sapientiam ineffabilem, per Ejus Bonitatem indicibilem, per virtutem SS. Trinita-

nitatis, quibus omnia creavit, per mysterium sanctæ incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Domini nostri JEsuChristi, per virtutem omnium Ordinum Sanctorum Angelorum, & per omne illud, quod DEI virtute te potest plùs adstringere, constringo & adstringo, ne recedas de loco, sed ad ea, de quibus te interrogavero, veraciter respondeas.

Omnium ergo primò quæsivit, an esset spiritus bonus, vel malus? quis esset? quid vellet? quibus cognitis illam animam dimisit, & pro illa, quæ petebat, facienda demandavit, & amplius nulla infestatio est animadversa.

Cæterùm, cùm animæ purgandæ tamdiu expiacularibus pœnis evadere nequeant, quousque plenarie pro peccatis satisfactæ, aut certè ab alio vivente fuerint adjutæ, optimi modi, qui contra molestias spirituum purgandorum valere dignoscuntur, sunt Sacrificia Missæ, Orationes, indulgentiæ ipsis per modum suffragii applicatæ, Eleemosynæ pro defunctis datæ, jejunium, alieni restitutio, peregrinationes, aliarumque virtutum actus, de quibus latè videri potest Petrus Tyræus de dæmoniacis cap. 74. & seq. & Casparus Schottus in Physica curiosa lib. 2. cap. 62.

Alium, in substantia tamen non absimilem modum præscribit Magister Henricus de Hassia, sequentis tenoris: Primò convocen-

vocentur Presbyterii pii ac devoti, qui ad locum infestatum humili mente, rectaque intentione accedentes secum assumant accensam candelam in die Purificationis benedictam, aquam lustralem, & signum Crucis. In accedendo verò orent septem Psalmos Pœnitentiales.

Secundò locum ingressi genua flectant, atque unus eorum sequentem recitet orationem:

Domine JEsu Christe, omnium secretorum cognitor, qui semper tuis fidelibus & parvulis revelare salubria & utilia consuevisti, quique in hoc loco spiritum quemdam se ostendere permisisti, humiliter obsecramus tuam piissimam Misericordiam, per Passionem tuam, & per pretiosissimi Sanguinis tui pro peccatis nostris effusionem, ut digneris præcipere huic spiritui, ut sine terrore & læsione nostra, aliorumque, se revelet, signaturus nobis famulis tuis, aut aliis, quis sit, vel cur venerit, quidve desideret, ut tu inde honorari valeas, & ipse, si possibile sit, consolari, & fideles tui inde sublevari. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

3tiò. Post hæc ad interrogatoria est deveniendum dicendo:

Obsecramus per Christum JEsum te Spiritus, ut dicas, quis sis, & si est aliquis inter nos, cui velis respondere, ut verò

verò per signum eum determines: estne iste, vel ille? compertum siquidem est, spiritus non cuilibet respondere.

4tò. Quòd si per aliquod signum, pulsum, sonum, aliudve notorium ad cujusdam nominationem perceperint, illi committantur interrogatoria, qui sequentia quærat: cujus hominis anima fuerit, & propter quid venerit? quid desideret? utrum suffragia, Missas, aut eleemosynas petat? quot Missas, aut quales eleemosynas, quibusve personis distribuendas? denique quod signum suæ liberationis perfectæ futurum sit, & propter quam causam igni purgatorio deputata fuerit?

Quòd si verò spiritus ad interrogata respondere noluerit: totum in aliud commodius tempus differendum erit: quia occulto DEI judicio certis horis, certisque duntaxat personis se revelant. Quare etiam similia interrogatoria iis potissimum temporibus facienda sunt, quibus animæ comparere consueverunt.

Alii schedulas scribunt diversarum virtutum, Missæ Sacrificiorum, restitutionum, putantes animam eo pietatis opere liberandam, quod in schedula fuerat designatum, & reliquis intactis loco motum. Veruntamen res plena est deceptionis periculo: etenim sæpè dæmones apparent dicentes se animas esse piacularibus flammis detentas, restitutionem rerum malè ab-

ablatarum, eleemosynas, imò ipsa Missæ sacrificia fieri curant, ad speciem optima consulunt, prout plures ex Thyræo & Casparo Schotto historiæ referri possent. Quare, nisi anima SS. Nomen JEsu invocet, aliúdve faciat solis animabus purgantibus compotens, vix anima, sed diabolus credi debet. Sed

Quæres, quid de apparitionibus ex pacto in vita inito factis dicendum? R. cum P. Delrio lib. 2. Disp. mag. q. 26. sect. 7. Casparo Schotto in Physica curiosa in appendice ad librum secundum de mirabilibus spectrorum cap. 1. hoc satis esse periculosum, ne diabolus more suo aliquod figmentum adducat: consequenter videat talis, ne comminationi universali se exponat: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Veruntamen, si pactum ineat conditionatum, si DEO placeat, ad salutem animæ conducat, atque debitæ apponantur conditiones, ne dæmon cuiquam illudere queat, per se loquendo non videtur illicitum: id enim practicavit beata Lutgardis apud Cantipratensem lib. 2. Vitæ Lutgardis, id alii viri pii simul, ac docti. Conditiones verò omnem delusionem devitantes videntur, si anima clara voce JEsum sibi propitium fieri, invocet, aut aliàs aliquam actionem ex objecto piam & devotam faciat. Prudentia nihilominus maxima necessaria est; cùm diabolus velut simia sanc-

N. 184

ctitatis sua ementita pietate animam hominis pessimi sanctam deprædicare, vel ceu vulpes astutissima animam aliàs piissimam barathro infernali absorptam dicere queat: quare cautè, imò cautissimè procedendum: dæmon enim simul astutissimus, simúlque pater mendaciorum eum facilè decipit, qui suæ prudentiæ, vel existimatæ sanctitati confidit.

Quæstio octava.

Quomodo dæmones annulo, vitro, aut alicui vasculo inclusi sint tractandi?

N.185 PLures magicis artibus dediti firmiter sibi persuasum habent, dæmones in phialis, annulis, aut aliis vasculis posse constringi, & includi, sed falluntur gravissimè: nullum enim est imperium magorum in dæmones, utpote naturâ sublimiores, potentiâ fortiores, ita ut nulla eis potestas super terram valeat comparari: contingit nihilominus non infrequenter, dæmones ad voluntatem magorum, vel sponte sua, vel ex coactione superiorum ac potentiorum includi fragili vitro, vel crystallo, atque mira operari: jam enim abstrusa detegunt, procul dissita manifestant, futura enuntiant, & tantùm non oracula fundunt: jam pecunias

nias in usum duntaxat pessimum afferunt, jam miras exhibent gesticulationes &c. sed quo animo? *simulat se captum* (inquit Henricus de Hassia in Genes. apud Delrium lib. 2. disq. mag. q. 30. sect. 2.) *ut te capiat; se victum, ut te vincat; se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat; à te inclusum, ut contra te finaliter concludat. Fingit se tua arte vel imagini vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat.*

Quare, cùm satis molestè ad vitia diversissima impellant, atque inobedientes tyrannicè coèrceant; contingit quandoque ut homines eosdem inclusos habentes sese eorum molestiâ liberare volentes unà cum vasculo eosdem in ignem vel aquam projiciant: sed incassum: semper enim ad dominum pristinum revertuntur, tractántque duriùs, quàm tractaverint unquàm. Conqueruntur ergò, atque ad ipsos animarum Pastores, & Confessarios pro sublevamine recurrunt: quid ergo consilii? quomodo tractandi? &c. Et

Dico, dæmones inclusos non aliter N. 186
tractandos, quàm in corporibus humanis, vel domibus existentes: Ratio clara est; quia eadem super dæmones inclusos in ordine Exorcistatûs à DEO & ab Ecclesia Exorcistis tradita est potestas, quæ super dæmones homines possidentes, vel domos infestantes: ergo eadem potestate procedendum. Quare, si quis fortè dæmo-

monem incluſum habens coram Confeſſario compareat, ſequentia ſerventur.

Primò jubeat Confeſſarius doloroſam deponere confeſſionem, S. Synaxi tanquam præſentiſſimo ſimul ac efficaciſſimo contra dæmonum inſultus remedio refici, actus deteſtationis contra dæmonem præſentem elicere, eíque totaliter abrenuntiare: DEUM verò ter Optimum Maximum humili mente pro remiſſione peccatorum, atque auxilio dæmonis fraudes impoſterum devitandi præſtando invocare.

Secundò jubeat dæmonem incluſum ſibi extradi cum certa fiducia, eundem haud ampliùs more ſolito reverſurum, dummodo bonis operibus jugiter intentus, conſtans in fide fortiter reſiſtat, atque à peccatis, præſertim gravibus, ſibi caveat.

Tertiò moneat eundem, ne impoſterùm diabolicis attendat ſuggeſtionibus, neve timeat, ſi fortè ſub quacunque forma vel figura ſibi appareat, atque verbera aut mortem ipſam minitetur; quin potiùs per præceptum in SS. Nomine JEſu factum illico à ſe repellat.

Quartò confeſſarius poſt diſceſſum alterius DEum præprimis humilibus precibus pro adjutorio præſtando interpellet, dæmonémque non nugis & inanibus geſticulationibus, ſed modo Judicem ſpiritua-

tualem condecente deteſtetur, & objurget: denique Vaſculo, in quo dæmon incluſus ſervatur, coram ſe quaſi pro tribunali ſedente, collocato, præceptum ſequens expulſivum formet:

Exorciſmus ad dæmonem annulo incluſum expellendum.

COntra te maledicte dæmon, rebellis Creatori tuo, & Creatori meo, apoſtata à DEO tuo, & DEO meo, qui quaſi captivus, homines captivare & æternùm perdere intendis, conſtitutus ſum Ego N. Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, ideo auctoritate & poteſtate accepta in Ordine Exorciſtatus tibi præprimis in Virtute S. Trinitatis, & in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti præcipio, ne in diſceſſu tuo nec minimum mihi, nec aliis, aut quibuscunque rebus nocumentum inferre præſumas, neque minimum excites, vel poſt te fœtorem relinquas. Eadem authoritate & poteſtate in Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti tibi præcipio, ut totaliter recedas, & fugias, nec impoſterum ullam ampliùs habeas N. 187.

potestatem revertendi ad creaturam illam, quæ te mihi tradidit, nec eam quocunque modo molestandi vel vexandi. Fuge ergo & recede spiritus immunde, & apostatice: sic enim impero tibi in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Poterit Exorcista sedens ad ultimum præceptum, cùm dicit: *fuge ergo & recede &c.* in opprobrium dæmonis vasculum confringere, & pedibus conculcare, atque fragmenta igne priùs benedicto comburere.

Epilogus.

N. 1388. SEd en, optime Exorcista! ea mente tibi addictissima totum Armamentarium Ecclesiasticum finio, quâ sinceriſſimâ inchoavi: tu arma selige, cùm jucunditate præliare prælia Domini: licèt enim magna potentia dæmonum, licèt fortes eorum insultus, licèt multos sub eorum vexillo militantes adversarios habeas, major nihilominus, & infinities major potentia Capitis, Ducis, & Antesignani tui: DEus est omnipotens, & quis resistet? DEus est infinitè misericors, & quis auxilium desperet? Audi ipsam Cœli Reginam Mysticæ Civitatis parte 3. l. 8. c. 7. n. 532. apud Venerab. Matrem Mariæ de JEsu te alloquentem: *Quamobrem accingi te volo, & Divinæ gratiæ favo-*

re

re disponi, neque draconis potentiam admirari, neque tuam te miseriam arctari oportet. Nosti enim luciferi adversùs me unam furorem longè fuisse majorem, quàm adversùs quamlibet aliam, imo omnes puras creaturas simul; quem, cùm tamen gloriosè devicerim, Domini virtute obarmata, tu profectò eâdem armatura præmunitus frontem ei tenere, & resistere poteris. Neque refert debilem adeò te esse, & qualitatibus illis, quibus tibi opus esse videtur, destitutum: scire enim te velim, Divinissimum Filium meum modò esse quasi Regem aliquem, cui milites desunt, & subditi: quare promiscuè omnes admittit, quicunque militiæ suæ nomen dare gestiunt. Tu ergò animum erige, ut Satanam vincas in eo, quod tuum est; postmodum verò Dominus ad acriores pugnas te armabit. Notum autem tibi hic denique facio, Ecclesiam nunquam ad extrematam flebilia, in quibus hodie constitutam vides, fuisse deducendam, si in ea plures fuissent animæ, quæ causam & bonorem DEI defendendum in se suscepissent, sed enim sola jam admodum & ab ipsis filiis suis, quos enutrivit, planè derelictissima, & contempta est sancta Ecclesia. Hæc tibi dicta recogita, & vale.

Appendix.

Variarum Benedictionum tum Pro maleficiatis, tum aliis etiam infirmitatibus naturalibus curandis.

HAud ingratum me Benevolis Lectoribus futurum arbitror, si Armamentario Ecclesiastico quasdam Benedictiones subnexuero: plura quippe de efficacia rerum ab Ecclesia benedictarum dicta, etiam Benedictiones communiores saltem in compendio conscriptas, exposcunt, nè à quibusdam ob defectum aliorum fortè librorum munus Exorcisticum summè aliàs meritorium negligatur, aut certè, nè Exorcistæ in iis conquirendis tædiô afficiantur. Priùs tamen ad Benedictiones ritè faciendas breviter quædam documenta necessariò præmittenda videntur, ut eò certiùs felicem fortiantur effectum. Quare

Primò, Benedicturus aliquem hominem, vel rem benedictam ei præbens, recogitet, confidentiam in DEum, atque robo-

roboratam fiduciam tantæ esse virtutis, ut cunctas ægritudines expellat, ac morbos sanet: sic enim Marci 16. appromisit Christus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: -- super ægros manus imponent, & bene habebunt. Quibus verbis* ait Alphonsus à Castro, verb. *Exorcismus, Christus promisit, se nunquam illorum invocationi defuturum, qui Nomen ipsius invocaverint.* Et Joan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipse faciet, & majora horum faciet.* Quinimò parte prima armamentarii cap. 3. q. 3. jam probavimus, perfectam in DEum fiduciam homines, sano in sensu, facere velut omnipotentes, ita, ut quidquid petierint, obtineant.

Secundò, perfectam fidem ac fiduciam requiri nedum in curante, sed etiam in eo, qui curandus est: sic enim in toto Evangelio semper legitur, Christum volentem curare quemquam, fidem exegisse, prout Matth. 9. duobus cæcis dixit: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Et mox: *secundùm fidem vestram fiat vobis.* Sic pariter aliàs effectum sanitatis fidei attribuit, dicens: *fides tua te salvam fecit.* Quinimo ordinariè vix legitur, Christum curâsse quemquam, nisi fide ipsius præcedente: non ergo mirum, si Sacerdotes, aliique Ecclesiæ Ministri eandem similiter exigant.

Tertiò, cum parvuli incapaces, sint eliciendi actus fidei & fiduciæ, parentes, aliósve, quorum curæ subsunt, defectum debere

ſupplere: ita quippe fides chananææ ſupplevit pro filia à diabolo poſſeſſa, Matth. 15. v. 22. Fides Patris illius lunatici pro filio, Math. 17. Fides Centurionis pro ſuo ſervo ægroto, Matth. 8. v. 13. ſic & alibi. Licèt enim nemo alterius meritis juſtificari poſſit, aliena tamen fide temporalem ſalutem recipere poteſt.

Quartò. Fidem & fiduciam illam debere eſſe ſine ulla hæſitatione, ita, ut ægrotus volens ſanitatem conſequi, debeat *primo* credere, quòd DEus poſſit eum liberare ab infirmitate. *Secundò*, quòd ratione fidelitatis in omnibus promiſſis ſuis (ſi ſanitas ſit ſaluti animæ profutura) illi infallibiliter ſit conceſſurus ſanitatem. Hoc enim clarè patet ex Epiſtola Catholica Jacobi Apoſtoli cap. 1. v. 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Et mox: *non ergo æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à DEO.*

Quintò. Cùm Benedictiones Eccleſiæ non ex opere operato, ſed ex opere duntaxat operantis ſuum producant effectum, neceſſe eſt, ut Sacerdos benedicturus, fidei conſcientiæ puritatem pariter conjungat: nam *DEus peccatores non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Joan. 9. v. 31. Quare magna eſt diſparitas inter benedictiones puras, & Exorciſmos etiam ad deſtruenda maleficia factos: exorciſmi quippe in perſona Chriſti facti ex opere operato producunt effectum, ut

parte

parte prima cap. 1. quæst. 4. dictum: non sic Benedictiones.

Sextò. Licèt ordinarius exorcizandi modus sit sedendô exorcizare quemquam, benedictiones nihilominùs standô, & manus supra infirmos ponendô, dandæ sunt, conformiter verbis Christi Marc. 16. *Super ægrotos manus imponent,& benè habebunt.* Porrò ratio dispar, cur Exorcismi sedendô, benedictiones standô dandæ sint, hæc potissima est, quod Exorcismi fiant ac Exorcista ceu Judice in Persona Christi aliquid præcipiente dæmoni: Econtra benedictiones tantùm deprecativè; licèt enim Christus Luc. 4. v. 39. imperaverit febri, ut dimitteret socrum Petri; id tamen fecit quà Dominus vitæ, & mortis potestatem habens: Cùm ergò Sacerdotes tanta potestate careant, non imperandô, sed DEum deprecando procedant.

Quare universaliter, & pro semper observandum censeo, quòd Sacerdos benedicturus hominem, pecus, stabulum, aut aliud maleficiô infectum, simplici Benedictione deprecativa nunquam contentus esse, sed juxta potestatem sibi in ordine Exorcistatûs traditam, etiam præceptum contra dæmonem formare debeat, saltem in fine Benedictionis deprecativæ subjungendo v. g.

Et Ego N. quà Minister Christi,& Ecclesiæ tibi dæmon, vel si plures estis, vobis dæmo-

Nomine Domini nostri JEsu Christi præcipio, ut omne maleficium factum illicò tollatis, ac unà cum omnibus vestris fœcibus recedatis, & nunquam reverti præsumatis: ita jubeo, & præcipio in Nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Hæc sunt potissima documenta; quibus servatis facilè diversæ infirmitates, naturales etiam sæpè absque medicina corporali curantur, prout optimè inter alios plurimos SS. Patres docet S. Macarius Ægyptiacus Hom. 48. apud R. P. Joan. Baptist. Sanit. Jure, *de Regulis & votis statûs Religiosi*, Artic. 8. *de paupert.* ubi admonet suos Monachos infirmitatibus etiam naturalibus non in Medicinis temporalibus, sed spiritualibus habere confidentiam, & ait: *Si rectè credidissetis, JEsum Christum vulneribus & infirmitatibus animæ posse mederi, credidissetis pariter, Eundem habere potestatem medendi infirmitatibus corporalibus: atque in fide illa, infirmitate quadam laborantes, unicum refugium ad illum habuissetis, minimè solliciti de Medicis, eorumdémque medicinis: si enim potestatem habeat periculosissimis, & fermè incurabilibus vulneribus, qualia sunt vulnera animæ, medendi, pariter potestatem habebit curandi vulnera corporalia, utpote longè minora. Sed objicies: cùm DEus radicibus & herbis terræ virtutem dederit nostras curandi infirmitates, Medicis etiam scientiam nobis subveniendi, Eum pariter velle, nos necessi-*

tate cogente ad illos recursum habere. ita est fateor: sed considera, pro quibusnam hominibus Deus similia creaverit: pro solis enim infidelibus ipsum non agnoscentibus, illisque sæcularibus. Christianis, quibus animus deficit, se cælô quasi modô illius divinæ Providentiæ committendi, hæc creata sunt: Verùm tu mi Religiose, qui longè alio fœdere Deo conjunctus es, qui Dei Filius adoptivus, & longè altioris spiritûs esse desideras, longè etiam vivacioris, & majoris fidei altiorúmque cogitationum esse deberes. Hæc Sanctus sanctè imitandus. Quare sequitur

Oratio præparatoria ante quamcunque Benedictionem pro opportunitate temporis recitanda.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus,

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo Nomine dignè, perfectéque ab his agitur, à te fieri credatur. Quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modò visitaturi sumus, visites, quidquid benedicturi, bene † dicas, & ad ea, quæ acturi sumus, dexteram tuæ Potentiæ extendas, fiátque ad nostræ humilitatis ingressum, & introi-

tum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus, per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio aquæ contra maleficia.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Bene † dic omnipotens DEUS hanc aquam, quam ad usum humani generis ad abluendum omnium peccatorum crimina præstitisti, ut invocato super ea nomine tuo sancto, quicunque in ea lotus fuerit, vel ubicunque aspersa fuerit, seu à qualibet creatura rationali potata, salutaris tui munus invisibile per hanc aquam tribuatur, ut omne, quod sordidum est, effugetur, & tuæ pietatis beneficium in omnibus convalescat. Per Dominum nostrum JEsum Christum &c. Amen.

Oremus.

Domine sancte Pater, æterne DEUS, exaudi preces nostras, sicut exaudire dignatus es famulum tuum Moysem in mari rubro, propter hoc, quia Pharao in populo tuo cor suum exacerbavit, ut ipsum manu sui exercitûs necaret: & sicut Heliseus Propheta, cum populus tuus aquam gustare non posset, sal accepit, & pro-

projecit ad exitus aquarum, & benedixit eas, & dixit: Sanavit Dominus aquas istas, & non erit in eis mors, neque infirmitas, & sanatæ sunt aquæ: ita tu Domine sana aquam istam, & ubicunque aspersa fuerit per domos, sive angulos domorum, & ubicunque maleficium diabolicum delatum fuerit, statim confusum, & increpatum abscedat, & fugiat, & sit nobis Domine hæc aqua aspersa, aqua omnis virtutis, aqua refrigerans, & diaboli interitus: & liberatus hic famulus tuus N. laudes, & gratias tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, agat sempiternas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio aquæ Ignatianæ, uti vulgò vocatur.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini &c.

Oremus.

Bene † dic Domine, Creaturam istam aquæ, ut sit remedium generi humano, & præsta per piissimam misericordiam tuam, per JESU Christi sanguinem, ac interceſſionem S. Ignatii, & Omnium Sanctorum, ut quicunque ex ea sumpserit, liberationem ab omnibus malis, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiat per Dominum &c.

Antiph. Hic vir despiciens mundum, & terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore manu.

℣. Ju-

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum DEI.

Oremus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, quas in S. Ignatii Confessoris tui commemoratione deferimus: ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, meritis adjuvemur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre &c.

Oremus.

DEus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius, ut qui S. Ignatii glorioſa merita colimus, ejus pia patrocinia sentiamus.

DEus, qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam novô per B. Ignatium subsidiô militantem Ecclesiam roborâsti: concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas &c.

Deinde Reliquia, vel metallum S. Ignatii mittantur in aquam, dicatúrque.

Confer, Benignissime Domine DEus, per contactum reliquiarum (metalli) sancti tui Ignatii aquæ huic virtutem sanandi corpus & animam, pellendi quoque omnia mala ab hoc loco, ejúsque incolis in Nomine Pa†tris & Fi†lii & Spiritus † Sancti, Amen.

Be-

Benedictio Balnei, Unctionis, Medicinæ, vel Brodii medicati.

Mutatis mutandis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Domine exaudi &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Quæſumus clementiam tuam, æterne DEus, ut hoc Balneum (vel unctionem, Medicinam, vel Brodium &c.) ad expellendas omnes ægritudines, & fugandas diabolicas virtutes, & maleficorum infeſtationes, imò & ipſos dæmones à corporibus humanis, quod in nomine ſancto tuo, & ſancti N. bene † dico, & ſanctifico, ſic tu Omnipotens, & Clementiſſime Deus, bene † dicere & ſanctificare piiſſime DEus digneris, & in omni, qui in eo balneaverit extingue febrium infeſtationes, viſcerum tormenta cura, cordis & capitis dolores, & paſſiones cunctas diſſolve, gravitates pectoris remove: infeſtationes cunctas à quibusvis partibus corporis reſolve: phantasmaticis adeſto periculis, tumorésque compeſce. Sit hoc Balneum expulſio præſentis morbi: & fugiant diaboli cum omnibus ſuis ſociis, facturis & armis. Exorcizo te † creatura Balnei in nomine JEſu, ut virtutem naturalem retineas, ſupernaturalem recipias adjurata in nomine Chriſti. Bene † dic, ô Domine hoc Balneum, & virtus Spiritûs Sancti ſit ſuper illud, ad evacuanda

cuanda, & deſtruenda, annihilanda, & eradicanda è eorpore humano maleficia cuncta, cujuscunque generis ſint: & ſimul ad expellendum ipſum dæmonem.

Prout ego N. Sacerdos tuus bene † dico, exor † cizo, & ſancti † fico, & benedictiones cunctæ ſervorum DEI ſint ſuper te, ô Balneum, & ſis potens ad effugandos dæmones cum ſuis facturis, & armis diabolicis. Tandem benedictio ſancti N. ſit ſuper te † in Nomine Pa † tris & Fi † lii & Spiritus † Sancti. Amen.

Alia Benedictio Balnei pro maleficiatis.

Exorcizo te unda Balnei per DEum Pa † trem, per DEum Fi † lium, per DEum Spiritum † Sanctum, per DEum, qui ſimile lavacrum Moyſi ſervo ſuo fieri mandavit, dicens: facias labium æneum cum baſi ſua ad lavandum: per DEum, qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: per DEum, qui nos per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti in filios adoptionis accepit, ne tibi aliquid commune ſit cum ſpiritibus immundis, ſed ſanctificeris, ut ſis Chriſti fidelium purgatio, & immundorum ſpirituum abdicatio, atque maleficiorum omnium ab homine, ſive à diabolo factorum exterminatio, ita, ut quicunque ex te corpus ſuum laverit, Divinam in te virtutem ſentiat affuiſſe.

Per

Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEus, ante cujus conspectum tremunt Angeli, infernus ululat, qui Judith ancillæ tuæ, quæ corpus laverat, & ornaverat, tantam gratiam donare dignatus es, ut fieret Holofernicida, & populum suum ab obsidione liberaret, bene † dicere, & sanctificare dignare hoc ablutionis genus, ut quisquis ex eo corpus suum laverit, valeat Holofernis infernalis interimere virtutem, & ab ejus vexatione liberari, atque ab omni maleficiorum genere misericorditer, te præstante, salvari. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui aquâ in pelvim missâ discipulorum suorum pedes humiliter lavit, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio cerevisiæ, vini, vel alterius potabilis materiæ.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Domine DEus, Pater Omnipotens, statutor omnium elementorum & fructuum, qui per JEsum Christum Filium tuum Dominum nostrum, substantiam hanc

hanc in refocillationem ſitis, & corporum ſalutem eſſe voluiſti; te ſupplices deprecamur, ut exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu ſancti † fices: atque ita omnium ſpiritunm immundorum ab ea recedat incurſio, ut quicunque ex ea ſumpſerit, ei gratia tuæ benedictionis adveniat, & mala omnia te propitiante ab eo procul recedant. Per eundem Dominum noſtrum &c. Amen. *Aſpergatur aquâ benedictâ.*

Benedictio ad quodcunque commeſtibile.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Benedic † Domine creaturam iſtam N. ut ſit remedium ſalutare generi humano: & præſta per invocationem ſancti Nominis tui, ut quicunque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum &c.

Aſpergat id aquâ benedictâ in modum crucis.

Benedictio ſimplex crucis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Rogamus te, Domine ſancte, pater Omnipotens, æterne DEus, ut digneris bene † dicere hoc lignum crucis, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas

ditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen & protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

Bene † dic Domine hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à Dæmonum potestate, & superâsti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per lignum vetitum: bene † dic etiam Domine, & sancti† fica istud signaculum sacræ passionis tuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus perpetuum perfice auxilium. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Aspergatur aqua benedicta.*

Benedictio Cubiculi.

℣. Adjutorium &c.

Oremus.

Bene † dic, Domine DEus Omnipotens, locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio DEO Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eùmque, & ejus habitatores custodiant, & defendant contra omnes insidias inimici: & si quæ adversa, & contraria sunt ab eo in hoc

loco machinata & fabricata, auctoritate majestatis tuæ expeliant. Per Christum Dominum &c. ℟. Amen.

Oremus.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & bene † dic locum istum dexterâ tuâ sanctâ, & omnes, qui in eo commorantur, illúmque visitare, & inhabitantibus gratiam sanctitatis impertiri digneris, sicut benedicere dignatus es cubiculo, & domui, in quo exceptus fuit hospitio Prophetæ Elisæus; & sicut visitâsti, & sanâsti socrum Petri; mitte, Domine, sanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet & defendat hunc locum ab imminentibus malis cum omnibus, qui in eo commorantur, nulláque eos nequitia contrariæ potestatis infestet, sed virtute Spiritus sancti fiat hic tibi debitum, & devota libertate securum servitium. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

Benedictio domûs novæ.

℣. Adjutorium nostrum &c. &c.

Oremus.

Te DEum Patrem Omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus, ut eam benedicere †. & sanctificare †, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, & de pinguedi-

guedine terræ vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergò noſtrum benedicere † & ſanctificare digneris † hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Jacob: & intra parietes domûs iſtius Angeli tuæ lucis inhabitent, eámque, & ejus habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum. &c. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

Benedictio domûs alia.

NB. *Quando benedicitur domus, accendatur candela benedicta, & Crux antecedat.*

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit &c.

Oremus.

NB. *Sequitur deinde Oratio præparatoria mox ſuprà ante benedictiones poſita, qua dicta proſequatur ulteriùs Sacerdos.*

Oremus.

Domine ſancte Pater per merita ſancti Ubaldi Epiſcopi benedic domum iſtam † benedic introitum noſtrum † benedic † ingreſſus pedum noſtrorum, ſicut dignatus es domum Patrum noſtrorum Abraham, Iſaac, & Jacob benedicere †. O Domine JEſu Chriſte, quæſumus, qui dixiſti Diſcipulis tuis: in quamcunque domum intraveritis, ſalutate eam, dicentes:

Pax huic domui; veniat pax illa ſuper domum iſtam, & ſuper omnes famulos, & famulas tuas, & eos Domine omni infirmitate eripere, & liberare digneris: & repleas centeſimo fructu vini, olei, & frumenti, & in fututum illis concede gratiam æternam. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Bene † dic domine Domum iſtam, & locum iſtum, cum ædificiis ſuis, & ſit ibi ſanitas, ſanctitas, virtus, & gloria, atque humilitas, bonita, & manſuetudo, lenitas, & plenitudo legis, obedientiáque DEO Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Hæc benedictio † ſit ſuper domum iſtam, & ſuper locum iſtum, & ſuper omnes habitantes in eo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

† Sancti Angeli DEI deſcendant in hanc domum, & eam defendant, & protegant ab omnibus dæmonibus, & facturis per pietatem DEI ſemper. Amen.

Conſerva Domine domum iſtam in æternum impollutam. quam à ſpiritibus immundis flagellantibus nunc mundo † purgo † benedico † & ſanctifico †. Egrediatur fons de domo tua Domine ſuper domum iſtam, ut irrigetur miſericordiâ tuâ, & dic Angelo percutienti: ceſſet jam manus tua, appareat Majeſtas tua, & ſancti † ficet hoc habitaculum. Sancta Maria, invoco Nomen tuum ſuper hanc domum

&

& locum, benedic eum, quia tu es Mater misericordiæ, & Consolatrix afflictorum. S. P. Ubalde exurge, & per Passionem JEsu Christi benedic † & sancti † fica hanc domum, & locum, ut dæmones, & eorum maleficia non possint latere; nam ego N. Sacerdos DEI, & servus tuus in tuo nomine destruo † & annihilo facturas, & omnia maleficia facta, vel facienda in hoc loco, & bene † dico hanc domum, ut dæmones, & facturæ non possint stare, nec durare, sed nunc omnia destruantur, & deficiant. In Nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. Amen.

Peto Domine per tuam bonitatem, ut hic locus sit benedictus à tua sancta dextera, ut sit ignis ardens dæmonibus, ut semper fugiant confusi, nec ullô modô possint latere, vel die, vel nocte, & omnes habitantes securi quiescant in tua pace sine turbatione & nocumento diabolica, sed tua benedictio sit semper super hunc locum, & super omnes habitantes in eo. Amen.

Pax & Benedictio SS. Trinitatis, & S. Ubaldi descendat super domum hanc. Amen. Ut habitantes in hac domo per Nomen JEsu possint devotè orare, quietè dormire, comedere, bibere, & aliá naturalia agere, & liberè exercere. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio fontis, seu Putei.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Deprecamur, Domine, clementiam Pietatis tuæ, ut aquam putei hujus, cœlesti Benedictione † sanctifices, & ad communem vitam concedas salubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incursum, ut, quicunque ex eo abhinc hauserit, biberitve, vel in quibuslibet necessariis usibus haustâ aquâ usus fuerit, totus virtutis, ac sanitatis dulcedine perfruatur: ubi tibi semper sanctificatori omnium Domino, gratias agere mereamur. Per Christum &c. ℟. Amen.

Aspergat puteum aqua benedicta in modum Crucis.

Benedictio fœni, pascuorum, salis & aquæ pro animalibus à maleficio liberandis, ac præservandis.

℣. Adjutorium nostrum &c. &c.

Oremus.

Omnipotens æterne DEus, qui producis fœnum jumentis, & herbam servituti hominum, quique aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione, dans escam omnibus in tempore opportuno; exàudi preces servorum tuorum, & super hoc fœnum, pascua, salem, & aquam, tuam sanctissimam † Benedictionem infundere digneris, ut quæcunque animalia ex

ex eis sumpserint, ab eis discedant omnes insidiæ latentis inimici, liberentur, ac præserventur ab omni maleficio, noxa, & infestatione dæmoniaca: & à quacunque lue, peste, ac morbo contagioso: ut illis tua divina virtute adjutis, atque protectis, earum Domini ac custodes gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Christum &c. Amen.

Aspergantur dein aqua benedicta.

Benedictio communis supra fruges & vineas.

℣. Adjutorium nostrum &c.

Oremus.

Oramus Pietatem tum Omnipotens DEus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris, ac pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas: & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum &c. ℟. Amen.

Alia.

℣. Adjutorium nostrum &c.

Oremus.

Te, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur, ut misericordiâ tua jugiter nobis concedas

sufficientem messium copiam, fructuum omnium largitatem tribuas: vinearum quoque substantiam abundanter: arborum fœtus, proventúsque omnium rerum: atque ab ipsis omnibus pestiferum sydus tempestatis procellam, & grandinis fragorem, & universa mala avertere digneris. Per Christum &c. ℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEus multiplica super nos misericordiam tuam, & preces nostras benignus exaudi: ut super has fruges famulorum tuorum veniat speratæ bene † dictionis ubertas: ut repleti de frugibus tuis in tuo nomine de tua gratia semper exultent. Per Christum Dominum &c. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Herbarum quocunque tempore.

℣. Adjutorium nostrum &c.

Oremus.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, qui ab initio fecisti hominem ad imaginem tuam, & condidisti cœlum & terram, solem & lunam, stellas, omnia cœlestia & terrestria: qui dominaris potestati maris: qui habes potestatem abyssi magnæ: qui condidisti omnia elementa: tu bene † dicere, & sancti † ficare digneris has creaturas herbarum, sicut benedixisti quinque

panes

panes in deserto, & duos pisces, & satiâsti quinque millia hominum: omnésque, qui utentur ex eis, bene † dicere, & sancti † ficare dignare, ut in eis sit sanitas animæ & corporis: in nomine Patris †, & Filii, & Spiritus Sancti: & ab omnibus hominibus pecoribúsque, qui ex his gustaverint, omnem putredinem, & omne phantasma diaboli, & omnem morbum ac dolorem expellere digneris: qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Suppliciter, Sancte Pater, & enixis precibus tuam deprecamur clementiam, qui mirabiliter ex nihilo mundum creâsti, quique terram diversa proferre germina præcepisti, & varia medicamentorum genera ad sananda generis humani corpora, herbis indidisti: bene † dicere, & sancti † ficare has diversi generis herbas tua pietate digneris: ut quicunque ex eis sumpturi sunt, tam animæ, quàm corporis desiderabilem percipiant sanitatem, & intercedente Beatissima Virgine Maria, sic earum usu jucundentur salubriter, quatenus in tuorum odore unguentorum, Paradysi januas adire mereantur, præstante Domino nostro JESU Christo, qui tecum vivit & regnat Deus per omnia &c. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui universis herbarum generibus humanis necessitatibus præstitisti remedia; hanc herbarum collectionem tuæ miserationis bene † dic dexterâ: ut quisquis languore depressus, ex eis aliquid gustaverit, Ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentatus, optatæ munus salutis, te donante, percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℣. Amen

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio simplex Iconum, seu Imaginum Dei, & Sanctorum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEus: Majestatem tua suppliciter exoramus, ut Iconem hanc, in qua gloriosissimæ Imagines & Filii tui Domini nostri JEsu Christi, & gloriosæ Virginis Mariæ Matris Ejus, aliorúmque Sanctorum N. & N. depictæ sunt, bene † dicere, & sancti † ficare digneris: ante quam, quicunque ob devotionem ad ipsam adorandam se devote inclinaverint, salutem mentis, & corporis consequantur: & à cunctis periculis liberentur, & quidquid justè petierint, obtinere mereantur. Per eundem &c.

Ore-

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEUS: qui Sanctorum tuorum Imagines ſive effigies ſculpi, aut pingi non repudias; ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, & ſanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc, quæſumus, imaginem, ſeu ſculpturam, in memoriam & honorem tui: (*vel*) Unigeniti Filii Domini noſtri JESU Chriſti: (*vel*) Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Ejus; (*vel*) Beati N. Apoſtoli tui; (*vel*) Martyris: (*vel*) Confeſſoris: (aut) Pontificis; (aut) Virginis adaptatam, bene † dicere, & ſancti † ficare digneris: Et præſta, ut quicunque coram illa, te (vel) Filium tuum, (vel) Beatiſſimam Virginem (vel) glorioſum Apoſtolum, Martyrem, Confeſſorem, (vel) Virginem, ſuppliciter honorare ſtuduerit, illius precibus. & obtentu à te gratiam in præſenti, æternam gloriam obtineat in futuro. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Aſpergantur in modum Crucis aquâ benedictâ.

Benedictio pro infirmis, præſertim febricitantibus.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit &c.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

O Beatissima Virgo Maria sine labe concepta, quæ contrivisti caput serpentis, fugatrix dæmonum, & omnium maleficiorum dissipatrix, & consolatrix afflictorum, nè hæc creatura ulteriùs crucietur febribus (vel infirmitatibus) succurre, & preces nostras, quas auribus tuæ pietatis, & misericordiæ offerimus, exaudi, ut desideratam sanitatem tuo pio interventu obtineat, largiente JEsu Christo Filio tuo Crucifixo, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat &c.

Oremus.

Ne despicias, quæsumus, Redemptor noster, me indignissimum Sacerdotem (N.) Ministrum tuum, sed sicut tradidisti mihi potestatem quotidiè offerendi æterno Patri tuo immaculatissimum Corpus, & pretiosissimum Sanguinem tuum ad Altare in remissionem peccatorum totius mundi, ita nunc reple impositionem manuum mearum omni benedictione tua † cœlesti: qui vivis & regnas &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

† Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore surgens JEsus de Synagoga intravit in domum Simonis, socrus autem tenebatur magnis febribus, &

roga-

rogaverunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam imperavit febri, & dimiſit illam.

Sic liberet te per merita Paſſionis ſuæ, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſine labe conceptæ, B. Joſephi, Joachim & Annæ, B. Patris Franciſci, S. Antonii de Padua, S. Petri de Alcantara, B. Salvatoris ab Horta, B. Alberti, & omnium Sanctorum † JEſus Nazarenus Rex Judæorum natus ex Maria Virgine, per ineffabilem pietatem, & miſericordiam ſuam piiſſimam, & per interceſſionem Ejusdem B. V. Mariæ, & ſanctorum Angelorum, Sanctorúmque omnium, & maximè Apoſtolorum, & Evangeliſtarum ſuorum Joannis, Matthæi, Marci, & Lucæ, ipſum nunc quæſo Filium Mariæ plena fide & fiducia. ut dignetur te liberare, ab omni febre, & infirmitate animæ & corporis, & ab omni infeſtatione Sathanæ, & miniſtrorum ejus, qui cum Patre, & Spiritus S. &c.

Chriſtus Rex venit in pace, Deus homo factus eſt, & ſanabat infirmos.

Poſteà dicitur.

Per Evangelica dicta deleatur infirmitas tua. Amen.

Antiphona.

Miſerere Domine hujus famuli tui (vel famulæ tuæ) quoniam infirmus eſt, ſana eum Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa ejus.

NB. *Tempore Paſchali additur duplex Alleluja.*

℣. Do-

℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens æternæ Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo (vel famula tua) pro quo Misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia referat actiones. Per Christum Dominum nostrum &c.

NB *Postea signetur ægrotus in fronte his SS. Nominibus, & signô* †. *digitô in aqua benedicta intinctô.*

†

IHS † MARIA.

Postea dicatur.

JEsus, & Maria, te cum Prole pia benedicat immaculata Virgo Maria. Potentia DEI Patris †. Sapientia DEI Filii †. Virtus Spiritûs Sancti †. liberet te ab omni febre, tertianâ, quartana, continuâ, & malignâ. Beatissima Virgine Maria sine labe concepta, & B. Salvatore ab Horta orantibus pro te famulo suo (vel famula sua) Dominus te bene † dicat, & ab omni infirmitate, & ab omni malo te semper defendat. Amen.

NB.

NB. *Postea imponat Sacerdos manum dexteram capiti ægrotantis, & dicat:*

Super ægrotos manus imponent, & benè habebunt. Jesus Mariæ Filius, & mundi salus, & Dominus, meritis B. V. Mariæ sine labe conceptæ, B. Josephi, Joachim & Annæ, SS. Francisci, Antonii Paduani, Petri de Alcantara, Vincentii, & BB. Zenobii, Guilielmi, & Nicolai de Tolentino Confessorum suorum, & Omnium Sanctorum, restituat tibi sanitatem mentis & corporis juxta suam sanctissimam voluntatem, & beneplacitum, sit tibi propitius & clemens. Amen.

NB. *Deinde ægrotans aspergatur aqua benedicta, decátque Sacerdos:*

Benedictio DEI Omnipotentis Patris †. Et Filii †. Et Spiritûs † Sancti descendat super te, & maneat semper. Amen. Per signum sancti Spiritûs det tibi DEus sanitatem mentis & corporis.

NB. *Postea ægrotanti detur in aqua benedicta ad sumendum (si fieri potest) aliqua Schedula Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ;* ubi observentur *ea, qua in 1ma parte Armament. cap. 5. de Schedulis Marianis dicta sunt.*

Bene-

Benedictio B. Salvatoris ab Horta Franciscani contra febres.

Potentia Dei Patris †. Sapientia DEI Filii †. Virtus Spiritûs Sancti † liberet te ab omni febre tertiana, quartana, & continua B. Salvatore orante pro te famulo suo (vel famula sua) †

Dominus te N. benedicat †. ab infirmitate, & ab omni malo semper defendat. Amen.

Benedictio Ven. P. Joannis de S. Guilielmo super infantes infirmos.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii secundùm Matthæum cap. 8.

Cùm autem JEsus introisset Capharnaum, accessit ad Eum Centurio, rogans eum, dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur, & ait illi JEsus: ego veniam, & curabo eum: & respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus, nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: vade, & vadit, & alii: veni, & venit: & servo meo: fac hoc, & facit. Audiens autem JEsus miratus est, & sequentibus se dixit: amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël, dico autem

autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium: & dixit JEsus Centurioni: vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Laus tibi Domine. *Dom. 3. post Epiphan.*

Sacerdos dicat:

Per † Evangelica dicta, deleantur nostra delicta. Amen.

℣. Adjutorium nostrum &c.

℟. Qui fecit &c.

Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde. Alleluja. *Tempore Paschali dicatur ter.*

℣. Domine exaudi &c.

℟. Et clamor meus &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo N. infirmo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Dominum nostrum &c.

Bene†dicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur

tur tui: convertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.

Dominus bene†dicat te, & liberet ab omni malo, & ab omnibus inſidiis inimicorum.

Dominus JEſus Chriſtus apud te ſit, ut te † defendat. Intra ſit, ut te † conſervet. Ante te ſit, ut te † ducat. Supra tē ſit, ut te † benedicat, & liberet ab omnibus maleficiis, incantationibus, facturis, & ſignaturis: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

† JESUS † MARIA †

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. JEſus Mariæ Filius, mundi ſalus & Dominus, meritis BB. Vincentii, Zenobii, Guilielmi, & Nicolai de Tolentino Confeſſorum ſuorum, reſtituat tibi ſanitatem, ſitque tibi propitius & clemens.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris † & † Filii & † Spiritus Sancti deſcendat ſuper te & maneat ſemper. Amen.

Conſpergat ægrotum aqua benedicta & dicat:

Benedicat, & cuſtodiat te Omnipotens DEus † Pater, & † Filius, & Spiritus † Sanctus. Amen.

Benedictio lecti pro maleficiatis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Domine ſancte Pater, qui caſtigando nos ſalvas, deprecor Majeſtatem tuam ſuper hunc lectum, & ſuper hanc domum, & ſuper omnia, quæ ſunt in ea, & ſuper has plumas. Quia omnia bene†dico, puri†fico, exor†cizo, atque ſancti†fico, per Nomen ſanctum tuum, & ſervi tui S. Antonii Paduani, quem deprecor, ut ſit in noſtro auxilio, & omnium creaturarum: ſic & tu Domine benedicere † & ſanctificare digneris hunc lectum, domum, & omnia, quæ ſunt in ea, & has plumas, ut quisquis, & præcipuè hæc creatura N. ſuper has plumas, & lectum proſtrata fuerit, dormiat, & tuam benedictionem recipiat, & ſecura quieſcat: imò omnis ſpiritus immundus, omne phantaſma, omne maleficium, vel factura, ligatura, ſignatura, & omne opus quomodolibet diabolicum, in lectum, vel plumas has, vel domum, factum deſtruatur, annihiletur, exterminetur, diſſipetur, expellatur, elongetur, quantum eſt elongatum cœlum à terra, lux a tenebris, nec amplius revertatur: Et ego N. Sacerdos DEI deſtruo & extirpo, & annihilo, ut non revertatur, & ſpiritus maledictos thorum, domum, & tuas creaturas violare volentes contero, & diſperdo; Et tandem Domine multiplica tuas ſanctas benedictiones ſuper lectum, & has plumas, & domum, & ſuper creaturas, quæ

habitant in ea, nam ego omnia bene † dico, & sancti†fico Sacerdotali auctoritate † quâ fungor, in Nomine Patris † & Filii, & Spiritus † Sancti. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio generalis cujuscunque loci.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic † Domine Deus Omnipotens locum istum, (vel domum istam) ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & hæc Benedictio † maneat super hunc locum, & super habitantes in eo nunc & semper. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio quarumcunque medicinarum.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Summe Deus, qui summa, & media, imáque custodis, qui omnem creaturam intrin-

intrinsecùs ambiendo concludis, sancti†ficare, & benedicere digneris hanc medicinam, & bene†dictionem tuam super eam digneris effundere, ut per tuam sanctissimam virtutem, & copiosissimam benedictionem per signum sanctæ Crucis† impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ hanc medicinam sumptura est, expellatur, & annihiletur, tantamq; virtutem merito Passionis tuæ, & vivificæ Crucis † recipiat, ut omnes immundos spiritus, incantationes, ligaturas, signaturas, facturas, & omnia maleficia possit expellere, & divertere à famulo tuo, qui ea utetur, exhibeatque ei plenum sanitatis effectum. Per Christum Dominum &c. Amen.

Oremus.

Benedico te, creatura medicinæ, in nomine Altissimi Patris† & Filii † & Spiritus† Sancti, qui te creavit pro tutela humani generis. Et rogamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura medicinæ famulo tuo, qui eâ utetur in nomine SS. Trinitatis efficiatur salutare remedium, sitque perfecta medicina in visceribus ejus. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio alia medicinæ, vel cujuscunque Comestibilis.

℣. Adjutorium nostrum &c.

℟. Qui fecit &c.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Ben†dic Domine, creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano, & præsta per invocationem sancti Nominis tui, ut quicunque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio mulieris prægnantis ubi aut Matris, aut infantis vita periclitatur.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣Salvam fac ancillam tuam.
℟. DEus meus sperantem in te.
℣. Esto illi Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, hæc famula tua ab omnibus semper muniatur adversis. Per Dominum nostrum &c.

Oremus.

Domine DEus, omnium Creator, fortis & terribilis, justus & misericors: qui solus bonus & pius es, qui de omni malo liberas Israël: qui electos Patres munere Spiritûs tui sanctificâsti: qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum esse mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparâsti: qui Joannem Baptistam Spiritu Sancto repleri, & in utero Matris exultare fecisti: accipe sacrificium cordis contriti, ac fervens desiderium famulæ tuæ N. humiliter supplicantis, pro conservatione prolis debilis, quam ei dedisti concipere; & custodi partem tuam, & defende ab omni dolo, & injuria dicti hostis: ut obstetricante manu misericordiæ tuæ, fœtus ejus ad hanc lucé veniat incolumis, ac sanctæ regenerationi servetur, tibiq; in omnibus jugiter deserviat, & vitam consequi mereatur æternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea aspergatur aqua benedicta in modum Crucis dicendo Psalmum 66. Deus misereatur nostri &c. Gloria Patri &c.

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

℣. Angelis suis mandet de te,

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Visita, quæsumus, Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea, & à præsenti famula tua longè repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui eam, & fœtum ejus ab omni adversitate, & mortis periculo, tua benedictione custodiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio DEI Omnipotentis, Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio olei simplicis.

℣. Adjutorium nostrum &c.

℟. Qui fecit &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Exor-

Exorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem † Omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma satanæ eradicare & effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis & corporis, in nomine DEI Patris † Omnipotentis, & JEsu † Christi Filii ejus, Domini nostri, & Spiritûs Sancti † Paracliti, & in charitate ejusdem Domini nostri JEsu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus Omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitiũ spirituale cognoscitur, dignare respicere, & bene † dicere, & sanctificare † hanc creaturam olei, quam ex olivarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandâsti, quatenùs sanitate recepta, tibi DEO vivo & vero gratias agerent: præsta quæsumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine bene † dicimus, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque

cunctis insidiis inimici liberentur, & cunctæ adversitates separentur à plasmate tuo, quod pretioso sanguine Filii redemisti: ut nunquam lædatur à morsu serpentis antiqui: Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium, qui tecum &c.

Aspergatur aqua benedicta.

Alia Benedictio olei contra maleficia

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Emitte, quæsumus Domine, Spiritum sanctum tuum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis, & corporis, ut tua sancta Benedictione sit omnibus hoc unguento cœlestis medicinæ perunctis tutamen mentis, & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnésque infirmitates, omnémque ægritudinem mentis & corporis, & si quod illis adversantium spirituum adhæreat nocumentum, ad tactum, & sumptionem sanctificati olei hujus abscedat, nullus spiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Alia

Alia Benedictio olei ex Lampade cujuscunque Sancti, quo ungantur Infirmi.

℣. Adjutorium noſtrum &c.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Eſto illi turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper eum.
℟. Quemadmodum ſperavit in te.

His dictis, ungit infirmum in fronte, dicens:

Per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & B. Felicis, ſecundùm ſuam piiſſimam miſericordiam liberet te Deus à præſente infirmitate, & ab omnibus malis mentis, & corporis, in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. Amen.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Exaudi nos Omnipotens æterne Deus pro famulo (vel famula tua) quem modò in nomine tuo unximus, & intercedente gloriosa Filii tui Genitrice V. Maria, & B. Felice, & omnibus Sanctis, præsta, ut hujus unctionis virtutem sentire valeat, atque ab omnibus malis animæ & corporis liberetur. Per Eum, qui tecum vivit & regnat DEUS per omnia sæcula sæculorum. Amen.

NB. *Sine Stola, prout decrevit S. Congregatio apud P. Sannig.*

Benedictio in peste animalium.

℣. Adjutorium &c.

℟. Qui fecit &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Misericordiam tuam Domine, supplices exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine, atque tuæ Bene ✝ dictionis virtute, sanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica potestas, ne ulteriùs ægrotent, tu eis Domine sis sustentaculum vitæ, & remedium sanitatis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio salis pro animalibus.

℣. Adjutorium nostrum &c.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS invisibilis, & inæstimabilis, pietatem tuam per sanctum & tremendum Filii tui nomen suppliciter deprecamur, ut in hac creatura salis Benedictionem † & potentiam invisibilis operationis infundas: ut animalia, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cùm ex eo acceperint, vel gustaverint, Bene † dictio, & sancti † ficatio tua ab omni ægritudinis & læsionis incursu te protegente custodiat. Per Eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus: defende quæsumus omnia animalia nostra per hanc creaturam salis, & aquæ: defende piissime à rapacibus, à latronibus, à bestiis, à scabie, à morbo, à morsibus, à laqueis, à diabolo, ab infirmitate, ab invidia, & à malitia pravorum, à malis hominibus, à malis oculis, à veneficiis, ab aruspicibus, & ab omnibus malis salvare, & pecudes, & animalia, quæ morbis & infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam salis, & per invocationem sancti nominis tui sanare digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Bene-

Benedictio Thalami.

Vide Benedictio lecti.

Benedictio Thuris, seu incensi.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Per interceſſionem Beati Michaëlis Archangeli ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium Electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene † dicere, & in odorem ſuavitatis accipere. Sit, quæſumus Domine, famulis tuis pretioſo Sanguine tuo redemptis defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, & omnes incantationes, præſtigia, & diabolicas vexationes: ſit perpetua expulſio malignorum ſpirituum; & in quocunque loco odor hujus incenſi fuerit, nullum maleficium, nullâque moleſtatio diabolica poſſit perdurare, ſed ſtatim tua immenſa potentia, & virtute tollatur, & abigatur per ſignum ſanctæ Cru†cis tuæ. Qui vivis &c. Amen.

Ore-

Oremus.

Domine Deus Omnipotens, cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, dignare bene†dicere, & ſancti†ficare hanc creaturam incenſi, ut omnes languores, omnésque infirmitates, atque inſidiæ inimici odorem incenſi hujus ſentientes fugiant procul, ut de cætero non audeant lædere, moleſtare, aut infeſtare creaturas, aut loca habitationis earum. Per te JEſu Chriſte Salvator mundi, qui vivis &c. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

Benedictio veſtimentorum.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens æterne Deus, qui inter cætera mirabilia creaturas tuas diverſis ornamentis decorâſti: & tunicas pelliceas Adæ, & Evæ feciſti, nosque veſte miſericordiæ in hoc ſæculo, & in regno tuo pervenientes ſtolâ gloriæ circumdas; quæſumus, ut hoc induſium, ſeu hæc indumen-

dumenta, pro tui nominis amore, purificare †, mundare † & benedicere † digneris; ut quicunque ea portaverit, & induerit, cœleſtis gratiæ plenitudinem in eis, & munimen tuæ benedictionis percipere, ut ab omnibus inimicorum maleficiis, incantationibus, ligaturis, ſignaturis, & facturis, & inſidiis defenſus, incolumis, te in ſæcula glorificare poſſit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

AD-

ADDITIO

Certarum figurarum in Diœceſi Friſingenſi per Generale Mandatum prohibitarum.

OMne Promiſſum cadere in debitum notiſſimi Juris eſt. Promiſi ſuperiùs Part, 2. cap 2. q. 4. me certas Figuras & ſchedas pro tunc ſub Examine Reverendiſſimi Conſiſtorii Friſingenſis conſtitutas, in calce totius operis relaturum. Quare, cùm poſt inſtitutam aliquorum in Lingua Hebraica, Chaldaica, & Syriaca peritorum examinationem, ab Ipſo Celſiſſimo, & Reverendiſſimo Principe & Epiſcopo Friſingenſi Joanne Franciſco Domino Domino Clementiſſimo, ſequentes ſint rejectæ, easdem prout reprobatæ fuerunt, una cum potioribus Rationibus rejiciendi, hîc præſentare volui. *Prima Figura.*

Ad cognoscendum si aliquis vexetur à spiritibus immundis.

In Nomine Pa† tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti. Amen. † Hel Heloym † Sother † Emmanuel †† Sabaoth † Agla † Tetragrammaton † Agyos † Otheos † Ichiros † Athanatos † Jehova † Ya † Adonay † Saday † Homousion † Messias † Eisrecheye † Increatus Pater † Increatus Filius † Increatus Spiritus Sanctus † JEsus † Christus vincit † Christus regnat † Christus imperat † si diabolus ligavit vel tentavit te N. suo effectu, per sua opera, Christus Filius DEI vivi per suam misericordiam liberet te ab omnibus spiritibus immundis, qui venit de cœlo, & incarnatus est in utero Beatissimæ Virginis Mariæ, causâ humanæ salutis, & ejiciendi diabolum, & omnem malignum spiritum à te in profundum inferni & abyssi. Ecce crucem † Domini, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, radix David. Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Circa hanc & sequentes Figuras specialiter quidam ex deputatis Theologis præsupponendum ajebat, easdem non sine gravi suspicione videri (forsan per zingaros, aliósve malevolos, seu nimiùm credulos) originaliter fuisse à gente Judæorum tacitè introductas ad Christianam Religionem, si non extirpandam, saltem obfu-

Benedicta sit Sacta & individua TRINITAS
PATER, & FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS
Nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen!
SANCTE DEUS, SANCTE FORTIS, SANCTE IMMORTALIS
Miserere nobis.

JESUS CHRISTUS
REX GLORIÆ VENIT IN PACE, DEUS HOMO FACTUS EST,
VERBUM CARO FACTUM EST.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo nos defendat. Crux † Christi salva nos, Crux † Christi protege nos, Crux † Christi defende nos nunc & in hora mortis nostræ, Amen!

N. 1.

חקדמן.מלך.חבבוכ.כמוחשך
HEO.NAZAPEO.BAAS.TOIOAP.

JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM

Titulus triumphalis benedicat & custodiat nos ab omnibus malis.

N. 2.

ECce Crucem † & Nomen Domini, *Ens Entium Deus, Causa causarum Deus, vita viventium Deus, à quo omnia Deus, de quo omnia Deus, ex quo omnia Deus, in quo omnia Deus, & per quem omnia Deus, Deus Deorum Deus,* Agla, *potentissimus Deus,* Adonay, *Dominus Deus,* Heloim *justissimus Deus,* Elion *Excelsus Deus,* Eloa *Dominus Deus, & fortissimus Deus,* Saday *omnipotens Deus, Sanctus, Sanctus, Sanctus* Sabaoth *Deus, Deus Deorum Deus,* Adonay Tetragrammaton *&c. quod nec lingua explicare, nec mens, nec sensus hominum capere potest, nec indignissima ego* Tanti Dei Creatoris *creatura dignus sum scire, proferre, aut sylabas conjunctas pronuntiare, nec minùs ad cœlum oculos levare, sed vix audeo divinatione litterarum personare* Jod, Hevau, He, *fugite partes adversæ, fugite dæmones, fugite inimici generis humani, fugite rebelles Creatoris vestri, osculamini dæmones maledicti rebelles, ubi perpetuò acriùs concremandi; Ita* SANCTISSIMA TRINITATE *jubente, Virgine Dei Genitrice* MARIA *intercedente, &* S. Michaële *Archangelo exequente. Amen † Amen † Amen † Fiat † Fiat.*

hoc glorioſissimum & admirabile Creatoris vestri Nomen Adonay tetragrammaton &c. *Osculamini & genuflectite devotè Spiritus terrimi, dracones execrandi, nominare indignissimi; alias per hæc sacratissima Dei Nomina, per † & pretiosissimum* JEsu Christi *sanguinem, validissimis quibuscunque exorcismis hoc ipso conjuramini, ut sine mora cessetis ab omni incursu, terrore & vexatione mei & hujus familiæ, nec strepitus excitetis amplius, nec voces formetis, aut alia, sive per maleficia, incantationes, aut quascunque artes operemini mala, sed prorsus à me, ab hac domo & incolis, ibi hæc devotè portata, aut affixa fuerint, illicò recedatis confusi ad orcum vestrum sulphureum, uti*

obfuſcandam, & obſcurandam: non enim (pergit ille) alio Chriſtum Salvatorem Noſtrum compellant nomine, quàm *Thalvi*, hoc eſt, *ſuſpenſus*: & Ejusdem Beatiſſimam Matrem *Thalvia*, ſeu *ſuſpenſa*: Chriſtianos verò *Chutiter*, quod idem, ac *omnia mala* denotat. S. Evangelium intitulant *Avengilion*, quod eſt, *volumen iniquitatis*. Quare cum commorantes ſimplicioribus Chriſtianis, vix alium eosdem decipiendi modum viderent, quàm literîs incognitis plures mirabiles ſuperſtitione, vel ſaltem prudenti ſuperſtitionis ſuſpicione haud carentes formârunt figuras & caracteres: quod cùm relatum eſſet Celſiſſimo S. R. I. Principi, ac Epiſcopo Friſingenſi, Altefatus pro ſuo ſingulari paſtorali zelo demandavit, ut dictæ figuræ, ac caracteres ſtrictè examinarentur, quo facto, & relatione inde habita, easdem rejecit, prout in præſenti cernitur.

In prima Figura, teſtibus Theologis iisdem, jam olim Romæ confixa, & condemnata, ſub. N. 1. ponitur Titulus ſalutiferæ Crucis Redemptoris Noſtri, ſubjuncta paraphraſi latinè, hebraicè, & græcè ſcriptus: cùm uterque hic titulus valde mendosè ſit formatus, præſertim verò hebraicè exaratus; nam in hoc, referunt illi, vix tres literas eſſe ritè formatas; & cùm inſuper ordo ſcriptionis hebraicæ, qui eſt à dextra adſiniſtram, prorſus

sit immutatus, censebatur neque Titulum superstitione, aut saltem justa superstitionis suspicione catere,

Sub N. 2. continetur Figura Christi cum inscriptione in prima figura orbiculari: *Et vocabitur Nomen Ejus admirabilis, Consiliarius, DEus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis, & hoc Nomen meum vocabit ipsum DEus Noster, sit Nomen Ejus in æternum,* ubi textum (prout quidam ex dictis Theologis retulit) corrumpunt ad Christo suam Divinitatem adimendam, quod clarius verba mox sequentia indicant: *deleatur Nomen Ejus.*

In proxima figura orbiculari dicebat circumstare SS. Nomen JEsu quinduplici, nullo tamen modo, benè ac legitime formatum, consequenter eò ipso rejicienda.

In tertia orbiculari figura hæc, inquiebat, legi verba: *Ze, Schemo, Lengolam, Vaze, Zechri,* queis Linguarum periti significari adjunt: *ita* (scilicet abolitus) *sit nomen & Memoria Ejus.* Sicut &

In quarta figura orbiculari hæc verba: *Ben, Bar, Jeled, Bin, Schul,* idem, quod priora, significantia: Item

In quinta orbiculari figura sequentia haberi verba: *Hebesch, Keschebse, son Kachel,* quibus irrisorie Christus ovis, aries, agnus &c. dicitur.

Sub facie Christi hæc cerni: *Lechem panim,* id est *panis facierum*; quibus videntur velle

velle indicare, Christum tam parùm esse in sacratissima Hostia, quàm olim in antiquo Testamento fuerit sub suo pane propositionis, utpote qui pari ratione *panis facierum* dici potuisset, si figuram faciei habuisset.

In Crucis signo à parte dextra hujus primæ figuræ collocato verba hebraica mendosissimè scripta reperiri, quæ significant: *Mi camorha baëlim; Jehova*, ex lib. Exod. c. 15. v. 2. desumpta: *Quis similis tui in fortibus Domine*. Legitur etiam latinè scriptum *Machabæi*, ad denotandum, Filios Matathiæ in Vexillis suis eadem habuisse impressa: Quarè cùm verba non benè sint formata, atque exinde timendum, ne potiùs hebraicis ipsis characteribus mendosissimè exaratis, quàm Vexillo Crucis Christi vis efficacia tribuatur, cum cæteris etiam hoc signum ibidem censebatur non esse admittendum.

Dices: Si prima hæc figura est rejicienda, tunc pariter rejici debent duæ orationes ibidem contentæ, quarum prima incipit: *Ecce Crucem † & Nomen Domini.* Altera: *Hel, † Heloym † Soter † Emmanuel † Sabaoth † Agla † Adonal* † &c. Atqui hæ duæ Orationes non sunt rejiciendæ: ergo. Min. probatur: si enim dictæ Orationes forent rejiciendæ, vel deberent rejici, quia ibidem continentur Nomina Divina sub lingua aliena, puta, *Hel, Heloym, Emmanuel,*

nuel, Sabaoth Adonai. Vel quia ponitur DEus sub Nomine *Deus Deorum, Ens Entium, causa causarum* &c. vel quia reperitur cabalisticum *Agla*, quo Judæi frequentissimè abutuntur ad varias superstitiones &c. sed propterea dictæ orationes non sunt rejiciendæ: nam quid id totum obest pietati orationis? Nunquid ibidem etiam, & quidem ab initio statim ponitnr *Crux Christi, ac Nomen Domini*? & quis prohibebit alia sacra Nomina DEI, vel Beatissimæ Virginis Mariæ, aut Sanctorum addere? Nunquid non etiam in Psalmis habetur: *DEus Deorum locutus est* &c.? Num DEO injuria infertur, si contra superbissimum spiritum, qui voluit esse similis Altissimo, nos humili, ac devota aliqua oratione; & veneratione agnoscimus DEum tanquam causam causarum, & primum Ens, à quo omnia reliqua in fieri & conservari dependent, humiliter deprecantes, ut sua virtute hostis infernalis insidiæ annihilentur? Item nunquid non etiam Ecclesia ad finem Adventûs DEum inclamat: *ô Emmanuel! ô Adonai!* & Eundem die Parasceves sub adoratione Crucis veneratur sub peregrinis Nominibus *Agios, ô Thèos, Athànatos, Ischyrós &c.*?

Num. S. Scriptura est prohibenda ex eo, quia hâc Hæretici abutuntur? Cur ergo propter Nomen cabalisticum ac Mysteriosum *Agla*, quod in se sanctum est, &

idem

dem significat, ac *Tu fortis in æternum Domine*, tota oratio superstitionis arguatur ex eo, quia Judæi ex propria sua malitia hoc Nomine abutuntur? O quoties Striges & Magi rebus etiam sacratissimis abutuntur, ergóne res similes sunt propterea rejiciendæ, & prohibendæ Fidelibus, ne in veneratione habeantur? Neutiquam. Profectò si Christus ipsemet dixit, hoc genus dæmoniorum non exit, nisi in oratione &c. illa erit fortissima contra dæmonem oratio, quæ ex S. Scriptura, tanquam Verbo DEI, desumitur. Ne deterreant te sejunctim collocatæ illæ litteræ: *Job, He, Vau, He*: etenim ut compositæ nil aliud significant, quàm *Jehovah*, seu DEum ineffabilem, ac Tri-Unum. Videatur desuper Casparus Schott S. J. in suo Tract. de Mirabilibus Cabalisticis Part. 2. cap. 11.

Respondetur ad hanc objectionem: Quidquid sit de Rationibus in minori adductis, & pluribus forsan adducendis, ob quas aliqui dictas saltem orationes defendi posse putant, prout ipse celeberrimus Exorcista Candidus Brognoli tom. 2. de Maleficiis Disput. 4. Part. 3. cap. 1. folio apud me 311. in specie Nomen illud *Agia* non reprobat, & secunda oratio apud Sannig non solùm ab Ordine, sed etiam ab Archi-Diœcesi Pragensi approbata reperitur: Totam nihilominus hanc figuram

tam propter ſuſpectos characteres, quàm alias Rationes, in Actis allatas, ideò vel maximè videri eſſe reprobatam, quia bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu, præſertim in Amuletis, ubi quo ſanctior aliqua res exiſtit, eò major ipſi infertur injuria, ſeu irreverentia, ſi cum alia ſuperſtitioſa & mala commiſceatur.

Altera Figura reprobata.

Hæc Figura juxta Relationem Peritorum linguarum ſub N. 1. magica ſigna theſauros fodientium ex Agrippa (cujus liber eſt inter primæ Claſſis prohibitos) deſumpta continet: ſunt autem ſigna hæc mira, etiam in lingua hebraica, chaldaica, & ſyriaca verſatis incognita, conſequenter prudenti opinione ceu ſigna diabolica à Chriſtiano deteſtanda.

Numero 2do hujus figuræ memorati Theologi tribuunt eandem cenſuram: eo quòd, ipſis referentibus, præter DEI Nomina vitioſiſſimè ſcripta, immiſta ſint plurima vocabula barbara, ſoli fortè diabolo, vel etiam ejus aſſeclis nota, & hinc meritò de ſuperſtitione ſuſpecta.

Sub N. 3 contenta exhibent juxta eosdem, duo ſigna Strygum, cum verbis: *cara, phara, feſta tuta, mita, mæſta,* quæ idem ac ly *plictri* ſignificant: nil ergo aliud ſunt, quàm diaboli figmentum, præſertim cùm circiter triginta abhinc annis Auguſtæ Vindelicorum Vetula quædam, quæ paſſim pro

ſaga

Altera Figura reprobata.



N. 1.

Tetragrammoton Alphaheto Emanuel, JEsus Christus, Sother Adether Adonay HeleyHeloy, Sabaot Messias Abracola, Abrato Abrat, Aber, Ananisapta, Agla, Liga, Lena Verbum Gloria Lux Imago Sponsus Sacerdos, Trinitas Hagios Otheos, Isehiros, Athanatos, Ymos Eleyson, Pantheon, Stimulamathon, Onoytheon in Excelsis Oristaberan, Flamabaton, Isiston, Alfa: אתבשלמנש. Ahmiseron Oreysteon, Annoyon, Egygrion Annoyseron, Lamathon.

Jesus Christus Rex Gloriæ † Venit in Pace † Deus Homo Factus Est † Per Ipsum † & cum Ipso † & in Ipso † Sit tibi Deo Patri omnipotenti † in unitate Spiritus S. omnis honor & gloria.

I†N†B†I†V†L†D†V†I†R†D†A† Fiat Misericordia tua super nos.

Quemadmodum speravimus in te Domine † amen † Cara † Phara Festa †

† Mita †Mesta†

Laus Deo B. Virgini sine Labe Conceptæ † amen † Tuta †

N. 4.

Mentem sanctam † Spontaneam † honorem DEO † Patriæ liberationem, ignis â læsura protege nos Agatha pia.



N. 3.

ſaga habita, ac demum combuſta fuit, iisdem referatur fuiſſe compellata: quinimò iisdem pueri ſuperſtitiosè uti dicantur ad ſagas cognoſcendas.

Sub N. 4. cernitur Crux hiſpanica, è cujus utraque parte leguntur varii caracteres, qui partim in Cruce S. Benedicti, partim in cruce, ſancto Zachariæ Epiſcopo Hieroſolymitano attribui ſolita, reperiuntur; quia tamen ad extra apponuntur litteræ aliquæ non ſatis cognitæ, præfatis Theologis reprobandæ videbantur: præſertim quòd, quia dato etiam, quòd uſus totius hujus Crucis authenticus eſſet (de quo non ſatis conſtat) tamen hìc malè applicaretur, cùm conjungatur pluribus in eadem ſcheda contentis ſuperſtitionibus, ut proinde dici oporteat: *quid luci ad tenebras, & quæ comparatio Chriſti ad Belial?* De quo vide ſuperiùs circa primam figuram in ſolutione objectionis.

Figura tertia reprobata.

† Cara † Phara † † Feſta † Tuta † † Mita † Mæſta † † I. † N. † R. I. † Verbum Caro factum eſt & habitavit, in nobis † MARIA † In Conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti.

De hac, in qua denuò reperiuntur illa verba *cara, phara, festa, &c.* abunde dictum fuit in præcedentibus. Cæterùm an duæ figuræ, sex angulos habentes, ubi in una Nomen *Jehova*, in altera *Adonai*, utrobique autem in medio signum T. exprimitur, sint rejiciendæ etiam separatæ ab illis verbis, *cara, phara, &c.* altiori Judicio submitto. Illi, qui talium figurarum adhuc Patronos agunt, quamlibet figuram fieri ex duplici Triangulo △ Mysterium sacratissimæ Trinitatis figurante contendunt, & quia quodlibet sacrum Nomen (nimium *Jehova, Adonai*) tanquam DEO proprium juxtà nostram computationem sex continet literas, cuilibet literæ unum angulum attribuunt, volentes sic Trinum DEum ac Dominum exprimere. Signum autem Tau, quo multa milila in Apocalypsi videbantur signati, SS. Crucis Mysterium (inquiunt) exprimit, quo pariter Seraphicus Pater signabatur, prout legitur in ejus officio SS. Stigmatum die 17. Sept.

Crucis signum Tau Littera
Fronti Franciſci ſcribitur,
Quæ variè distinguitur
Miranda lucis operâ.

Figura Quarta reprobata.

De hac figura, & quæ circa eam dicta sunt, videantur c. 2. q. 4. à n. 45.

Præsens

Figura quinta reprobata.

Tetragrammaton Alphaeto Emanuel, Jeſus Chriſtus Sother Adether Adonay, Heley, Heloy, Sabaot Meſſias Abracola Abrato Abrat, Aber, Annaniſopto Agla, Ligo Lena Verbum Gloria Lux Imago Sponſus, Sacerdos Trinitas, Hagios, Otheos, Iſchiros, Athanatos, Ymos Eleyſon, Pontheon, Stimulamothion, Onoytheon, in Excelſis, Oriſtaberan, Flamabaton Iſiſton Alfa: אמיסרון אוריסתיון אנוין אגיגריון אנוישרון למתון. Amiſeron Oreyſteon, Annoyon, Egygrion, Annoyſeron, Lamathon.

Jeſus Chriſtus Rex Gloriæ † Venit in Pace † Deus Homo Factus Eſt †
Per Ipſum † & cum ipſo † & in Ipſo † S. tibi Deo Patri omnipotenti † in unitate
Spiritus S. omnis honor & gloria.

I†N†R†I†V†L†D†T†I R†D†A† Fiat Miſericordia tua ſuper nos.

Quemadmodum ſperavimus in te Domine † amen Cara Para Feſta †

Laus Deo B. Virgini ſine Labe Conceptæ † amen † Tuta Mita Meſta †

Præsens figura principaliter exhibet Triangulum adinvicem insertum, & ex angulis quinque constantem, ac quasi quinquies litteram A. repræsentantem. Ubi pro clariori notitia advertendum ex libello de 5. vulneribus Christi P. Guilielmi Wael S. J. fol. m. 125. quòd Antiochus quondam ΣΩΤΗΡ, seu *Salvator* (prout teste V. Beda in festo Expectationis B. V. M. idem *JEsus* significat) communiter dictus fuerit. Hic, cùm quondam in discrimine versaretur, ut animos militum in spem erigeret, ajebat, se per quietem vidisse Alexandrum Magnum monentem, ut hanc ipsam figuram, ex quinque Angulis formatam, pro salutis ac victoriæ symbolo assumeret, idque pro Tessera Tribunis daret, cui inscripta fuerat YTEIA, id est *Salus* ira ut in quolibet Angulo unica talis litera collocaretur.

In hoc equidem sensu figura ista plena est superstitione. Ad idem Author tam in cupro libelli frontispicio præfixo, quàm in libro fol. 228. hanc ipsam antiquissimam & vulgatissimam figuram, quinque SS. Christi vulneribus, ex quibus vera nobis *Salus* fluxerat, applicat, ac fusius declarat, ac tanquam sanctum propugnat. Hinc eandem, in se sumptam nollem quidem impugnare. Displicet tamen ex eo, quia præter eandem adhuc

plura

plura alia ignota, & ex parte jam antea à Celsissimo reprobata uti *chara*, *phara*, *festa* &c. & alia incognita annexa inveniuntur. Periculum præterea est, ne à multis malevolis tanquam signum Antiochi distribuatur ad circumveniendos simpliciores.

Et hæ sunt figuræ, hæc signa, quæ facta relatione Reverentissimi Consistorii, junctis peritis in lingua Hebraica, Syriaca, ac Chaldaica, ab Altefato Celsissimo, & Reverendissimo Principe ceu solertissimo animarum Pastore de latenti aliquo superstitionis ac blasphemiæ veneno suspecta in sua Diœcesi prohibita, ac proscripta fuêre.

Index

Index rerum omnium
Partis Secundæ.

Prior numerus paginam, alter numerum marginalem indicat.

A.

ABortûs maleficium. 20. 15. quomodo deſtruendum. 121. 50.

Accenſo lumine an ſpectra pellantur? 228. 176.

Accuſans criminaliter maleficum, an irregularis? 138. 101.

Actus deteſtationis diaboli. 116. 85.

Adjuratio in SS. Nomine JEſu facta potiſſima eſt ratio dignoſcendi ſpectra. 187. 139. Item 195. 141.

Aerei dæmones. 177. 130.

Agni DEI, ſeu ceræ papales appendendæ maleficiatis 138. 100. ſunt efficax contra ſpectra mala remedium. 215. 160.

Amatorium maleficium. 11. 6.

Amuleta ſuſpecta. præſertim à vetulis, circumforaneis & carnificibus accepta, eliminanda, 113. 83. à diverſis prohibitis figuris expurganda. à fol. 290.

Angelus malus ſe in Angelum lucis transformat. 186. 138. Angeli boni quomodo à malis dignoſcendi. 186. 139. Angeli mali quomodo

modo ex domibus, aliisque locis expellendi. 197. 143.
Animalia bruta maleficiis obnoxia. 155. 114. quomodo à maleficiis liberanda. 115. 114 & seq.
Animæ damnatæ apparent rariſſimè. 180. 132. Qua ratione à dæmonibus diſcernendæ. 195. 142. Quomodo ex locis infeſtatis expellendæ. 230. 179.
Animæ purgatorii rarò apparent. 182. 135. Quibus potiſſimùm hominibus. 184. 136. quibus in locis. 185. 137. quomodo à dæmonibus diſcernendæ 195. 142. quibus remediis liberandæ. 232. 181.
Apparitiones animarum ex pacto ſunt ſatis periculoſæ. 237. 184.
Aqua benedicta efficax contra dæmones remedium. 214. 175.
Aquâ calidâ abluendi malefici. 135. 99.
Aquatici dæmones. 177. 130.
Artificialia ſpectra. 175. 128.
Averſionis frumenti maleficium. 21 16. quomado deſtruendum. 127.

B.

BAlnei benedicti virtus contra dæmones. 158 120.
Benedicere quid ſit. 166. 119. res benedictæ unde effectum habeant, & cur eo quandoque fruſtrentur. 167. 119.
Benedictio data cum V. Sacramento efficax contra ſpectra remedium. 214. 158.

Benedictio aquæ contra maleficia fol. 250.
Aquæ Ignatianæ, uti vulgò vocatur. 251.
Balnei, unctionis, medicinæ, vel brodii medicati 253. alia Balnei pro maleficiatis. 254.
Cerevisiæ, vini, vel alterius potabilis materiæ. 255.
Cujuscunque comestibilis. 256.
Crucis simplicis. 256.
Cubiculi. 257.
Domûs novæ. 258. Item 259.
Fontis, seu putei. 262.
Fœni pascuorum, salis, & aquæ pro animalibus à maleficio liberandis, ac præservandis. 262.
Communis supra fruges & vineas. 263.
Herbarum quocunque tempore. 264.
Iconum, seu Imaginum DEI & Sanctorum. 266.
Pro infirmis præsertim febricitantibus. 267.
Beati Salvatoris ab Horta contra febres. 272.
Venerab.. P. Joannis de S. Guillelmo super infantes infirmos. 272.
Lecti pro maleficiatis. 274.
Generalis cujuscunque loci. 276.
Quarumcunque medicinarum. 276.
Medicinæ, vel cujuscunque comestibilis. 277.
Olei simplicis. 280.
Olei contra maleficia. 282.
Olei ex lampade cujuscunque Sancti, quo ungantur infirmi. 283.
In peste animalium. 284.
Salis pro animalibus. 284.

Tha-

Thalami. 119. 87.
Thuris seu incensi, 286.
Vistimentorum. 287.
Blasphemiis an, & quæ spectra pellantur. 222. 168.
Butyri faciendi maleficium. 20. 15. quomodo destruendum. 124. 92.

C.

Causa & ratio maleficii infantium 111. 83.
Causæ morales malefieii. 17. 12.
Characteres diversi ad superstitiones adhibentur. 59. 43.
hirographa facta dæmonem inter & maleficum, 143. 104. an necessariò repetenda. 144. 104. quomodo destruenda. 148. 107. qua ratione à dæmone repetenda. 152. 112.
Confessio maleficorum. 140. 103.
Confessarii suo munere indebitè functi post mortem damnati in forma luporum comparentes. 196. 142.
Convitiis, & diris imprecationibus an spectra pellantur. 222. 168.
Corpora à dæmonibus assumpta frigida sunt. 194. 141.
Crimina excepta à quovis sine irregularitate denuntianda. 139. 101.
Crucis signum efficax contra dæmones remedium. 213. 156.
Curatio diabolica maleficiorum. 35 29. est in-

intrinsecè mala. 38. 30. quænam curationes in particulari superstitiosæ. 46. 38.
Cussinum non licet dejicere intentione strigem vexantem retinendi. 100. 74.

D.

Dæmones ignei vel ætherei, aërei, aquatici, terrestres, domestici, succebi & incubi. 177. 130. à maleficis pœnitentibus non timendi. 147. 106. quomodo animalia bruta maleficiis lædant. 155. 114. an & quomodo pluvias, grandines excitent. 159. 116. nequeunt homines veraciter in bestias transmutare. 179. 131. quomodo eos in bestias transmutare videantur. ibi. ad speciem optima consulunt. 183. 135. in Angelum lucis se transformant. 186. 138. domos, arces, aliáque loca infestant. 197. 143. dæmones vitro, annulo, vel vasculo inclusi quomodo tractandi. 238. 185.
Dæmoniaca spectra 177. 130. qua ratione pellenda 197. 143. & seqq.
Destructio signorum maleficorum licita. 87. 62. non tamen necessaria. 91. 65. imò nec absolutè consulenda. 92. 66.
Divina maleficiorum curatio quid sit, 85. 60.
Domus à spectris diabolicis infestata quomodo expurganda. 197. 144. & seqq. quomodo præservanda. 116. 162.

E.

Epilogus opusculi hujus benè considerandus. 242. 188.

Exorcismîs faciliûs, quàm rebûs benedictîs curantur maleficia. 104. 79.
Exorcismus ad maleficium parvulis illatum destruendum. 110. 82.
Exorcismus ad maleficium in matrimonio factum destruendum. 117. 86.
Exorcismus ad maleficia in thalamo vel lecto facta destruenda. 120. 88.
Exorcismus ad dissolvendum maleficium difficilis partûs, abortûs, & lactis exsiccationis 123. 91.
Exorcismus ad destruendum maleficium impedimenti butyrizationis. 126. 93.
Exorcismus ad destruendum maleficium frumenti aversionis. 128. 95.
Exorcismus ad destruendum maleficium diversorum morborum. 132. 98.
Exorcismus ad repellendum dæmonem obsidentem, præsertim à maleficis taciturnitatis maleficiô infectis. 136. 100.
Exorcismus ad repellendum dæmonem à maleficis pœnitentibus. 144. 105.
Exorcismus contra dæmonem infestantem eum, qui chirographi cautione animam suam eidem subscripsit. 151. 111.
Exorcismus ad compellendum dæmonem ad chirographum datum restituendum. 153. 113.
Exorcismus ad expellendos dæmones ab animalibus. 157. 115.
Exorcismus contra imminentem tempestatem fuguris, grandinis &c. 160. 117. alius brevior. 165. 118.

Exorciſmus probativus ad cognoſcendum, an dæmon locum quemdam infeſtet. 200. 146.
Exorciſmus ad dæmonem ex loco infeſtato expellendum. 204. 148. quid ejecto dæmone faciendum. 200. 151.
Exorciſmus probativus, an dæmon ex loco infeſtato ſit expulſus. 209. 152.
Exorciſmus ad dæmonem annulo, aut alteri vaſculo incluſum expellendum. 241, 187.
Exorciſta quomodo dæmones ex locis infeſtatis ejicere valeat. 198. 144.

F.

FAſcinatio alia poëtica, alia naturalis, alia magica. 13. 8.
Fæmina ob luxum veſtium poſt mortem nuda apparuit à duobus lupis comitata. 196. 142.
Fides firma ad tollenda maleficia neceſſaria. 102. 77. & ſeqq. dæmones ex loco infeſtato repellit. 213. 154.
Figuræ ſuperſtitioſæ ad maleficia curanda adhibitæ. 60. 43.
Figuræ ſuperſtitioſæ contra grandines. 63. 44. item 64. 45.
Figuræ in Diœceſi Friſingenſi reprobatæ. 289. & ſeqq.

G.

GLadeis & lanceis an ſpectra pellantur. 223. 171.
Grandines & pluviæ à dæmone excitatæ. 159. 116.

Gregorius IX. sub excommunicatione jubet deferri maleficos. 139. 101.

H.

HAlitu solo inficiunt malefici. 10. 5.
Herbæ diversæ, olea, maleficiatis non semper proficiunt. 173. 125.
Herbis, plumis, festucis nocent malefici. 9. 5.
D. Hilarion maleficii signa non destruit. 88. 63.
Historia mirabilis dæmonis ex loco infestato expulsi. 206. 150.
Homo in bestiam à dæmone transmutatus. 179. 131.
Hostiam consecratam cuti carnis insuunt malefici. 135. 99.
Hostile maleficium. 11. 6.
Humana spectra. 175. 128. quomodo pellenda. 176. 129.

I.

JEsu & Mariæ Nomen efficax contra spectra diabolica remedium. 215. 159.
Igne benedicto concremanda maleficii signa. 96. 69.
Ignei, vel ætherei dæmones. 177. 130.
Ignes fatui spectra esse videntur. 175. 128.
Imprecationibus diris an spectra pellantur. 222. 168.
Incantatores quinam dicantur. 7. 2.
Infantes signô Crucis à Parentibus muniti à maleficiis immunes. 112. 83. quomodo à maleficiis

leficiis curandi. 106. 80. Quomodo præservandi. 111. 83.
Infirmi per præceptum à tentatione diabolica protegendi. 221. 166.
Ingestionis rerum solidarum in corpus maleficium. 22. 17. quomodo contingat. 23. 18. quomodo destruendum. 133. 98.
Innocentius IV. jubet sub excommunicatione accusare maleficos. 138. 101.
Judicibus licet lavare maleficos, radere pilos, aut eos in aheno, vel caldario conservare. 99. 73.

L.

LActis exsiccationis maleficium. 20. 15. quomodo destruendum. 121. 90.
Lamiæ quæ, & unde dictæ. 7. 2.
Lanceis & gladiis an spectra pellantur. 223. 171. an licitè lædantur. 227. 175.
Lares quid. 178. 130.
Loca quænam ordinariè à spectris infestata. 185. 137. quomodo expurganda. 197. 143. quomodo præservanda. 216. 162.
Lumine accenso an spectra pellantur. 228. 176.

M.

MAgi quinam dicantur. 6. 2.
Magica spectra. 179. 131.
Malefici diversimodè nocent. 9. 5. an à dæmone possessi. 139. 102. quomodo pœnitentes à dæmone liberandi. 139. 102. & seqq. quomodo præservandi. 147. 106.

Maleficium quid sit. §. 1. Ejus varia nomina ex diversis effectibus desumpta. 6. 2.
Maleficium aliud naturale, aliud præternaturale, aliud mixtum. 7. 3. & 4.
Maleficium aliud somniferum, aliud amatorium, aliud hostile. 11. 6.
Maleficium venenarium quid, & quomodo fiat. 16. 11. reverà datur. 18. 13.
Maleficium abortûs, difficilis partûs, lactis exsiccationis, impedimenti butyrizationis. 20. 15. frumenti averſionis. 21. 16. ingestionis rerum solidarum in corpus. 22. 17. quomodo fiat. 23. 18.
Maleficium ligaminis. 24. 20. quomodo fiat. 25. 20. aliud absolutum, aliud respectivum. 25. 20. signa illud dignoscendi. 26. 21. quomodo destruendum. 114. 84.
Maleficium adhæsionis corporalis. 27. 22.
Maleficium devovendi. 27. 23.
Maleficium diversorum morborum. 29. 25.
Maleficium taciturnitatis. 28. 24.
Maleficium aliud perpetuum, aliud temporaneum. 31. 26.
Maleficium an per aliud maleficium solvi possit. 34. 27. an licitè ita solvatur. 36. 29. item 38. 31. & seqq.
Maleficium an licitè per vana, & inutilia tollatur. 42. 36.
Maleficii latentis signa ubi perquirenda. 96. 69.
Maleficia singula quomodo per Exorcismos destruenda. 101. 76. & seqq.

Maleficium quomodo dignoscendum ab infirmitate naturali 70. 48.
Maleficium mixtum etiam naturalibus remediis curandum. 105. 79.
Maleficus à quo criminaliter accusandus. 139. 101.
Media licita dissolvendi maleficia, quomodo ab illicitis dignoscenda. 43. 37. quænam in pariculari superstitiosa. 47. 38.
Media superstitiosa dignoscendi morbum maleficum à naturali. 49. 39.
Modus destruendi maleficium infantium. 106. 80.
Modus parvulos à maleficiis præservandi. 111. 83.
Modus destruendi maleficium in Matrimonio factum. 114. 84.
Modus conjuges à maleficio præservandi. 121. 89.
Modus destruendi maleficium abortûs, difficilis partûs, lactis exsiccationis. 121. 90.
Modus tollendi maleficium impedimenti butyrizationis. 124. 92.
Modus tollendi maleficium frumenti aversionis. 127. 94.
Modus curandi maleficium diversorum morborum. 130. 96.
Modus procedendi cum sagis cum dæmone pactum habentibus, sed pœnitentibus. 139. 102.
Modus procedendi cum illis, qui datô chirographô se dæmoni devoverunt. 184. 107.

Modus animalia bruta à maleficiis liberandi. 155. 114. & seqq.
Modus destruendi maleficia pluviarum, & grandinum à dæmone excitatarum. 159. 116.
Moralis maleficiorum curatio quid sit. 85. 60. licitè fit per destructionem signorum. 87. 62. destructio tamen non est necessaria. 91. 65. nec absolutè consulenda. 92. 66. per accidens non rarò periculosa. 94. 68.
Morbi quinam ex maleficio provenientes. 29. 25.

N.

NAturale Maleficium. 7. 3. quomodo curandum. 71. 49.
Naturalia suffumigia an spectra pellant. 228. 177.
Naturalia an habeant virtutem directam curandi maleficia naturalia. 71. 49. & 50. item an habeant virtutem curandi maleficia præternaturalia. 72. 50. an habeant vim directam pellendi dæmones. 76. 53. an intentionalem. 79. 55.
Naturalia spectra quid. 175. 128.
Numismata S. Benedicti non sunt superstitionis arguenda. 67. 46.

O.

ODoribus & suffumigiis, an spectra pellantur. 228. 177.

Olea & unguenta diversa non semper maleficiatis proficua. 173. 125.
Oratio germanica à parentibus infantium maleficiô infectorum recitanda. 106. 81.
Oratio ante Exorcismum super infante maleficiato recitanda. 109. 81.
Oratio germanica ad solvendum maleficium Matrimonii. 115. 85.
Oratio germanica pro destructione maleficii diversorum morborum. 131. 97.
Oratio germanica ab illo recitanda, qui chirographô datô se dæmoni devovit. 150. 110.
Oratio germanica ad dæmonem ex loco infestato expellendum. 202. 147.
Oratio & jejunium efficax contra spectra diabolica remedium. 215. 161.
Oratio præparatoria ante quamcunque Benedictionem. 249.
Orationes facta expulsione diaboli ex loco infestato recitandæ. 211. 153.

P.

PArentes locò infantium fidem elicere debent. 106. 80. item fol. 245.
Partûs difficilis maleficium. 20. 15. quomodo destruendum. 121. 90.
Peccata maleficiorum. 140. 103.
Personæ maleficæ an à dæmone possessæ. 139. 102.

Peſtis quandoque à dæmonibus cauſata. 158. 115.

Pharmaceutriæ, quæ, & unde dictæ. 7. 2.

Pili omnes licitè abraduntur ſtrigibus. 135. 99.

Pluviarum & grandinum maleficia. 159. 116.

Poſſeſſionis diabolicæ à maleficio diſcrepantia. 8. 3.

Præceptum à B. Virgine dæmoni factum. 205. 149.

Præceptum in SS. N. JEſu factum omnia ſpectra pellit. 218. 164. ſagas & maleficos inermes reddit. 219. 165.

Præceptum ſcriptum contra dæmones maximæ efficaciæ. 221. 167.

Præſepia, ſtabula &c. rebus benedictis à maleficiis præſervanda. 158. 115.

Præternaturale maleficium. 8. 3.

Pulveribus in cibum & potum injectis nocent malefici. 9. 5.

Purgantes animæ quomodo à ſpectris dæmoniacis dignòſcendæ. 190. 140. quomodo adjuvandæ. 232. 181. & ſeqq.

R.

REcipe pro forma balnei. 169. 121. pro maſſa nigra. 169. 122. pro forma olei ſeu unguenti. 170. 123. pro forma fumigationis. 172. 124.

Regulæ in benedictionibus dandis obſervandæ. 244.

Regulæ dignoſcendi media licita à ſuperſtitioſis. 43. 37.
Reliquiæ Sanctorum maleficiatis applicandæ. 138. 100. dæmones ex loco infeſtato expellunt. 213. 155.
Remedia ſpiritualia contra ſpectra diabolica. 213. 154.
Res benedictæ cur quandoque effectu fruſtrentur. 167. 119. iis etiam malefici inficiunt. 10. 5.
Res fœtidæ maleficiatis nocivæ. 81. 57.
Ritualia non abſolutè jubent perquiri maleficii ſigna. 96. 70.

S.

Sacerdotes etiam mali cum fructu benedicunt. 166. 119.
Sacra quædam verba ad ſuperſtitionem applicantur. 55. 41.
Sagæ unde dictæ. 7. 2.
Sagæ infantes à parentibus ſignô Crucis communitos lædere nequeunt. 111. 83. infantibus à maleficio liberatis inſidiantur. 113. 83.
Signa poſiti maleficii non ſunt infallibilia. 17. 12.
Signa cognoſcendi maleficium ligaminis. 26. 21.
Signa maleficii alia certa, alia probabilia. 5. 1.
Signa maleficii latentis ubi perquirenda. 96. 69. igne benedicto concremanda. ibi.

Signa contraria apponere licet, ut destruatur maleficium. 98. 71. nisi positivus inde speretur effectus. 99. 72.

Signa dignoscendi Angelos bonos à dæmonibus. 186. 139.

Signa dignoscendi spectra diabolica ab animabus purgantibus. 190. 140.

Signa dignoscendi spectra diabolica à magicis, & animabus damnatis. 193. 141.

Somniferum maleficium. 11. 6.

Sortilegi quinam dicantur. 7. 3.

Spectra quid sint. 174. 126. quotuplicia sint. 175. 128.

Spectra animarum damnatarum rarissimè apparentia. 180. 132. Item 182. 135.

Spectra animarum purgantium rarò. 281. 134.

Spectra dæmoniaca & magica frequentissima. 182. 135. in quibus potissimum locis appareant. 185. 137.

Spectra diabolica quomodo à locis infestatis ejicienda. 197. 143.

Spectra diabolica quomodo ex locis infestatis exterminanda. 217. 163. an gladiis, aliisque armis lædantur. 225. 174. an licitè lædantur. 227. 175.

Spectra an lumine accenso arceantur. 228. 176. an odoribus, & suffimentis pellantur. 228. 177.

Spectra animarum damnatarum quomodo expellantur. 230. 179. an in loca deserta, & lacunosa mittenda. 232. 180.

Sta-

Stabula, præsepia &c. rebus benedictis à maleficis præservanda. 158. 115.
Striges, quæ, unde dictæ. 7. 2.
Striges & sagæ taciturnitatis maleficiô infectæ, quomodo curandæ. 134. 99.
Suffumigiis an spectra pellantur. 228. 177.
Superstitio an possit committi in rebus sacris, & quomodo. 68. 47.
Superstitionis damnantur varii characteres & figuræ. 59. 43.
Superstitiosæ curationes quæ sint. 38. 30. & seqq.

T.

TAciturnitatis maleficium. 28. 24. quomodo tollendum, præsertim in strigibus & sagis à Judice torturæ subjectis. 134. 99.
Tempestates, grandines à dæmone excitatæ. 159. 116.
Terrestres dæmones. 177. 130.
Textus S. Scripturæ ad fidem roborandam conducentes. 103. 78.

V.

VEneficam percutientem licet repercutere. 99. 73.
Venefici quinam dicantur. 6. 2.
Venenariô maleficiô plures interficiuntur. 18. 13.

Verba ſacra ad ſuperſtitiones adhibentur. 55. 41. & ſeqq.
Verbis ſolis à maleficis graviſſima cauſantur mala. 10. 5.
Veſtibus benedictis induuntur ſagæ torturæ ſubjiciendæ. 135. 99.
Unguenta diverſa non ſemper maleficiatis proficua. 173. 125.

L XXIV S 29